CURSUS PHILOSOPHIZE THOMISTICÆ

AD THEOLOGIAM DOCTORIS ANGELICI PROPÆDEUTICUS

I

LOGICA

LOGICA

LOGICA MINOR : Præcepta et regulas qu» spectant tres mentis operationes.

LOGICA MAJOR : Problemata et solutiones quæ spectant tres mentis operationes.

AUCTORE **A. R. P. Eduardo HUGON O. P.**

S. THEOLOGIÆ MAGISTRO

BT SODALI ACADEMLE ROMANÆ S. THOMÆ AQUINATIS

4* MILLE

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA CASSETTE, 10

http://www.liberius.net
© Bibliothèque Saint Libère 2011.
Toute reproduction à but non lucratif est autorisée.

CURSUS PHILOSOPHIÆ THOMISTICÆ

AD THEOLOGIAM DOCTORIS ANGELICI PROPÆDEUTICUS

LOGICA

Superiorum jussu, opus in usum studentium philosophice thomisticæ ab A. R. P. Mag. Eduardo HUGON jam publicatum cui titulus : « *Cursus Philosophise Thomisticæ* » sex voluminibus constans, perlegimus ; quumque in illo deprehenderimus sanam doctrinam convenienti methodo dispositam, aptam proinde ad profectum illorum qui addiscendis rationalibus disciplinis vacant, atque imo ad comparandam diviniorem sapientiam *Summa Theologicae* vere propœdeuticam, placuit approbationem decernere, quatenus, servandis de jure servandis, prælo committi queat hœc nova editio.

Datum Romæ e Collegio Angelico, die 24 Junii 1927.

Fr. Geslaus POBAN-SEGOND
Ord. Pr®d.
S. Theoi. Magister

Fr. Reginaldus GARRIGOU-LAGRANGE
Ord. Præd.
S. Theol. Magister

Imprimatur :
Fr, Bonaventura GARCIA DE PAREDES
Magister Generalis Ord. Præd.

Imprimatur ;
Parisiis, die 12 Junii 1927.
V. DUPIN,
vie. gen.

LETTRE DE SA SAINTETÉ PIE X

CURSUS PHILOSOPHISE THOMISTICÆ

6 volâmes in-8Q carré

Dilecto Filio Eduardo Hugon, *sacerdoti ex Ordine Prædicatorum, in Pontifico Collegio « Angelico», Doctoridee. theologiæ tradendæ.*
PIUS PP. X.

Dilecte Fili,

Salutem et apostolicam Benedictionem

Aquinatis disciplinam sicubi summo honore studioque esse decet, profecto decet apud eam Religiosorum familiam, cujus ille proprium lumen atque ornamentum fuit. Et vere inter sodales ex inclyto Ordine Dominicano nostra quoque memoria nec pauci neque obscuri numerantur, qui tantum Doctorem, nunquam senescentem, secuti, Christiana dogmata et instituta splendide illustrare pergant invicteque defendere.

In hoc numero te, dilecte Fili, non postremum haberi tuus postulat *Cursus Philosophise Thomisticæ;* quem Nos nuper a te, pie oblatum muneri, accepimus. Nota sunt enim hominum in philosophia prudentissimorum de te judicia, efferentium in tuis voluminibus et sinceram sancti Thomæ doctrinam et copiam compositionemque rerum et scribendi perspicuitatem; qui tibi hoc præsertim dant laudi, quod vetera principia Scholæ ad novos philosophiæ vel illuminandos progressus vel refutandos errores sapienter adhibeas.

Quare Nos tibi quidem ob exhibitos, observantiæ causa, laborum tuorum fructus gratias agimus; sed multo magis ob salutarem operam quam ipse navas sacræ juventuti. Nam, quod pluries jam affirmavimus, nihil ad utilitatem Eoclesiæ tam interest, quam ut gravioribus adolescentis Cleri studiis Angelici Doctoris sapientia præsideat; idque in sacrorum alumnis, qui te sive magistro sive auctore utuntur, feliciter fieri gaudemus.

Auspicem vero divinorum munerum ac testem paternae benevolentiae Nostræ, tibi, dilecte Fili, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum, die xvi mensis Julii MCMXIII, Pontificatus Nostri anno decimo.

PIUS PP. X.

BEATISS1MÆ VïRGINï MARFÆ

IMMACULATÆ

SEDI SAP1ENTIÆ

REGINÆ SACRATISSIMI ROSARI!

OPUS PHILOSOPHICUM

DEDICAT AUCTOR

PRÆFATIO

« Qui vere philosophari volunt, velle autem potissimum debent religiosi viri, primordia ac fundamenta doctrinae in Thoma Aquinate ponant. Eo neglecto, in tanta ingeniorum licentia, pronum esse in opinionum portenta delabi atque ipsa rationalism! peste sen sim afflari, nimium jam res et facta testantur » (1).

Ut juis porro plenam Aquinatis intelligentiam consequatur, sat non est conclusiones quasdam nosse ex ejus operibus excerptas atque hac illae dispersas aut temere disjectas, neque sufficit illius principia succincte addiscere; sed id thomisticae philosophiae requiritur studium quo provincia illa tota percurratur. Hinc necessitas cujusdam *Cursus* qui in rationalibus disciplinis ea fere ratione se habeat qua Billuart in Theologia, aut qui nostris temporibus praestet quod suo ævo Goudin.

Verum « philosophia, si rite a sapientibus usurpetur, iter ad veram fidem quodammodo sternere et munire valet, suorumque alumnorum animos ad revelationem suscipiendam convenienter praeparare : quamobrem a veteribus modo *praevia ad Christianam fidem institutio,* modo *Christianismi præludium et auxilium,* modo *ad Evangelium paedagogus* non immerito appellata est » (2).

Eodem jure thomistica philosophia dicenda est praevia ad Theologiam institutio. Quare in votis fuit ea ratione philosophicum cursum compingere iit esset vere ad Theologiam Doctoris Angelici propædeuticus : nec nimis contractum, ut magistris posset inservire, nec adeo protractum, ut provectioribus discipulis qui veritatem intimius rimari volunt fleret accommodatus.

(1) Lbo xni, Utter, ad Minisi. Gener. Ord. Frat. Min., 25 nov. 1898.
(2) Lbo xni, Encyclic. *Æierni Patri»,* 4 august. 1879.

Cursum ergo exhibemus ex ipso Aquinate ejusque interpretibus eujii velaribus, Capreolo, Gajatano, Bannezio, Joanne a S. Thomá, Coudin, Mailhat, etc,, tum recentioribus, Sanseverino, Zigliara, Lepidi, Farges, Lorenzaiii, Coconnier, Mercier, etc., collectum. At Joanne a S. Thoma potissimum uliruur, qui in philosophia est eximius Aquinatis interpres, quemque vocat novissimus editor « Angelici Doctoris asseclam et fidelissimum Achatem », adeo ut quod de S. Thoma insigni cum laude acclamarunt olim viri pluies conspicui, illum ita D. Augustini spiritum ebibisse ut animam tanti Pa-Li is et tanti Ecclesiæ Docloris in D. Thomarn quasi migrasse non dubitarent asserere, id de fidelissimo D. Thomæ discipulo Joanne a S. Thoma possimus asseverare. Sic enim lauti Magistri pressit vestigi i, hic illius spiritu fuit informatus ut non incongrue illius intelligibiiis imago censeatur.

Intenti nostri fuit, juxta Leonis XIII monitum, *vetera novis augere.* Quamobrem sarta tecta servando Scholasticorum principia, necessarium duximus inductioni scientiisque positivis aut physicis, præsertim in Philosophia Naturali et Psychologia, magis indulgere, ac hodierna systemata, prout se praebet occasio, exponere. Hinc etiam in Logica ea copiose tractamus quae a recentioribus. praesertim versantur, quœ nempe conceptuum universalium objectivitatem, syllogismi notionem ac valorem, veritatis naturam, existentiam et criteria, ipsumque supremum criterium, demonstrationis et inductionis vim, scientiam, methodi notionem, synlhesim et analysing etc., spectant.

Nec tamen omnes praesentis aevi theorias singillatim prosequi lentavimus, quippe qui intendimus non kantianam aut hegelianam, sed thomislicam philosophiam, tradere.

Non novitati aut elegantiae (non erat hic locus), sed perspicuitati et studiosorum utilitati, consulentes, simplici stylo, syllogistica forma, analytics vicissim et synthetica methodo, prout expostulat subjecta materia, utimur.

Praecipuos auctores consulendos in notis referimus, non quod illos omnes in singulis adprobemus, sed quia haec notitia ad pleniorem quaestionum intelligentiam conducit.

Opus totum sex voluminibus absolvitur.

Primum Logicam complectitur, Logicam nempe Minorem, seu notiones et præcepta quœ spectant tres mentis operationes, ac Logi-

cam Majorem, problemata scilicet rt solutiones quæ ad tres mentis operationes referuntur.

Volumen alterum exhibet primam partem Philosophiae Naturalis. *De ente naturali inanimato,* seu quaestiones de Mundo quoad causas efficientem, materialem, formalem ac finalem, inspecto.

Volumen tertium refert alteram partem Philosophise Naturalis, *De ente naturali animato,* seu quæstionesde Anima Vegetativa et Sensitiva in communi, de Anima Humana tum quoad substantiam tum quoad facultates et operationes considerata.

Volumen quartum tradit Metaphysicam Psychologicam, de Intellectu scilicet et Intellectione, ac de Voluntate et Volilione.

Volumen quintum praebet primam partem Metaphysics Ùntologicæ, seu quaestiones de Ente et de Entis Proprietatibus.

Volumen sextum absolvit Metaphysicam Ontologicam, disserendo de Entis divisionibus, ac de Causis.

Quae autem spectant Theodiceam et Ethicam non tradimus, quia haec omnia in ipso Aquinate sunt requirenda.

Ultimo volumini duplex adnectetur index alphabeticus : alter generalis, præcipuarum nempe rerum de quibus per lotum opus disseritur; specialis alter, præcipuorum nempe axiomatum, seueffatorum, quæ a Scholasticis frequentius usurpantur.

Tametsi temporum injuria et hominum nequitia acerrime divexentur familiæ religiosæ quæ erant studio Angelici addictissimae, nunquam valebit saevissima procella thomisticæ veritatis minuere fulgorem neque illum solem *qui nescit occasum* obnubilare.

Pergratum nobis est ea exscribere quæ nuperrime sanxit Pius PP. X : « Omnino oportere ducimus ut quæ decessor illustris de cultu philosophiae dootrinæque Thomisticæ constituisset, ea religiosissime servanda, atque etiam in spem uberiorum fructuum provehenda curemus... Quæ hortatio pertineat, uti debet, ad omnes quicumque in catholicis orbis terrarum scholis philosophiam tradunt; nimirum curam habeant a via et ratione Aquinatis nunquam discedere, in eamdemque quotidie studiosius insistant ».

Liceat referre quæ ad meipsum scribere dignatus est S. S. Do* minus Noster Benedictus Papa XV, 'die V Maii MDCCCCXVI ; *« Sanctum et salutare est, ac pœne necessarium* in scholis catholicis, ubi ad philosophise ac theologiae scientiam instituitur sacra juventus, summum *haberi Magistrum Thomam Aquinatem,* »

PHILOSOPHIÆ PROLOGOMENA

ARTICULUS PRIMUS

DE PHILOSOPHIA IN GENERE

I — Vocabuli fortuna. Philosophi et Philosophise nomen non a principio habuit fixum et determinatum sensum ; σοφό enim modo physicum, modo artificem, modo poetam designavit, et generaliter quicumque artem vel scientiam aliquam callebat; hinc omnis qui animi cultura vulgus excedebat σοφό vocabatur. Pythagoras vero, animadvertens solius Dei proprie esse sapientiam, non est ausus se σοφόν, seu sapientem, dicere, sed tantum amatorem seu studiosum sapientiæ. Interrogatus enim a Leonte, Phliasiorum principe, qua maxime arte confideret, respondit « artem quidem se scire nullam, sed esse philosophum » (1). Ab hoc jam tempore Philosophiae nomen evasit celeberrimum, et, teste S. Augustino (2), « ita deinceps posteris placuit, ut quantalibet de rebus ad sapientiam pertinentibus doctrina quisque vel sibi vel aliis videretur excellere, nonnisi philosophus vocaretur ».

Paulatim Philosophiae nomen ad significationem scientificam trahitur. Sub Socrate designat praecipue cognitionem internam hominis, unde illud effatum : γνώόι σεαυτον ; *Cognosce teipsum.* Sub Platonis et Aristotelis temporibus, designat cognitionem scientificam Dei, hominis, mundi, entis, veri, boni, etc. — Quae notio iterum obscurata est. Scholae enim posteriores, a doctrinis Academiæ et Lycæi nimium independentes, Philo-

1. Cicero, TuscuL, v, 3. — 2. S. Augustinus, lib. XIV. *De Trinitate.*

sophiam restrinxerunt ad inquisitionem felicitati» human®, ut Epicurei, vel ad studium virtutis, ut Stoici. Nooplatonici tandem nomine Philosophise intelligebant universum huma** n® cognitionis complexum.

II. —* Philosophise definitiones. Mull®, nec omnes rectæ, traduntur. Quidam definiunt : Artem recte vivendi, meditationem mortis, assimilationem cum Deo. Est quidem finis Philosophi® hæc omnia in ordine morali efficere, non tamen hæc est essentialis et distinctiva Philosophi® notio. Alii, ut De Bonald, definiunt : Scientiam de Deo, de homine, de societate ; alii : scientiam entium, ut entia sunt, vel : scientiam de ideis, aut : scientiam qu® versatur in ideis veri, boni, pulchri. CartesiuS definii : Cognitionem, seu analysim, subjecti cogitantis, ex principiis evidentibus deductam. Malebranchius : Cognitionem veri et amorem boni. Th. Reid : Scientiam spiritus humani. — Omnes ill® definitiones aliquid veri exhibent, sed nimis vagæ et obscur® sunl, incomplet®, nec Philosophiam ab aliis scientiis satis distinguentes.

Fais® vero omnino sunt definitiones qu® traduntur : I0 a Sensistis et Materialistis : Scientia sensus vel corporum ; 2° a Transcendentalibus Germanis : Scientia τοϋ ἐγω puri sese ponentis per tria momenta, qu® sunt : *thesis, antithesis, synthesis.* 3° a Cousin : Philosophia est reflexio totaliter sui juris et ab auctoritate omnino independeos. « La philosophie est la réflexion entièrement émancipée, définitivement sortie des liens de l'autorité, et ne s'appuyant que sur elle-même dans la recherche de la vérité. » Qu® omnia rationalismum nimis sapiunt. Aliunde cavendum est a definitione Traditionalistarum, qui docent Philosophiam imparem esse alicui veritati detegendæ, sed esse tantum explicationem scientifîcam veritatum naturalium a Deo revelatarum et nobis per revelationem transmissarum.

III. — Rectæ definitiones. Celeberrima est Tullii definitio (1) : *Rerum divinarum et humanarum, causarumque quibus hæ res continentur, scientia.*

1. *De offa.,* lib. II, cap. π.

Ad res divinas et humanas reducuntur res mundanas. Hæc vero adjectio : *Causarum quibus hæ res continentur,* non est supervacanea, ut putabat Seneca, imo addit elementum essentiale definitioni; nam Philosophia non estqualiscumque cognitio rerum divinarum et humanarum, sed cognitio per earum causas, imo causas altiores, ut mox declarabitur.

In absoluto terminorum rigore sumpta : *scientia rerum divinarum et humanarum,* hæc definitio omnem contineret complexum cognitionum sive theoricarum sive practicarum ; quo pacto nimis pateret Philosophiae ambitus. Quare Scholastici aliam proferunt definitionem, quæ praecedentem recte explicat et determinat : *Scientia rerum per allissimas causas naturali rationis lumine comparata,*

IV. — Explicatur definitio. Dicitur *scientia,* id est cognitio certa et evidens per demonstrationem acquisita. Tria sunt de ratione scientiæ : I0 ut sit cognitio *certa,* qua ratione distinguitur ab opinione, quæ est cum errandi formidine ; 2° ut sit evidens, et hinc distinguitur a fide, quæ est de non visis; 3° per demonstrationem, nempe ut faciat cognoscere rem per suas causas. Re quidem vera habere scientiam alicujus rei est habere de ipsa cognitionem perfectam et completam. At vero liquet rem nonnisi imperfecte cognosci, quamdiu ejus causa ignoratur ; qui enim causam eclipsis ignorat, non perfecte et scientifree eclipsim cognoscit. Scientia igitur designat cognitionem per causas.

Nomine causæ intelligi potest generatim id omne *unde res est aut fit aut cognoscitur. Id unde res est,* dicitur id ex quo res educitur, sicut statua ex marmore, vel id quo res constituitur in sua natura, sicut homo constituitur in esse hominis per animam. Id porro *ex quo* res educitur est causa materialis, id autem *quo* res in sua natura constituitur est causa formalis. Utraque, vero materialis nempe et formalis, est intrinseca rei, quia res ex utraque constat, sicut homo intrinsece constituitur ex corpore tamquam causa materiali et ex anima tanquam càusa formali.

Id autem *unde res fit* eet id quod rem producit in esse, sicut pictor imaginem, vel id cujus gratia res fit, sicut pecunia est

id cujus gratia imago pingitur. Id porro a quo res producitur est causa efficiens, id vero cujus gratia res producitur est causa finalis. Utraque autem, efficiens scilicet et finalis, est causa extrínseca, quia non ingreditur rei constitutionem : sic pictor et pecunia extrinsece tantum se habent ad imaginem.

Itaque *id unde res est* duas complectitur causas intrinsecas, materialem nempe et formalem ; id autem *unde res fit* duas complectitur causas extrínsecas, efficientem nempe et finalem.

Id tandem *unde res cognoscitur* est medium quo utimur ad rem sciendam. Porro medium rem cognoscendi potest esse vel propria causa rei, sicut eclipsis in sua causa cognoscitur, vel effectus rei, sicut animam ex suis actibus intelligimus.

Hinc divisio in causas in essendo et causas in cognoscendo. Sic animse essentia est causa facultatum in essendo, sed facultates sunt causa in cognoscendo, quia sunt id unde anima dignoscitur, probatur et demonstratur.

Porro ad habendam simplicem scientiam, sufficit cognitio per quascumque causas sive in essendo, sive in cognoscendo. Qui, exempli gratia,-demonstrat Dei exislentiam per creaturas, vel animae spiritualitatem ex animse actibus, veram sibi parit scientiam. Ut vero habeatur illa ordinis superioris scientia quæ vocatur *sapientia,* requiritur cognitio per causas in essendo, imo per causas ultimas. Quo sensu dicimus Philosophiam esse cognitionem per causas altissimas.

V. — Quid per causas altissimas intelligatur. Causa altissima est ratio ultra quam non potest ascendi. Exemplo res declaratur.Corpus humanum secundum diversas rationes potest a diversis scientiis considerari : a medecina, ut est ab arte curabile ; a physiologia, ut est subjectum functionum vitalium ; ab anatomia, ut talem structuram exhibet. At hæc non est ultima ratio, ultimum *guia* corporis. Potest mens ulterius ascendere et quærere : quæ sit essentia corporis ? quis corporis auctor? quis finis?

Philosophia autem ultimum *quia* assignat in quolibet genere causæ. Primo quidem in genere causæ intrinsecae. Corpus est substantia composita ex materia et forma. Quid vero forma,

quid materia? Quid substantia? Substantia est ens. Quid vero eus, quænam relationes entis, veri, boni? His omnibus satisfacit Philosophia. Impossibile est supra ens altius ascendere ; ex qua parte habemus ultimum *quia.*

Secundo, in genere causae efficientis. A quo productum est corpus? Est ne a se solo, an ex aliqua materia æterna vel in ultima aqalysi, admittendusne est Creator ? quo explicato habetur ultimum *quia* in genere causae efficientis. Tertio, ad quid productum est corpus? nonne propter Dei gloriam? Et hoc est ultimum *quia* in genere causæ finalis. Quæ vero de corpore dicimus pro cæteris omnibus rebus ordinis naturalis æque valent. Circa plantas, animalia, hominem, societatem, Philosophia investigabit ultimum *quia* in ordine naturali ; omniaque rimabitur intima causæ *formalis,* omnia nempe quæ in essentia latent ; et ascendet usque ad primam causam *efficientem* et ultimam causam *finalem.*

— Ratio entis et Deus sunt causæ *absolute ultïmæ;* Philosophise pars quæ illis investigandis attendit dicitur Philosophia prima. — Attamen Philosophia non unice circa causas absolute ultimas occupatur; philosophi enim est res exploraro etiam per causas *relative* ultimas, dummodo ordinem sensibilem excedant. Unde per causas altissimas hic intelligere possumus *omnes illas supremas realitates quæ, vel nobilitate vel universalitate et aeternitate sensibilem ordinem transqre·diuntur.* Hinc omnis ratio suprasensibilis, eo quod suprasonsibilis sit, est quædam causa altissima et ad Philosophum pertinet : imo, res sensibilis sub respectu suprasensibili considerata est causa quædam altissima, quæ ad Philosophiam refertur.

In omni porro ordine invenitur aliqua ratio æterna et universalis quæ dici potest causa *ultima relative.* Sic ratio necessaria quam Philosophia considerat in legibus cogitandi est causa altissima in Logica ; ratio suprasensibilis el necessaria quam Philosophia considerat in ordine hujus mundi physici est causa altissima in Cosmologia ; ratio demum necessaria quam Philosophia considerat in legibus morum est causa altissima in Ethica.

VI. — Dicitur naturali rationis lumino comparata, ut distinguatur a Theologia Christiana. Hæc enim est etiam cognitio per altissimas causas ; at in hoc viget discrimen quod Theologia sit sapientia procedens ex principiis fide creditis, dum Philosophia est sapientia procedens ex principiis sola ratione cognitis. Tantum igitur se extendit Philosophia quantum ratio: quæcumque sunt in rationis ambitu, Philosophiae dominium constituunt ; quæ vero rationem excedunt, dominium Philosophiae praetergrediuntur.

Porro principium totius scientiae quam de aliqua re ratio percipit est intellectus substantiae, quia substantia rei est principium demonstrationis ; et ideo modus cognoscendi substantiam est modus cognoscendi cætera quæ de re cognoscuntur. Unde, si intellectus humanus alicujus rei substantiam comprehendit, nullum intelligibilium illius rei facultatem humanæ rationis excedit, et hæc omnia ad Philosophiam spectabunt. Si vero substantiam alicujus rei intellectus comprehendere non valet, erunt plura intelligibilia hujus rei quæ erunt rationi impel via. De Deo quidem ratio cognoscere potest *quia esi* et alia hujusmodi, quæ oportet attribui primo principio ; sed minime potest in præsenti vita cognoscere essentiam divinam, ut in se est ; sunt igitur quædam inlelligibilium divinorum, quæ humanæ rationi sunt pervia et ad Philosophiam spectant, quædam vero quæ vim humanæ rationis excedunt, et quæ non spectant ad Philosophiam (i).

VII. — Objectum Philosophise. Cum omnis scientia ex objecto cognoscatur, plenius innotescet Philosophia ex proprii objecti consideratione. Vocamus autem objectum *malcríale* alicujus facultatis quidqüid a facultate attingitur ; sic omne coloratum est objectum materiale visus. Objectum porro mateiiale Philosophiæ sunt omnes res naturales de quibus disserit. Objectum vero *formale* duplex distinguitur ; formale *quod* et formale *quo.* Formale *quod* est id quod directe et primario attingitur a facultate, et ratione cujus cætera attinguntur. In visu *color* est objectum formale *quod ;* nam color

i. *Confra (ienlile%* lib. I, car. 1·

primo attingitur, ct ratione coloris cætera visus cognoscit. Quod vero Philosophia directe et primario in rebus naturalibus attendit, sunt *suprema principia,* supremae reaiilates, causæ altissimæ. En igitur objectum formale *quod* Philosophiae. Objectum autem formale *quo* est medium quo facultas attingit suum objectum materiale et formale *quod* : sic lux est objectum formale *quo* visus attingit colorem et corpus. Vocatur etiam ratio *sub qua,* lumen *sub quo.* — At medium, seu lumen quo Philosophia suum objectum materiale et formale *quod* attingit sunt principia rationis naturalis. Hæc igitur principia sunt objectum formale *quo* Philosophiae.

Ut ergo haec tria objecta sub una definitione comprehenr damus, dici potest : *Objectum adaequatum Philosophias est omne scibile* (objectum materiale) *per altissimas causas* (formale *quod}, lumine principiorum rationis naturalis* (formale *quo aut sub quo).*

VIII. — Philosophise excellentia, utilitas, necessitas. Philosophia contemplatur id qiiod est nobilissimum, purissimum et altissimum in ordine naturali, quodque est quasi coelum uniuscujusque rei ; quae dicebat Poeta veritatem suam in Philosophia obtinent :

> *Os homini sublime dedit ccelumque tueri*
> *Jussit.*

Sicut nempe oculus corporis in contemplatione coeli materialis quiescit, ita oculus mentis delectatur in contemplatione coeli spiritualis, quod est altissima verilas. In qualibet autem re, Philosophia speculatur id quod est summum, scilicet suprema principia, altissimas causas, quae recte dici possunt coelum uniuscujusque rei. Quantum igitur visio coeli visionem rerum terrenarum superat tantum Philosophia alias excedit scientias, quæ versantur circa causas inferiores. Sicut coelum res inferiores tegit ac protegit, sic Philosophia alias naturales scientias fovet. Philosophia quippe in alias scientias duplicem exercet principatum : directionis nempe et correctionis. Directionis quidem, quia mutuantur sua principia a Philosophia cique subordipantur, Correctionis

vero, eo ipso enim quod aliqua scientia sanæ Philosophis adversetur, indicium est ipsam a recto tramite deflectere, ideoque esse ex Philosophice norma corrigendam.

— Philosophia maxime perficit hominem secundum partem superiorem. Perficit quidem intellectum,ei contemplandum objiciendo pulcherrimum cœlum veritatis : triplex nempe cœlum, Deum, hominem, mundum: Deum, auctorem nalurse, aeternum, infinitum, omnipotentem ; hominem in sua anima immortali, intellectiva, libera; mundum secundum suas rationes ultimas, suumque mirabilem ordinem et suas leges, etc.

Perficit vero voluntatem ; finis quippe Philosophiae debet esse virtus ; hinc est quod ultima pars sit Ethica, quæ voluntatem juxta moralitatis leges dirigit.

Pariter Philosophia hominem socialem, et politicum instruit, illum informando circa jura et officia individui, familias, societatis, relationesque diversarum societatum ad invicem. Ex Philosophia magistratus sanas discet notiones quæ basis sunt ac fundamentum juris civilis. Medico Philosophia necessaria est, qui vult intimam corporis humani nosse constitutionem, scire veram passionum indolem muluumque influxum corporis et animæ. A Philosophia discent poetæ, pictores et artifices veram artis notionem, verasque Æstheticæ leges. Proprium quippe artis est exprimere pulchrum ideale ; at quo pacto exprimere quis valet pulchrum nisi habeat genuinam, solidam, verbo, philosophicam, pulchri notionem?

Haec est propria et intrinseca Philosophiae præstantia ; nec tamen silentio præfereunda est excellentia extrínseca quam desumit ex ordine ad Theologiam.

Philosophia quippe necessaria est theologis, apologistis, et generatim cuilibet christiano qui vult suæ fidei fundamenta rimari, et fidem ab impugnationibus defendere.

Triplex autem est Philosophiæ munus erga Fidem. Primo quidem Philosophia demonstrat veritates præambulas ad Fidem ; ut existentiam Dei, possibilitatem miraculorum, etc. Secundo, veritates Fidei illustrat per quasdam similitudines et analogias desumptas ex creaturis. Sic ad illustrandum SS. Trinitatis mysterium Philosophia luculentum exhibet exemplum: in uno homine *iria* invenimus : principium nempe in

sua intellectione producens verbum mentale, ipsumque verbum productum et amorem procedentem. Hæc tria repraesentant Patrem, qui est principium Verbum producens, Filium, qui est Verbum generatum et Spiritum Sanctum, qui est Amor procedens. Tertio, inservit Philosophia ad repellendas infidelium et rationalistarum impugnationes, ostendendo objectiones contra Fidem aut esse sophisticas aut saltem non esse evidentes et cogentes. Quare Philosophia, præsertim scholastica etthomistica, estad Theologiam vere propædeutica.

IX. — Jucunditas ex Philosophiae studio proveniens. Delectatio et gaudium ex duplici capite attenditur, operatione scilicet et objecto.Operatio porro eo delectabilior est quo magis nature convenit. At nulla operatio magis est homini naturalis quam veritatis contemplatio. De natura enim hominis est ut sit rationalis ; ergo operatio maxime naturalis est ope* ratio rationis, seu veritatis contemplatio. Nulla ergo delecta* bilior operatio quam sapientiæ studium. Secundo, philosophica disciplina jucunda est ex objecto. Sicut in visione corporali gaudemus, non solum quia ipse actus videndi est de* lectabilis, sed etiam quia objectum quod videmus pulchrum est et suave ; ita in Philosophiæ studio delectamur, quia nostre contemplationis objectum est pulcherrimum et cognitu delectabile, nempe supremæ realitates, altissima principia, et coelum uniuscujusque rei, ut modo dictum est.

Jucunditas ex operatione, jucunditasque ex objecto, hæc est philosophici studii beatiludo. Haud immerito Philosophiæ accommodantur quæ de Sapientia dicta sunt: *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius ; sed laetitiam et gaudium (Ì).*

X. — Partitio Philosophiæ. Veteres, teste Augustino (2}, in tres partes Philosophiam distribuebant: quarum prima erat *Naturalis,* quæ agit de natura, nempe de mundo et de iis quæ in mundo sunt; secunda *Moralis,* quæ agit de regulis morum in ordine operationum voluntatis ; tertia *Rationalis*^

I. *Sap.* vin, 16. — 2. *De civit. Dei,* lib. XI, c. xxv.

quæ agit de regulis cogitandi in ordine operationum intellectus. — Hujus divisionis rationem assignat Augustinus (loc. cit.). « Tria sunt quæ in unoquoque homine artifice spectantur ut aliquid efficiat : *natura, doctrina, usus* ; natura ingenio, doctrina scientia, usus fructu judicandus est... Ex his propter beatam vitam obtinendam tripartita, ut dixi, a philosophis inventa est disciplina : *Naturalis,* propter naturam. *Rationalis* propter doctrinam, *Moralis* propter usum ».

Aliam rationem affert S. Thomas. Proprium sapientis est ordinare. Porro in rebus est triplex ordo : *est quidam ordo quem ratio non facit, sed solum considerat* ; res scilicet ualuturales considerantur quidem a ratione, sed non a ratione efficiuntur. *Alius autem est ordo quem ratio considerando facit in proprio actu :* sunt enim quædam entia quæ a ratione et considerantur et efficiuntur, ut entia rationis, quæ sunt *in mente et a mente tantum.* Tertius autem est ordo *quem ratio considerando facit in operationibus voluntatis:* sunt enim quædam quæ ratio considerat, non ut sistat in mera consideratione, sed ut ad praxìm ordinet in ordine morali. Ad *Philosophiam porro Naturalem* pertinet considerare ordinem rerum quem ratio considerat, sed non facit. Ordo vero quem ratio considerando facit in proprio actu pertinet *ad Rationalem,* seu Logicam, cujus est considerare ordinem partium orationis ad invicem et ad conclusiones. Ordo autem actionum voluntariarum perlinet ad considerationem *Moralis Philosophise* (t).

— Philosophia Naturalis divisa fuit induas partes : *Physicam,* quæ agit de motu, et de sensibilibus; et *Metaphysicam,* quæ est de rebus ab omni materia abstractis. Hinc apud veteres scholasticos ita dividitur Philosophia : *Rationalis seu Logica, Physica, ñfetaphysica, Ethica seu Moralis.*

Moderni cx Philosophiae partibus Physicam expungunt. Et revera Physica specialis, ut hodie sumitur pro scientia quæ mundum considerat juxta leges experientia notas, a Philosophia exulare debel. Sic igitur hodie dividitur Philosophia: *Logica,* quæ tradit regulas cogitandi ; *Ontologia,* **seu** Meta-

1. I. Elh. lect. i.

physica generalis, quæ agit de ente in communi; *Metaphysica specialis,* quæ agit de ente in speciali, et comprehendit *Cosmologiam,* seu tractatum do Mundo, *Anlhropologiam,* seu tractatum dc Homine, *Theologiam,* seu tractatum de Deo ; ac tandem *Ethica,* seu *Moralis.*

In hac divisione hoc nobis displicet quod ad Metaphysicam reducatur Cosmologia et tota Anthropologie. Metaphysica namque considerat objecta ab omni materia sejuncta ; jam vero et mundus corporeus, de quo est Cosmologia, et corpus animatum de quo est prima pars Psychologiæ, non sunt objecta omni ex parte immaterialia. Oculatiores ergo erant veteres Scholastici, qui has partes a Metaphysica seponebant. Præfercndam ergo ducimus antiquam divisionem, rejicientes quidum nomen *Physicæ,* retinentes autem nomen *Philosophise Naturalis.* Ad Philosophiam porro Naturalem pertinet absque dubio tractatus de Mundo, de Anima Vegetativa et Sensitiva. Anima vero Humana, secundum se considerata, prout est rationalis et spiritualis, objectum proprium est Metapbysicæ ; si autem consideratur ut unita corpori et ut pars hujus *natures sensibilis* quæ est homo, ejus consideratio non incongrue reducitur ad Philosophiam Naturalem. Propter hunc itaque duplicem respectum ratione cujus anima et ad Philosophiam Naturalem et ad Metaphysicam refertur,tractatus Psychologiæ recte collocabitur medius inter Philosophiam Naturalem et Metaphysicam stricte dictam, quasi participans ex utraque. Psychologia itaque non est distincta a Philosophia Naturali et Metaphysica; sed quoad primam partem pertinet ad Philosophiam Naturalem, quoad secundam vero ad Metaphysicam. Tractatus demum de Ente, et de Deo pleno jure ad Metaphysicam referuntur.

XI. — De ordine partium .Philosophiae. Ordinatio partium Philosophiae ad invicem regitur hoc principio Aquinatis (1). e In addiscendo incipimus ab eo quod est magis facile, nisi necessitas aliud requirat. Quandoque enim necesse est in addiscendo non incipere ab eo quod est facilius, sed ab eo a cujus

1. Opuse., Ô3 ·, iu tibr. boet., *de Trm.* Q. 6, a 1. ad 3.

cognitione cognitio sequentium dependet ». Hinc « oportet in addiscendo a Logica incipere, non quia ipsa est facilior scientiis cæteris, habet enim maximam difficultatem, sed quia aliæ scientiæ ab ipsa dependent, in quantum ipsa docet modum procedendi in omnibus scientiis ».

Utrum vero Metaphysica præcedere an subsequi debeat Philosophiam Naturalem. Pespondet D. Thomas (1) : « Metaphysica, quæ circa divina versatur, inter omnes Philosophiae partes *est ultima addiscenda».* Metaphysica namque est de objectis difficillimis et ab omni materia remotis. Naturalis autem ordo postulat ut per concreta et sensibilia quæ sunt nobis notiora, ad abstracta et invisibilia assurgamus. Philosophia igitur Naturalis præcedere debet Metaphysicam. Multae quidem notiones Ontologiæ prærequirunlur cæteris Philosophiae partibus, quapropter Ontologia a multis immediate post Logicam ponitur; attamen istæ notiones possunt breviter indicari in ipso tractationis decursu, quin necesse sit totam scire Metaphysicam; plenior autem et profundior tractatus reservabitur ih ultimo loco. Psychologiam vero interserendam esse Philosophiam Naturalem inter et Metaphysicam jam probavimus.

Speculationem sequitur praxis, unde post Philosophiam realem ponitur Ethica. Talis ergo erit ordo partium Philosophiae : 1° Logica, 2° Philosophia Naturalis (complectens Cosmologiam et primam pariem Psychologiæ), 3° Metaphysica (complectens secundam partem Psychologiæ, Ontologiam et Theodiceam), 4° Ethica.

i. I. *Goni. Gent.* cap. 4.

ARTICULUS SECUNDUS

DE EXISTENTIA ET CAUSIS PHIL'iSOPHIÆ

I. — Quæstio. Tradita Philosophiae notione, quaerendum venit an revera existai aliqua veri nominis Philosophia. Dubium namque menti ultro ingeritur consideranti innumeros et infandos errores in quos impegit humana ratio. Sit tamen

II· — Prima conclusio. Existit aliqua veri nominis Philosophia. Arg. Iα,η *a priori.* Homo naturaliter desiderat scire, quippe qui effectus videndo naturaliter vult cognoscere causas, imo causas ultimas. Atqui cognitio per causas ultimas est Philosophia. Homo ergo habet naturale desiderium Philosophise. Sed desiderium naturæ non potest esse vanum. Deus quippe tale desiderium infundendo media, simul indidit illud explendi ; nec possibile est nullum hominem iis mediis usum esse. Ergo *a priori* admittendum est existere aliquam veram Philosophiam, quantumvis imperfecta ponatur.

Arg. IIUU' *a posteriori.* Philosophia est cognitio certa et evidens per altissimas causas. At vero circa multa objecta cognitione illa gaudemus ; sive enim in speculativo sive in practico ordine mulla sunt principia evidentia, ex quibus necessario profluunt conclusiones certæ et evidentes. Pariter causas altissimas indigitamus ; nam circa animam, mundum, corpus, etc., assignare valemus ultimam rationem in ordine causæ sive formalis, sive efficientis sive finalis. Ergo

III. — Secunda conclusio. Non existit Philosophia in statu perfecto. Philosophia perfecta dicitur quæ de mundo, de ho-

mine, de Deo, notitiam tradit absolutam et completam. Jam vero io Philosophia multa abstrusa et obscura sunt: in tractatu de mundo, circa constitutionem corporum, principium individuationis, originem vitæ, etc., ote, ; in tractatu de homine mulla scitu difficilia vel incerta circa unionem animæ cum corpore, originem idearum, etc. ; in tractatu de Deo mulla abscondita circa Dei libertatem, scientiam do futuris contingentibus, etc., etc,

IV. — Tertia conclusio. Imo, in statu prœsenti naturæ humanæ, non existit Philosophia quæ possit de Deo et veritatibus religiosis ac moralibus ordinis naturalis sufficientem praebere cognitionem, ut homo recte et honeste vivere queat.

Probatur. Ut hæc cognitio sit sufficiens, oportet ut veritates religiosæ et morales ordinis naturalis cognoscantur ab *omnibus,* ab *initio,* et *sine admixtione errorum.* Atqui in praesenti statu ista cognitio haberi nequit nisi a paucis, post longum tempus, et cum admixtione errorum. Ergo Philosophia, sine revelatione, non potest sufficientem præbero cognitionem de Deo et de veritatibus religiosis ordinis naturalis. Hoc argumentum iterum redibit in Psychologie ; unde sufficit pro momento breviter indicare probationem minoris. Hæc cognitio haberetur : I0 *A paucis,* quia a studio impediuntur alii propter corporis indispositionem, alii necessitate rei familiaris vel publicæ, alii pigritia. 2° Post *longum tempus,* sive quia veritas est difficilis et profunda, sive quia multa huic studio prærequiruntur, sive quia tempore juventutis anima a contemplatione propter passionum impetus retrahitur. 3° *Cum multis erroribus.* Tum propter intellectus debilitatem, tum quia imaginatio intellectum sæpe decipit ; tum etiam quia in demonstrationibus admiscetur non raro aliquid sophisticum, quod tamen reputatur verum. Ergo Philosophia destituta revelationis auxilio infirma et imperfecta est. Quæ tamen infirmitas est impotentia moralis tantum, non physica.

Physica enim impotentia est defectus proportionis inter potentiam et actum vel objectum, sicut inter oculum et intellectionem vel inter oculum et objectum longissime distans. Manifestum est autem rationem esse physice proportionatam cul·

libet veritati naturali intelligendæ. Adest ergo impotentia moralis dumtaxat, quæ ex difficultatibus et impedimentis extrínsecas provenit.

V. — De causis Philosophiae. Quum ergo existât Philosophia, licet in statu imperfecto, suas habet causas. Quatuor autem sunt genera causarum. Quæ sint igitur causæ efficiens, formalis, materialis, finalis in Philosophia?

VI. — Causas efficientes. Causa efficiens primaria est Deus qui naturale homini indidit desiderium sciendi vimque intellectivam ad rerum principia indaganda ; qui insuper ideas nostras causai per spectaculum naturae universae et intellectum nostrum efficienter applicat ad inlelligendum. Vide dicenda infra de Magisterio divino (1).

Causa autem efficiens secundaria est vis activa humani intellectus in quo sunt quasi semina scientiarum et artium, ut in Logica et Psychologie passim explanabitur. Quæ autem fuerit humanæ rationis evolutio in diverso temporum decursu novimus ex Philosophiæ historia.

VII. — Causa occasionali» est admiratio. « Propter admirationem, ait Aristoteles, et nunc et primo incœperunt homines philosophari : a principio quidem admirando ea quæ de dubitandis faciliora erant; deinde oaulatim ulterius procedentes, etiam de majoribus dubitando » (2).

Admiratio est species timoris. Homo videns aliquid sublime ac seipso majus, quamdam experitur mentis trepidationem, seu timorem ; at hic stupor simul vivide mentem excitat ad quærendum quod ignoratur.

Admiratio itaque est mixta quasi ex cognitione et ignorantia : cognitione quidem, quia sequitur contemplationem alicujus sublimis veritatis ; ignorantia vero, nam in illo sublimi objecto plura sunt quæ mentis cognitionem excedunt, et hinc vehemens oritur desiderium detegendi quæ occulta remanent. Et hæc fuit causa Philosophiæ : homines nempe videndo ef«

1 Log. Maj., Tract. II, q. 11. art. vi. n. v. — 2. Γ. Metaphys. cape ii.

foetus mirabiles voluerunt causas scrutari, et causas inquirendo philosophati sunt.

VIII. — Gausæ formalis, materialis et finalis. Causa formalis Philosophiae est id quod ipsam constituit et quod in ejus notione exprimitur. Recolatur tradita definitio : *Cognilio per altissimas causas naturali rationis lumine comparata.*

Causa materialis triplex assignatur : 1° subjectum in quo recipitur, scilicet humana ratio ; 2° objectum quod ipsius considerationi subjicitur ; 3° paries in quas dividitur.

Causa demum finalis multiplex etiam distinguitur ; f° finis *gui* est veritatis cognitio ; 2° finis *cui* proximus, est homo cui inservit Philosophia ; 3° finis *cui* ultimus est Deus, nam ideo philosophari debemus ut Deum perfectius cognoscamus et diligamus·

LOGICA

Juxta ordinem prius assignatum incipiendum est a Logica, quæ est quasi porta et clavis Lotius Philosophiæ. Quædam autem praemittantur oportet de Logicæ natura et indole.

APPARATUS AD TOTAM LOGICAM

I. — Logicæ definitio. Potest Logica ex D. Thoma (1) definiri. Ars *vel scientia quæ est directiva ipsius actus rationis, per quam scilicet homo faciliter et ordinate et sine errore procedat.*

Ars in genere est qualitas tendens ad dirigenda *factibilia* hominis juxta certas regulas in ordine ad debitum finem. Dicuntur porro *factibilia* per oppositionem ad *agibilia,* quæ sunt operationes morales. Agibilia diriguntur a prudentia juxta regulas moralitatis in ordine ad finem ultimum vitæ huraanæ, factibilia vero diriguntur ab arte juxta regulas cuilibet arti proprias et in ordine ad finem arti proprium.

Factibilia autem seu opera hominis, in duplici sunt differentia : alia sunt servilia, quæ homo manibus perficit ; alia vero liberalia, in quibus mens præcipue operatur. Hinc duplex artium classis : artes quæ factibilia externa, seu opera servilia, dirigunt, dicuntur artes mechanicæ ; quæ vero factibilia interna, seu liberalia opera regulant, sunt artes liberales. Septem autem numerantur artes mechanicæ, septemque libe-

4. *Post. Anal.* led. 1.

rales. Quo facilius vero singulorum nomina in memoria figerentur, scriptores medii ævi sequentes adhibuerunt versus : primum quidem pro liberalibus, alterum autem pro mechanicis artibus :

(Grammatica) (rhetorica)(logica) (arithmetica (musica) (geometria)(astronomia)
Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra.
(Agricult.) (venatoria) (militaris)(navalis)(medicina' (art. textoriæ)(art.fabriles)
Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber.

Liberales autem in duplici reponebantur serie : in divisione quidem inferiori, quæ dicebatur *trivium,* collocabantur Grammatica, Rhetorica et Logica ; in divisione autem superiori, quæ dicebatur *quadrivium,* collocabantur Arithmetica, Musica, Geometria, Astronomia.

Pulchræ vero artes quinque assignantur : Poesis, Musica, Pictura, Architectura et Sculptura.

Porro illæ omnes ad liberales artes revocari possunt, ut consideranti illico apparef. Non solum ad *tonum,* sed etiam ad *numerum* reducitur Musica ; imo et Poesis, quæ numerum quemdam et rhythmum habet. Pictura vero, Sculptura et Architectura, quæ supponunt linearum scientiam, non incongrue ad geometriam revocantur. Expedit tamen quinque illas artes speciatim ot separatim considerare, quippe quæ habent specialem finem, nempe exprimere sensibiliter pulchrum ideale.

Logicam non esse artem mechanicam aut unam ex pulchris artibus, nimis liquet; an vero sit ars liberalis? Negant quidam ; sententia tamen affirmativa est omnino tenenda, ut suadet hæc ratio :

Ars liberalis est qualitas mentis quæ dirigit opera liberalia hominis juxta certas regulas in ordine ad determinatum finem. Atqui Logica : I0 dirigit opera liberalia hominis, scilicet definitionem, divisionem, propositionem, argumentationem. Sicut enim ratio actus partium inferiorum, manuum etc., dirigit, ita potest reflectere in seipsam, propriosque dirigere actus : *apprehensionem, judicium* et *ratiocinium.* — 2° Juxta debitas regulas, quia Logica fere tota occupatur >n explicandis et applicandis regulis definitionis, propositionis, argumentationis, etc. — 3° In ordine ad determinatum finem,

qui ost veritatis adeptio, ut homo nempe in ipso actu rationis faciliter et ordinate et sine errore procedat. — Ergo Logica est ars liberalis. An vero scientia dici possit, modo inquiremus.

II. — Logicæ objectum. Cum Logica sit rationalis, seu *scientia rationis,* habet pro objecto generico ipsam rationem dirigendam. — At, quia triplex est objectum : *materiale,* formale *quod* et formale *quo,* congruit per singula rem expendere.

III. — Prima conclusio. Sub objecto materiali Logicæ continentur omnia quae sunt materia discursus et etiam tres mentis operationes : apprehensio nempe, enunciatio, argumentatio.

Probatur conclusio. — Facultas discursus habet sane pro objecto materiali quidquid est materia discursus. Sed Logica est facultas discursus, quippe quæ ordinatur ad discurrendum, tanquam ad principale intentum Ergo.

Tres vero mentis operationes possunt considerari dupliciter : I0 ut sunt entia naluræ, quatenus talem habent naturam psychologicam, sub quo respectu pertinent ad Philosophiam Ilealem ; 2° ut sunt diligibiles secundum illum ordinem artificiosum quem ratio consideràndo in illis facit; hoc modo sumuntur in præsenti, et sunt objectum materiale Logicæ.

Materia enim dirigibilis a Logica est objectum materiale Logicæ. Sed materia dirigibilis a Logica sunt tres mentis operationes ; scopus quippe Logicæ est facere rectitudinem in actibus rationis, ut homo possit in consequenda veritate recte, ordinate et sine errore procedere. Ergo actus rationis sunt objectum materiale Logicæ. Tertia tamen operatio est objectum principalitatis ; nam apprehensio et judicium ad syllogismum tanquam ad terminum ordinantur. Unde Logica vocatur *Rationalis* non solum « ex eo quod est secundum rationem, sed etiam ex eo quod est circa ipsum actum rationis, sicut *circa propriam materiam (V) ».*

i. 0. Thomas, *Post. Anal.* loot. <0.

IV. — Objectam formale. De objecto *formali sub quo* nullum est negotium, latentibus omnibus illud objectum esse principia quibus Logica illustrat et demonstrat suas conclusiones. At maxima est controversia de objecto formali *quod.* Aliqui tenent objectum formale Logicæ esse voces seu sermonem vocalem. Ita Nominales et Moderni Sensistæ, qui volunt, cum Condillac, Logicam esse artem bene loquendi. — Alii, attendentes ad solas operationes quas dirigit Logica, dicunt objectum formale esse ipsas operationes ut *recte faciendas.* Ita Fonseca, Suarez. — Thomistæ communiter asserunt objectum Logicæ esse intentionem secundam, seu ens rationis, non quocumque modo acceptum, sed ut est directivum trium mentis operationum.

V. — Ens rationis. Priusquam vero statuatur conclusio paucis declarandum est quid sit ens rationis, quid intentio secunda, quid intentio prima. Prima intentio est actus intellectus cognoscentis ens existens in natura ; ideoque refert similitudinem rei quæ revera extra animam datur. Cognosco arborem ; cognitio mea est similitudo rei extra me existentis : intentio prima. Secunda vero intentio est actus intellectus apprehendentis rem quæ nec existit nec existere potest extra mentem ; ideoque refert non similitudinem rei in natura existentis, sed tantum similitudinem rei prout est in mente. Istud porro objectum intentionis secundæ dicitur *ens rationis,* quia esse ipsius objectivum est solum *in ratione et a ratione.* Ens quidem rationis, si *subjective* spectetur, est aliquid reale, nempe aliquis actus, aliquave affectio mentis ; at *objective* consideratum nihil realitatis habet, cum *objectum* in ipso repraesentatum nec existai nec existere possit, — sicut *genus, species.* Confundendum non est ens rationis cum ente *ideali* vel *imaginario* : istud enim, licet de facto non existât, existenlia tamen donari potest. Hinc *mons aureus* non est ens rationis, sed ens possibile, quod in rerum natura a Deo produci posset.

Ens rationis fit quandoque ex mera fecunditate meroque lusu rationis, sicut cum distinguo *ensem a gladio}* quandoque autem habet fundamentum in rerum natura : sic non existit

genus vel *species,* sed in natura fundamentum est ut genus ei species distinguamus. In primo casu ratio quidem ratiocl· natur, sed nihil est ratiocinatum, nullunique fundamentum ; unde recte dicitur ens rationis mere *ratiocinantis.* In altero vero casu est aliquid ratiocinatum, aliquodve fundamentum ; unde vocatur ens rationis *ratiocinates.*

Inpræsenti vero quæstione per ens rationis quod est objectum Logicæ intelligunt Thomistæ illam artificiosam dispositionem quæ non exislit in rebus, sed quam mens in illis fácil cum illas ordinat per modum definitionis, divisionis, propositionis, syllogismi, etc... Quibus expositis, sit.

VI. — Secunda conclusio. Objectum formale Logicæ non sunt voces, nec etiám tres mentis operationes ; sed ens rationis ut directivum trium mentis operationum.

Prima pars est manifesta, nisi contendamus Logicam non distingui a grammatica, quæ de vocibus occupatur, vel absurde admittamus objecta scientiarum esse mera nomina. Probatur itaque IIa et IIIa pars, nam eadem argumenta pro utraque militant.

Arg. I"m. Cum Logica sit ars artium, debet spectari ejus objectum sicut in cæteris artibus. Atqui in cæteris artibus, licet actio artificis quæ per artem dirigitur sit materia directionis artis, objectum tamen artis non est talis actio, sed opus quod ars considerat, efficit et construit : sicut in arte statuaria objectum est statua, et in arte textili objectum est tela. Ergo in Logica, licet actio mentis sit materia directionis Logicæ, objectum tamen non est talis operatio ; sed id quod Logica considerat, efficit et construit per modum cujusdam operis. Sed id quod Logica efficit et construit per modum cujusdam operis' est illa artificiosa dispositio quæ dicitur ens rationis. Ergo ens rationis est objectum Logicæ.

Arg. I[um. Objectum Logicæ est id quo Logica distinguitur a cæteris Philosophiae partibus, nam facultates et scientiae distinguuntur per objecta formalia. Atqui Logica distinguitur a cæteris Philosophiae partibus eo quod ens rationis considere' Ergo ens rationis est objectum Logicæ.

Proh. Minor, — Teste D. Thoma, ordo guem **ratio** cansí-

derat, sed nou facit, pertinet ad Philosophiam Naturalem; ordo quern ratio considerando facit in proprio actu pertinet ad *Rationalem* Philosophiam ; ordo autem actionum voluntatis pertinet ad considerationem Moralis Philosophiæ (1). Sed ordo quem ratio et considerat et facit est ens rationis. Ergo Logica distinguitur a Philosophia Naturali et a Moruli eo quod consideret ens rationis. Concludamus ergo cum D. Thoma (2), *Ens ralionis esi proprie subjectum. Logicæ.*

VII. — Solvuntur difficultates. I0 Objectum directivum rationis non est posterius actu rationis. Atqui ens rationis est posterius actu rationis. Ergo ens rationis non potest esse objectum directivum rationis.

Resp. Dialing, min. : Ens rationis est posterius actu rationis, in ratione effectus, concedo ; in ratione finis, nego. Et nego consequentiam.

Explicatur solutio. Ens rationis producitur a mente; ex qua parte consequitur mentis operationem et est posterius ipsa ; sed ens rationis, ut est quoddam opus artificiosum, directivum est intellectus, et ad ipsum comparatur sicut finis ; quo modo prius est intellectu et operatione ipsius.

2° Scientia, ne vana sit, debet habere pro objecto aliquid reale. Atqui ens rationis nihil habet reale. Ergo non est objectum scicntiæ logicæ.

Resp. Disting. maj. Debet habere pro objecto aliquid reale vel immediate vel mediate et fundamentaliter, concedo ; semper immediate, nego. Fictitia enim dici nequit cognitio cui respondet a parte rei aliquod verum fundamentum. Ad minorem dico, ens rationis ratiocinantis nihil habet reale, concedo ; ens rationis ratiocinatæ, nihil habet reale immediate, concedo; mediate et fundamentaliter, nego. Disting. conseq. : ergo ens rationis ratiocinantis non est objectum Logicæ, concedo ; ens rationis ratiocinatæ, nego.

3' Objectum formale est id quod per se intenditur. Sed nullus intendit per se ens ralionis. Ergo.

Resp. disi. min. Ens rationis nude sumptum non intenditur

i. lït/iic. lect. 1. — 2. I *Post.* lect. 20,

per se, concedo ; ens rationis ut est directivum mentis operationum non intenditur per se, nego ; hoc enim modo habet rationem finis respectu intellectus et potest per se intendi, sicut per se intenditur finis. Distinguo conclusionem : ens rationis nude consideratum, ut est merum ens rationis, non est objectum Logicæ, concedo ; ut est directivum et quodam modo finis intellectus, non est objectum formale Logicæ, nego.

VIII. — An Logica sit scientia, Nonnulli ex Gartesianis contendunt Logicam esse artem dumtaxat. Scholastici communiter inter scientias Logicam recensent; sed disputant utrum speculativa sit an practica. Speculativam esse tenent Scotus, Capreolus, Joannes a S. Thoma, Goudin ; practican! vero Fonseca, Conimbricenses; partim autem praeficam partirci speculativam, Vasquez, Suarez.

IX. — Prima conclusio : Logica est vera scientia. Probatur. Disciplina quæ habet actus demonstrativos est scientia. At Logica habet actus demonstrativos. Ergo. Declaratur minor. Logica non sistit in tradendis regulis, sed regulae probat. Sic demonstrat definitionem constare genere et differentia, duas contradictorias non esse simul veras, ex illo principio : *Quodlibet est vel non est;* syllogismum constare tribus terminis; novemdecim esse legitimos syllogismorum modos, etc. Imo tractando de conclusione probabili, Logica hoc demonstrative facit, nam demonstrative,ostendit quo modo sit procedendum ad conclusiones probabiles inferendas.

Altera autem quæstio videtur esse de nomine. Si enim praeticum intelligatur quod tendit ad opus sive extra sive intra intellectum, Logica certe est practica, quippe quæ regulas ad usum applicat, opusque facit intra intellectum.

At ex doctrina Aristotelis et D. Thomæ praxis designat operationem alterius potentia; ab intellectu.

Rectius ergo videtur esse dicendum :

X. — Secunda conclusio : Logica est scientia tota speculativa. Probatur. Illa scientia tota speculativa est quæ ad nihil aliud ordinatur nisi ad ipsum scire. Atqui Logica ad nihil aliud ordinatur nisi ad ipsum scire. Ergo.

Major liquet. Scire enim est veritatem contemplari ; quod ergo nullum aliud munus habet nisi scire ad solam contemplationem ordinatur.

Prob. minor. I0 Totus scopus Logic» est ut doceat scire, ut faciat scire, ut *sciat scire.* Imo, quando applicat regulas ad usum, hoc facit in ordine ad scire, quatenus mens in sua inquisitione recte procedat, seu, ut sciat scire.

2° Objectum Logicae ordinatur tantum ad scire ; ens quippe rationis est mere speculabile, nec ullatenus concipitur ut ordinabile ad praxim.

3° Modus procedendi Logic» ordinatur tantum ad scire ; non enim considerat circumstantias singulares in quibus est praxis, sed solum definitiones, divisiones, syllogismos modo abstracto.

Objicitur. — Logica applicat ad opus — atqui applicatio ad opus est praxis. Ergo Logica est practica.

Resp. Disiing. Maj. — Applicat ad opus quod est ipsum scire, concedo ; ad aliud opus, nego. Contradistinguo min. : Applicatio ad opus quod est ipsum scire est praxis, nego ; applicatio ad aliud opus, concedo ; et nego conseq.

Solutio palet ex dictis. Cum scire sit tantum speculari, applicatio ad scire est mere speculativa. Porro, ut diximus, applicatio et usus Logic» est in ordine tantum ad scire, et intra intellectum. Ergo.

XI. — Ltogicæ divisio. Nota est divisio in Logicam *naturalem* et *artificialem,* sed hic solum de divisione Logic» artificialis disserimus. Celebris autem apud Scholasticos est divisio in Logicam *Minorem* et Logicam *Majorem.*

Prima tradit regulas et præcepta, et circa quæstiones faciliores versatur ; secunda autem quæstiones magis abstrusas evolvit : agit de natura universalium, veritatis et certitudinis, de mediis ad veritatem et certitudinem perveniendi, de natura et divisione scientiarum, etc. A Modernis Minor vocatur specialiter *Dialectica,* licet dialectica designare possit totam Logicam; Major autem *Critica,* seu *Judicativa,* quia inquirit et judicat de natura et fundamentis nostr» certitudinis. Logica Minor, quia fere tota occupatur circa structuram et formam

argumentationis, dicitur a Scholasticis *Formalis.* Quæ probe distinguenda est a Logica *Formali* recentiorum Idealistarum, præsertim Kantianorum, et Herbartii sectatorum, qui asserunt Logicam versari tantum circa formalitates subjectivas mentis, nullo habito respectu ad res, seu objecta, quæ formis cogitandi respondent. Hæc perperam omnino dicuntur. Sive enim considerentur conceptus, sive definitiones, de quibus agit Logica, sive principia ex quibus procedit, sive syllogismi quos conficit, perspicuum est Logicam importare ordinem ad objecta et res. Nani conceptus referuntur ad objecta; definitiones ad res definitas; principia autem contradictionis et identitatis intelligi nequeunt si abstrahant a realitate rerum ; syllogismi etiam ordinantur ad causas rerum demonstrandas. Ergo, conceptus, definitiones, principia, ratiocinia ordinem important ad res, nec sunt puræ et vanæ formalitates. Non datur itaque Logica *Formalis* in sensu recentiorum.

Nec sub silentio prætereunda est divisio in Logicam *Docentem* et *Utentem.* Docens est quæ tradit et explicat regulas ; Utens vero quæ principia ad usum redigit. Porro Logica est utens quando in propria materia facit demonstrationes vel syllogismos probabiles ; imo etiam quando præbet aliis scientiis modum praclicum procedendi artificiose per formam syllogisticam. Docens et Utens non sunt diversæ scientiæ, nam docere et applicare sunt actus subordinali quorum alter ex altero oritur : designant igitur varia ejusdem facultatis munia. Ita Thomistæ communiter.

XII. — Praestantia Logicæ. In dubium verti non potest. « Hæc est enim ars artium, scientia scientiarum, disciplina disciplinarum. Hæc docet docere, hæc docet discere ; in hac seipsa ratio demonstrat, atque aperit quæ sit, quæ velit, quæ valeat. *Scit scire,* sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest (1). » An et qua ratione sit necessaria breviter dicendum est.

XIII. — Prima conclusio : Ad acquirendas scientias in statu imperfecto, non requiritur Logica artificialis Probatur.

1. Augustinos, *de Ordine,* lib. II, cap. xui.

Scientia in statu imperfecto est cognitio vera et certa per demonstrationem acquisita, quæ tamen non intima rei penetrat, nec potest facile et expedite suas conclusiones ab impetentibus defendere. Porro ad hujusmodi cognitionem sufficit Logica naturalis ; ratio quippe humana habet virtutem seso naturaliter evolvendi ; ratiocinium quoque est actus maxime naturalis ; ex principiis enim evidentibus homo, etiam incultus, sponte sua eruit conclusiones, quæ fiunt aliarum demonstrationum principia.

XIV. — Secunda conclusio : Logica artificialis necessaria omnino est ad cœteras scientias perfecte addiscendas. Proba' tur. Qui leges discursus non perfecte callet, nequit bonitatem aut vitium discursus cum promptitudine et primo intuitu apprehendere ; nequit analysim suorurn actuum instituere ; nec ad primas certitudines valet ascendere. At vero hujusmodi cognitionem, quæ in suis discursibus hærct, quæ nescit suæ certitudinis analysim instituere et fundamenta rimari, perfectam nemo dicet. Ergo qui non callet Logicae ct discursus leges scientia perfecta non potitur. Quo vero clarius appareat quemnam habeat Logica influxum in caderas scientias, statuitur.

XV. — Tertia conclusio : In demonstrationibus aliarum scientiarum forma syllogistica efficitur a Logica. Quando nempe, in Theologia, in Physica etc., demonstrationem syllogisticam facimus, Logica est quæ ordinat res Theologiae aut Physicæ per modum syllogismi.

Probatur. Objectum formale Logicæ ad solam Logicam pertinere debet. Atqui objectum Logicæ est ens rationis, seu ista artificiosa dispositio per modum definitionis, propositionis, syllogismi, etc. Ergo ens rationis et syllogismus, ad solam Logicam pertinet. Ergo etiam in aliis scientiis syllogismus efficitur a Logica, Ipsa itaque producit formam demonstrationum in omnibus scientiis. Dicimus *formam,* quia duo sunt distinguenda, forma nempe demonstrationis et assensus demonstrationi praestitus. Assensus porro ad Logicam non pertinet, sed ad scientias illas quæ Logica utuntur : sic inde-

monstratione theologica assensus theologicus est. At forma syllogistica ipsi Logicæ adscribitur tamquam objectum proprium et formale. ItaThomistæ communiter contra Sanseverino et alios.

XVI. — Logica est omnia et nihil. Effatum celeberrimum, quod sic intelligendum est : Logica est omnia in potentia, quia docetmodum procedendi in omnibus scientiis, unde qui perfecte Logicam noverit facile potest omnes artes et scientias capere· Est *nihil,* quatenus versatur circa ens rationis, et quatenus non docet ipsas res, sed modum procedendi in rerum cognitione.

XVII. — De Logicæ fortuna. A remotissimis temporibus perhibetur viguisse Logica, etiam apud Indos et Sinenses. Gotama, philosophus, refertur quemdam argumentationis modum syllogismo affinem adinvenisse. Græci præsertim Logicæ cultores extiterunt ; Aristoteles omnes cogitandi et ratiocinandi leges penitus rimatus est et in suis *Analyticis* et *Perihermeneias* sapientissime exposuit. Alii e regione, ut Gorgias et Protagoras, Logica abuti ipsamque in Sophisticam convertere conati sunt. Neoplatonici cum Porphyrio *rationalem* scientiam excoluere. Medio ævo quam latissime floret Logica, cujus subtilitatibus nonnulli plus æquo forte indulserunt. Orta autem philosophia quæ dicitur moderna despicitur Logica, et hinc veritatum diminulio.

Transcendentales vero Germani cum Hegel Logicæ notionem pervertunt omniaque reducunt ad subjectivas cogitandi formas. Restaurata demum a Leone XIII genuina Scholasticorum methodo, iterum in scholis Logica gradum suum obtinet.

XVIII. — Scriptores de re logica. Inter alios consuli possunt Aristóteles, in diversis operibus quæ *Organum* constituunt ; PoRPHYRtus,Zsayo<7e,Boetius, *Comment. inAristoi.jS.* Thomas, *Summa Logicæ, Comment, in Aristot. ;* Dominicus Soto, *Logica;* Alamannus, Joannes a S. Thoma, Goudin ; Bossuetius, *Logique;* Sanseverino, Pesgh, etc. Extra Scholasticos, Baco, *Novum Organum;* Cartesius, *discours de la méthode;* Leibnitz, *Noti·*

veaux essais, Auctores libri ; *Logique de Port-Royal ; Kam*nus, *Logique;* Hegbl, *Logique;* Hamilton, *Lectures of Logic,* Stuart Mill, *Système de Logique;* Bain, *Logique inductive el déductive;* Renouvier, *Logique;* Basissi, *Logique ¡V,* Gratry, Balmes, etc.

LOGICA MINOR, SEU DIALECTICA

Cum dialecticæ munus sit mentem in veritatis cognitionem dirigere, ut finem suum rite obtineat, debet mentem in omnibus propriis actibus instruere. Triplex porro est actus mentis : Apprehensio, judicium et ratiocinium.

In prima quidem operatione est una tantum notio seu conceptus, quo mens aliquid cognoscit quin tamen affirmet vel neget ; in secunda vero operatione mens duas comparat notiones quarum affirmatione vel negatione offormatjudicium ; in tertia demum operatione duo judicia copulantur ut tertium effluat.

Apprehensio ergo praecedit judicium, et judicium præsupponitur ratiocinio, nam conceptus apprehensionis sunt elementa judicii, et ipsa judicia sunt elementa ratiocinii.

Ars autem imitari debet naturam : hinc in tres partes communiter dividitur dialectica : *de simplici apprehensione*, de *judicio,* de *ratiocinio.*

At singulae mentis operationes signo externo manifestantur : signum quidem simplicis apprehensionis est *terminus,* signum vero judicii est *propositio,* signum tandem ratiocinii est *argumentatio,* cujus praecipua species est *syllogismus.*

Dialectica igitur disserere habet de terminis, propositione et syllogismo.

Tripartitus ergo erit noster Tractatus.

Ius De simplici apprehensione, ejusque signo, mempe termino ;

H“ De Judicio ejusque signo, nempe propositione ;

HI"9 De Batiocinio ejusque signo, nempe argumentatione, et praesertim de syllogismo.

TRACTATUS PRIMUS

DB SIMPLICI APPREHENSIONE EJUSQUE SIGNO

Explorandum est imprimis quid sit simplex apprehensio* quomodo fiat quibusve constet elementis.

Ista porro elementa sunt conceptus, ideae. Hinc disserendum de conceptibus et ideis, non prout considerantur in Psychologie, sed prout sunt logica elementa simplicis apprehen* sionis.

QUÆSTIO PRIMA

De elementis simplicis apprehensionis.

ARTICULUS PRIMUS.

PHÆNOTIONES GENERALES

I. — Quid sit cognitio. *Est animæ operatio vitalis et immanens per quam aliquid animæ manifestatur.* Prima conditio est ut procedat ah anima saltem sensitiva tanquam a primo principio. Rationem modo assignabimus (no. III.) Hinc omnibus quæ anima sensitiva carent repugnat cognitio; ubicumque vero anima sensitiva adest, potest cognitio dari. At eo ipso

quod hæc operatio procedat ab anima» est vitalis. Jam vero de ratione actus vitalis est, prout in Psychologie exponetur, ut sit immanens.

Operatio porro dicitur *transiens,* quando terminus est extra subjectum, in externa materia, sicut *scribere, secare;* dicitur autem *immanens,* cum terminum habet in ipso agente ; sicut *meditari, velle* remanent in ipso subjecto meditante et volente. Cognitio ergo est operatio quæ remanet in ipso cognoscente, et ordinatur ad propriam cognoscentis perfectionem.

Secundo, requiritur ut per ipsam aliquid animae manifestetur. Per cognitionem quippe anima sibi aliquid extrinsecum assimilât, et sibi assimilando illud sibi manifestum facit. Hoc maxime apparet in cognitione sensus externi, quæ est visio ; dicimur enim *videre,* quando per visum aliquid nobis ostenditur. Omnis autem cognitio dici potest visio lato sgnsu ; hinc omnis cognitio est quædam manifestatio et illuminatio.

II. — Cognitionis elementa. Quia cognitio est manifestatio, apparet duo elementa requiri : id cui fit manifestatio, seu id quod cognoscit, et id quod manifestatur. Primum est facultas seu potentia ; alterum vero objectum. Hinc axioma : *Ex objecto et potentia paritur notitia.* Porro, ut objectum cognoscatur, debet potentiam afficere, potentiam tangere, potentiæ uniri. Quo vero pacto objectum erit potentiæ præsens? Duplex tantum modus excogitari potest : vel objectum est præsens potentiæ secundam seipsum in suo esse physico ; vel fit præsens per aliquid quod sit sui vicarium. Jam vero liquet primum modum possibilem non esse : ut cognoscam arborem, non debeo arborem habere physice meæ facultati unitam. Fieri ergo debet præsens per aliquid quod sit vicarium et repræsentativum sui. Hoc autem esse vicarium et repræsentalivum objecti dicitur esse *intentionalè* vel *ideale.* Cognitio ergo paritur ex potentia et objecto *intentionaliler* potentiæ unito.

III. — Cognitionis divisio. Quia cognitio requirit ut objectum sit facultati præsens secundum esse intentionale. entia quæ non possunt recipere modo intentionali formas aliarum

rerum necessario cognitione carent. Viventia porro vegetativa tantum, sicut plantæ, non recipiunt alia entia secundum esse quoddam repræsentativum et ideale, sed unice secundum esse materiale et physicum ; quare dari nequit cognitio vegetativa.

In his autem quæ habent vitam sensitivam vel intellectivam recipiuntur formæ aliarum rerum modo intentionali : sic canis potest arborem in se recipere per aliquam arboris similitudinem. Datur ergo duplex cognitio in genere : *sensitiva* nempe et *intellectiva.* Sensitiva est actus facultatis organicae, quæ extendit se tantum ad materialia et singularia ; intellectiva vero est actus facultatis spiritualis, ac proprio circa essentias rerum, circa spiritualia, universalia, versatur. Cognitio sensitiva dicitur *sensatio ;* intellectiva autem est *cogitatio, intellectio.*

IV. — Species sensibilis —phantasma, idea. Commune est utrique cognitioni quod objectum sit præsens facultati intentionaliter. Hoc autem esse intentionale dicitur *species,* quia est rei similitudo. Species quidem qua fit cognitio sensitiva est *species sensibilis ;* et definitur : *Similitudo rei in sensu.*

At sensus sunt externi vel interni. In utraque autem cognitione, tum externa, quæ fit per sensus externos, tum interna quæ fit per sensus internos, ut est imaginatio, adsunt species sensibiles ; sed species sensibilis, prout est repraesentatio in phantasia existens, vocatur a Scholasticis *phantasma.*

Species vero qua fit cognitio intellectiva est species *intelligibilis* seu *idea.* — Definitur : *Similitudo rei in mente existens.* Sedulo distinguenda est a specie sensibili.

Commune hoc utraque habet quod sit vicaria objecti ; sed 1° species sensibilis informat tanlum facultatem organicam, id est, sensum ; idea vero informat facultatem spiritualem ; 2° species sensibilis repraesentat tantum sensibilia et singularia, idea vero repraesentat etiam immaterialia et universalia, vel singularia et materialia universali et spirituali modo.

V. — Verbum — Conceptus. Ad intellectionem requiritur ut objectum sit præsens non solum per speciem intelligibi-

lem, sed etiam in ratione termini actu cogniti. Cum enim quælibet actio terminum habeat, in intellectione etiam dehet esse aliquis terminus, qui sit imago rei actu intellectæ. Hæc porro imago rei actu intellectæ dicitur *terminus menlalis,* vel etiam *verbum mentale, species expressa,* quia per illam mens sibi dicit, et exprimit objectum. Dicitur quoque *conceptus,* cum sit quidam partus mentis objecto fœcundalæ. — Verbum porro mentale realiter differt a specie intelligìbili, quæ dicitur species impressa. Nam hæc est *principium* intelligendi, verbum autem mentale est *terminus* intellectionis ; species quippe intelligibilis movet intellectum ad agendum et verbum est id in quo actio intellectus terminatur et quiescit.

Rursus autem conceptus in duplici usurpatur sensu, unde distinguitur conceptus *formatis,* et conceptus *objections.* Etenim conceptus habet ordinem et ad objectum cujus est imago, et ad intellectum cujus est actus. Sub primo respectu dicitur *objections,* cum sit ipsum objectum idealiter ; sub altero autem respectu dicitur *formalis,* seu *subjectivus,* quia est affectio quædam subjectiva mentis. Hæ autem sunt inter utrumque differenti®. I0 Conceptus objectivus est ipsum objectum in mente actu expressum, conceptus vero formalis est affectio mentis actu percipientis objectum; 2° conceptus formalis est semper res positiva, singularis sicut ipse intellectus; conceptus autem objectivus potest esse ens rationis, ens universale, sicut objectum cujus vices gerit.

VI. Intentio, notio, notœ. Intentio designat actum quo mens in aliquid tendit, vel quo mens id quod apprehendit ordinat ad aliquid aliud cognoscendum et operandum ; dicitur intentio *prima,* si tendit ad ens reale, intentio vero *secunda* si tendit ad ens rationis. — Insuper aliquando intentio designat ipsam rem ad quam tendit actus. Unde distinguitur intentio *formalis* et intentio *objectiva,* sicut dictum est de conceptu : intentio formalis est ipse actus tendens ad objectum, intentio autem objectiva est ipsum objectum ad quod tendit actus.

Intentio dicitur *notio* quatenus est propria ratio qua res menti innotescit.

Notio confundenda non est cum *nota.* Nota in genere est

id quo res cognoscitur et ab aliis discernitur ; unde nolæ idearum dicuntur illa elementa quibus res per ideam repraesentata in se cognoscitur et ab aliis discriminatur. Sic *animalilas* et *rationalitas* sunt nolæ ideæ *hominis ; animaliias* et *hinnibilitas* sunt nolæ ideæ *equi.*

Res porro distinguitur ab aliis primo quidem per elenienta essentialia et hæc vocantur nolæ *essentiales, necessariæ;* secundario vero per accidentia, et hæc dicuntur *notte contingentes.*

VII. — Simplex apprehensio. Est mentis operatio qua intelligimus essentiam rei, quin tamen de illa aliquid affirmemus vel negemus.

Duo igitur importat simplex apprehensio : 1° quod sit cognitio manifestans aliquid menti, nimirum quæ sit rei essentia, 2° quod affirmatione et negatione careat. Hoc autem ultimum contingere potest, vel quia apprehendens est perfectissimus, uno ac simplici intuitu videns omnia quæ sunt in re, quin affirmare vel negare indigeat, ut est Deus ; vel e contra, quia imperfecte cognoscit, et ab affirmatione vel negatione abstinet, eo quod nondum videat nexum inter subjectum et prædicatum. Hæc est apprehensio quæ initium est cognitionis humanœ et de qua hic agitur.

Omnis simplex apprehensio fit quidem per ideam tum impressam tum expressam. Sedulo tamen distinguenda est a speciebus : apprehensio quippe est actus cognoscitivus, species aulem impressa est illius actus principium, species vero expressa terminus.

VIII -- Diversi actus qui reducuntur ad apprehensionem. Sunt *abstract™, attentio, consideratio, contemplatio.*

Abstract™ in triplici præcipue sensu potest sumi :

I0 Designat separationem formæ a subjecto, ut si considerem scientiam separatimi a subjecto sciente, virtutem a virtuoso, albedinem a subjecto albo. 2° Designat actum quo universale eruitur ex singulari, sicut ex hac arbore quæ sensum percellit intellectus eruit ideam arboris in genere. 3° Designat actum quo mens ex diversis quæ sunt in eodem objecto ali-

quid seporatim considerat. Est ipsa simplex apprehensio prout est cognitio unius non cognitis aliis quæ huic adjuncta sunt. Mens nempe alias nolas negligit ut unam consideret *separatim,* licet non separatam a cæteris. Haec abstractio dicitur etiam *praecisio.* Scholastici porro duplicem distingunt praecisionem : *objectivam* nempe et *formalem. Objectiva* est quum ea quæ ab invicem praescinduntur, licet non realiter diversa, ita in mente distinguuntur ut conceptus unius non includat conceptum alterius. Abstraho, vg. aninialitatern a rationalitate : in homine, re quidem sunt idem animal et homo, attamen conceptus animalitatis non includit necessario conceptum rationalitatis. Hoc casu abstractio, habens fundamentum ex parte objectorum, merito dicitur *objectiva. — Formalis* vero est quum res præcisæ ita uniuntur ut conceptus unius includat conceptum alterius sicut notio *veri* includit conceptum *entis.* Hæc abstractio vocatur etiam *per modum includentis et inclusi et per modum explicitiel impliciti.*

Attentio est applicatio mentis reducta ad aliquid unum præ cæteris considerandum. Mens quasi ab aliis objectis fugit ut obtutum suum in unum figat, sive illud sit una indivisibilis notio, sive plures notiones contineat.

Consideratio est attentio prout specialiter et gradatim ad singulas paries objecti descendit ; licet in genere designet omnem mentis operationem.

Contemplatio, juxta Richardum a S. Victore, est liber ei perspicax intuitus animi in res percipiendas. Est igitur quaedam simplex apprehensio perfectioris generis.

ARTICULUS SECUNDUS

DB DIVISIONE CONCEPTUUM

I. — Quatuor divisionis fontes. Quia simplex apprehensio fit per ideas seu conceptus, tractatus de prima operatione disserere habet de divisione conceptuum.

Conceptus porro, ut diximus, est expressio objecti in mente.existens. Fundamentalis ergo conceptuum divisio desumenda est ex ipsis objectis et ex majore vel minore extensione objectorum. At objectum potest perfectiori vel imperfectiori modo repraesentari : hinc secundus fons divisionis. Conceptus demum inter se comparari possunt, et hinc tertius fons divisionis ; et in ordine ad mentem a quo originem ducunt, et hinc quartus fons divisionis. Ita communiter.

II. — Exparte objecti, conceptus est positivus vel ne^s. tivus. *Positivus* dicilur cujus objectum est aliqua entilas, ut *vita, lux ; negativus* autem cujus objectum est carentia vel privatio entilatis. Quia vero nihilum non potest secundum seintelligi, idea negativa non repræsentat ipsum nihilum, ut putat Hegel, sed duo importat : I0 entitatem, 2° negationem hujus entitatis. Sic concepius *mortis* exhibet *vitam ut negatam** conceptus *tenebrarum lucem ut negatam.*

Distinguitur etiam conceptus *positivo-negativus,* cujus objectum est entitas positiva, quæ tamen propter suam perfectionem et intellectus nostri imperfectionem, per modum cujnsdam negationis intelligitur. Sic est conceptus *infiniti.* — Objectum quidem est maxime positivum, at ejus conceptu

importat duplicem negationem : limitem nempe et negationem limitis.

III, — Conceptus simplex, conceptus compositus. Juxta plures recentiores conceptus *simplex* illo est qui exhibet menti unum simplex elementum, unam tantum notam ut *ens. Compositus* vero est qui exhibet plures notas, sicut *homo* constat ex nola *animalitatis* et nota *rationalitatis* (1).

E contra, juxta scholasticos, simplex est qui repræsentat unam essentiam indivisibilem, licet forte pluribus notis constantem ; compositus vero est qui repræsentat essentiam multiplicem ; sic conceptus *poetse* includit essentiam *hominis* et formam accidentalem *poetæ.*

Modus autem loquendi Scholasticorum praeferendus est. Nam conceptus mensuratur ex essentia quam repraesentat. Sed essentia potest esse indivisibilis licet pluribus notis constet : unica enim et indivisibilis est homir.is essentia, quæ tamen includit animalitatem et rationalitatem. —Ergo conceptus indivisibilis et simplex est, licet plures nolas exhibeat, dummodo illœ notæ inseparabiles sint ab invicem.

IV. — Conceptus geometricus et purus. *Geometricus* significe t materiam vel extensionem, ut est *corpus, angulus* ; conceptus vero *purus* exhibet rem ab omni materia abstractam, ut est *Deus, anima, veritas.* Distinguit Kantius conceptum *purum, empiricum* et *mixtum. Purus* conceptus est qui ab experientia non originatur ; *empiricus* qui ab experientia dependet, *mixtus* vero qui ex utroque participat.

V. — Conceptus concretus et abstractus. Conceptus *concretus* dicitur qui designat simul subjectum ct formam qua subjectum afficitur et denominatur ; sic *homo* designat simul et formam humanitatis et subjectum quod humanitate afficitur.

1. Ita etiam opinatur Lockius, ideam simplicem vocans quæ in piares notas resolvi nequit sed uniformem conceptionem producit. Cui sententias aliquatenus accedit Leibnitz, ideas compositas habens quæ referunt figuras et motus multiplices.

Conceptus autem *abstractus* designat solum formam a subjecto separatam ; sicut est *humanitas, virtus.*

Triplex porro est species concreti. Si forma concreti est subjecto intrinseca et essentialis, ut *humanitas* in homine, habetur concretum *metaphysicum* ; si autem forma est intrinseca quidem, sed non essentialis, ut *virtus* in virtuoso, habetur concretum physicum ; si demum forma nec essentialis nec intrinseca, sed extrínseca tantum est, ut *honor* in honorato, habetur concretum logicum (Zigliara).

Concretum et abstractum specialem habent significationem cum numeris applicantur. Numerus enim concretus designat multitudinem rerum determinatarum, v. g. *centum homines;* abstractus vero multitudinem rerum quarumcumque, v. g. *centum.*

VX. — Conceptus intentionis primæ et intentionis secundœ. Conceptus *realis* seu intentionis *primæ* ille est cujus objectum habet esse extra mentem ; conceptus autem *logicus* seu intentionis *secundas* est cujus totum esse objeclivum est in mente et a mente. Recte quidem dicitur intentio *secunda,* quia, sicut cognitio rei sequitur entitatem rei, ita status essendi in cognitione est secundus respectu status essendi in re, qui est primus.

VII. — Conceptus singularis et universalis. Objectum conceptu expressum potest ad plura se extendere vel uni tantum esse proprium. Unde divisio in conceptum *singularem* et *universalem.*

Singularis est cujus objectum ita restrictum et determinatum est ut omnes ejus determinationes simul acceplæ non possint convenire pluribus ; quo fit ut sit penitus incommunicabile. Hoc objectum est individuum, de quo est axioma : *Individuum est incommunicabile.* Cur vero ita restrictum et determinatum est? Quia habet quàsdam notas,quædamve principia individuantia quorum collectio ipsi soli convenit. Hæc autem sunt principia individuantia.

> *« Forma, figura, locus, stirps, tempus, patria, nomen.*
> Hæc ea sunt septem quæ non habet unus et alter. »

Figura designat tum vultus lineamenta tum dispositionem membrorum et partium ; *forma* vero designat sive quamlibet qualitatem figurae inhaerentem sive temperamentum et complexionem corporis; *stirps* parentes; *nomen* vocabulum proprium, ut *Socrates.*

— Conceptus autem *universalis* dicitur cujus objectum est conimunicabile pluribus subjectis ; sicut *substantìa* pluribus communicatur, nam homo est substantia, lapis est substantia.

Illa porro subjecta quibus communicatur universale dicuntur *inferiora,* et ipsum universale se habet ut superius : *Homo* est inferius respectu *animalis, Petrus* est inferius respectu *hominis.* Universale excedit quidem inferiora in *extensione,* sed inferiora excedunt universale in *comprehensione. Extensio* conceptus designat numerum subjectorum quibus applicatur ; *comprehensio* vero numerum elementorum seu notarum quibus constat. Universale porro se extendit ad plura subjecta quam ipsius inferiora ; *animal* plura habet subjecta quam *homo'* quippe quod se extondil et ad hominem et ad bovem ; sed universale pauciores habet notas quam inferiora. *Homo* sibi vindicat omnes nolas quae sunt in *animali,* ct insuper aliquam notam quæ in conceptu animalis non includitur, nimirum *ra, tionalitatem ;* pariter Petro adscribuntur omnia elementa quæ sunt in *homine,* et insuper principia individuunlia, quæ non includuntur in hominis conceptu. Ergo universale excedit inferiora in extensione, sed exceditur ab ipsis in comprehensione.

VIII. — Conceptus particularis et generalis. *Particulare* confundendum non est cum *singulari,* nec *universale* cum *generali.* Conceptus *particularis* est conceptus universalis sumptus cum quadam restrictione, v. g: *aliqui homines.* Con* ceptus autem *generalis* est conceptus universalis absque restrictione acceptus. Potest ergo dari conceptus universalis qui non sit generalis. Universale opponitur tantum singulari; particulari autem opponitur proprie generale. Aliquando tamen terminus particularis potest ex adjunctis designare individuum, et tunc non est conceptus universalis, sed singularis, ut si dicam: *Aliquis homo fuit immediate a Deo creatus;* manifestum est agi de Adamo.

IX. Conceptus particularis dividitur in particularem determinatum et particularem indeterminatum. Primus dicitur qui convenit quidem pluribus, sed designat aliquam determinatam individuorum categoriam., ut si dicam : *aliqui homines electi sunt a Christo ad prædicandum eoangelium,* hic sermo est de duodecim Apostolis. Si vero conceptus non designet specialiter certa individua, dicitur *indeterminatus,* v. g. *aliqui homines ambulant.*

X. — Conceptus generalis dividitur in distributivum et collectivum. Conceptus dicitur *distributions,* quum res quam exprimiteonvenit omnibus et singulis individuis sub universali contentis, v. g : *homo* convenit omnibus individuis humanis et simul et divisive sumptis ; conceptus autem *collectivus* designat aliquid commune pluribus simul, non autem separatim et divisive sumptis. Res nempe significata convenit toti quidem collectioni, at non singulis quæ collectionem eflormant ; *exercitus, agmen, civitas,* non attribuuntur cuilibet militi aut cuilibet civi.

Conceptus distributivus et collectivus in hoc conveniunt quod uterque significet aliquid commune pluribus et aliquam unitatem inter plura ; sed aliunde maxime dilferunt. Conceptus enim distributivus importat unitatem naturæ inter plura individua, unde hæc natura potest singulis individuis attribui, sicut natura humana singulis hominibus ; conceptus autem collectivus importat tantum unitatem ordinis, et quia non quodlibet individuum est ordo, ideo non potest conceptus collectivus de singulis individuis prædicari : sic exercitus non prædicatur de quolibet milile A distributivo igitur ad collectivum non valet sequela. Distributivus iterum dividitur in univocum et analogum, ut dicetur articul. seq.

XI. — De secunda partitione conceptuum nempe ex modo repraesentandi. Conceptus *clarus* ille est qui objectum ita repraesentat ut id possit facile ab aliis discerni. Conceptus vero *distinctus* ita exprimit objectum ut id possimus non solum ab aliis discernere, sed etiam notas quibus constituitur et ab aliis differt apprime cognoscere. Addit aliquid supra conceptum clarum ; hinc omnis conceptus distinctus est cla-

rus, licet non omnis conceptus clarus sit distinctus. Conceptus *obscurus* opponitur conceptui claro ; est ille cujus objectum non facile ab aliis discerni potest. Conceptus autem *confusus* opponitur conceptui distincto, non tamen conceptui claro. Sæpe enim contingit ut ideæ licet claræ in se, ob defectum tamen distinctionis, confusœ fiant.

Conceptus distinctus dividitur in *completum* et in *incompletum. Completus* est conceptus *totius* repræsentans omnes notas distincte ; *incompletus* vero est conceptus vel non repræsentans omnes notas, vel omnes non distincte. Iterum conceptus completus dividitur in conceptum *adaequatum* et conceptum *inadæquatum.* Non omnes auctores eodem modo definiunt. Alii conceptum adæquatum cum conceptu completo confundunt. Juxta alios vero conceptus adæquatus est qui adæquat objectum, ita ut exhibeat omnia quæ sunt in ipso volesse possunt, et exhauriat ejus intelligibilitatem; quod si non præstet, erit inadæquatus. Rursus voro adæquatus dicitur *apprehensivus,* vel *comprehensivus. Apprehensivus* est qui exhaurit objecti intelligibilitatem extensive, nempe quoad omnia objecta quibus applicatur ; *comprehensivus* autem qui exhaurit objecti intelligibilitatem *et extensive* et *intensive,* qui nempe clare et distincte repraesentat omnes perfectionis gradus qui in re sunt vel esse possunt, omnia quæ cum re ipsa relationem habent vel habere possunt. Hujusmodi conceptum solus Deus habet.

XII —De tertio fonte divisionis conceptuum.nempe ex comparatione idearum inter se. Conceptus *identici* dicuntur qui iisdem notis constant, ut *Plato et Aristonis filius ;* secus sunt *diversi.* Possunt autem esse identici ex parte, diversi vero ex alia parte ; sicut *animal rationale* et *animal [irrationale* sunt identici quoad notam animalitatis, diversi quoad cœtera. Distinguunt nonnulli auctores identitatem et diversitatem *intrinsecam,* quæ afficit conceptus, aliam vero *extrinsecam* vel *objectivam* quæ reperitur in rebus. At non recte ; conceptus enim mensuratur essentialiter ex objecto formali ; unde si objectum formale est identicum vel diversum, conceptus necessario est identicus vel diversus : eadem ergo est diversitas intrinseca et objectiva.

Conceptus *associati* vel *pertinentes* dicuntur quorum alter necessariam habet connexionem cum allero ita ut illud necessario aut includat, ut *pater* et *filius.,* aut excludat, ut *lux* et *tenebræ.* Si vero unus non necessario alium excitat, dicuntur *dispariti* vel *impertinentes.* Nexus porro in conceptibus associatis, potest esse *objections,* seu ex ipsis objectis proveniens, et triplex ost : I0 *similitudo,* 2° *oppositio,* ut mìa *eimors,* etc., 3° *cuusalitas,* ut *ignis* et *fumus* etc. Vel *subjectivus,* seu pendens ex conditione subjecti cognoscentis. Triplex ost etiam: 1° *siniultaneilas,* quia nempe isti conceptus habiti fuerunt codein tempore, 2° *similitudo conditionum* in quibus fuerunt habiti ; 3° *similitudo vel dissimilitudo effectuum* seu impressionum quas produxerunt.

Conceptus *compatibiles* seu *sociabiles* dicuntur qui eidem subjecto simul convenire et in unum conceptum conjungi possunt, ut *justitia* et *misericordia ;* conceptus autem *repugnantes* sive *insociabiles* quorum unus directe vel indirecte, ex parte vel ex toto importat negationem alterius, ut *vita* et *mors, virtus* et *vitium.* Haec repugnantia vocatur oppositio, quæ quadruplex est : *contradictoria,privativa, contraria, relativa.* De his loquemur in Postprædicamentis.

XIII. — De quarta partitione conceptuum, nempe ratione originis seu in ordine ad mentem. *Intuitions* conceptus est quo res cognoscitur per speciem immediate ab ipsa re acceptam ; *abstractivas* vero est quo res cognoscitur per speciem non ab ipsa re acceptam, sed ab alia in qua ipsa res repraesentatur. Quæ ut inlelligantur, recolenda sunt quæ diximus de cognitione (art. I). Ut fiat cognitio, objectum debet esse præsens cognoscenti ; potest autem esse præsens vel secundum essentiam, sicut Deus est præsens menti Beatorum ; vel per speciem propriam, id est a seipsa emissam : sic oculus librum videt per speciem ipsam quam liber ingessit ; vel tandem potest esse præsens per speciem ab alia re acceptam. Sic Petruin cognosco per speciem emissam a speculo in quo ejus imago vesultat. In primo et secundo casu est cognitio intuitiva. Ad cognitionem igitur intuitivam non requiritur præsentia rei per essentiam, sufficit præsentia per speciem propriam : sic visio extprna dicitur cognitio intuitiva licet objectum non sil

Quatuor fontes divisionis

- Positivus vel negativus — positivo-negativas.
- Simplex vel Compositas.
- Concretus vel abstractus. — Triplex concretum { Physicum. Logicum. Metaphysicum.
- Geometricus et purus vel mixtus.

I. Ex objecto :

- Singularis
- Particularis
- Indeterminatus
- 2° quoad extensionem objecti: Universalis
  - Generalis
    - Distributivas
    - Collectivus
  - Univoci. — Non sunt conceptus «equivoci.
  - Analogi. — Analogia { Proportionis. Attributionis. Proportionalitatis.

II. Ex modo repraesentandi :

- Clarus vel obscurus.
- Completus
  - adaequatus — Comprehensivus.
  - inadiequatus
- Distinctus
- Incompletus — Apprehensivus.
- Vel confusus
- Identici vel diversi.

IIT Ex comparatione conceptuum inter se :

- Associati et pertinentes. — Causae associationis vel disparati et impertinentes.
- Ex parte objecti
  - Similitudo.
  - Oppositio.
  - Causdlites
  - bimultaneitas.
- vel Ex parte subjecti
  - Similitudo circumstantiarum.
  - similitudo vel dh^ImSjtudo effectuum vel impre.Rianimi.
- Compatibiles et sociabiles.
- Seu repugnantes et insociabiles
  - Repugnantia vel oppositio
    - Directa vel indirecte
      - Contradictoria.
      - ^ia.
      - Relativa.
    - Ex parte vel ex toto

IT. Ratione originis seu ex ordine ad mentem:

- (ntuitivus et quidditativus vel abstractivas.
- Directus vel reflexus-

in oculo per essentiam præsens. Vicissim omnis cognitio intui* tiva dicitur *visio,* dum cognitio abstractiva dicitur *specularis.*

Conceptus *quidditativus* est conceptus intuitivus repræsen tans clare, distincte, perfecte, et usque ad ultimam differentiam omnia prædicata rei essentialia. In sensu tamen lato conceptus quidditativus dici potest is omnis qui exprimit rei quidditatem.

Conceptus *directus* est ille qui primo et directe acquiritur ex objecto ; reflexus vero est quem intellectus efformat redeundo supra suum actum vel actus objectum. Sic intellectus· directe *virtutem* inlelligit, deinde redeundo supra actum qui est spiritualis et objectum, quod etiam est spirituale, efformat conceptum reflexum suiipsius.

XIV. — Schema omnium conceptuum.

ARTICULUS TERTIUS

DE UNIVOCIS, ANALOGIS ETC.

I. — De-univocis. Praecipua divisio conceptus distributivi est in univocum et analogum. Quia vero divisio hæc maximi est momenti in philosophia, uberius nunc de univocis et analogis est disserendum.

Univoca (synonyma) porro dicuntur quorum nomen est commune et ratio nomine significata, simpliciter eadem : Pe*trus est homo, Paulus esi homo ;* hic noinem commune est utrique, et natura nomine significata est simpliciter eadem in Petro et Paulo. Hæc autem ratio potest esse eadem vel secundum *speciem* ut iu isto exemplo, vel secundum genus dumtaxat : *Pelrus est animal, bos est animal.*

II. — Analoga. Dicuntur quorum nomen est commune et ratio nomine significata nec est simpliciter diversa nec simpliciter eadem, sed importat quamdam proportionem vel similitudinem. *Animal sanum, cibus sanus.* Ibi nomen est commune, ratio autem nomine significata, *sanitas,* non est simpliciter eadem in animali et in cibo, nec simpliciter diversa ; adest sane qûædam proportio, nam est sanitas in animali ut in subjecto, in cibo vero ut in causa. In hoc ergo exemplo ve rificatur propria analogiae definitio.

III. — Divisio analogias. Licet auctores in re conveniant, non tamen eodem sensu vocabula usurpant ; non pauci enim pro eodem sumunt analogum *proportionis* et analogum *attributionis,* quidam vero distinguunt.

Nos vero, claritatis causa, triplicem distinguimus analogiam : *proportionis, attributionis* et *proporlionalitatis.*

Analogia proportionis habetur, cum ratio nomino significata est in uno intrinsece et essentialiter, in alio vero extrinsece, secundario, et per respectum ad primum. *Sanitas* est in animali intrinsece el essentialiter ; in cibo autem extrinsece tantum, secundario, et per respectum ad animal. — Est vero *analogia attributionis*, cum res nomine significata dicitur de pluribus in ordine ad aliquod tertium. *Cibus sanus, color sanus.* Si sanitatem cibo et colori tribuimus, ideo non est, quia sanitas inveniatur principaliter in cibo, in colore aulem per respectum ad cibum ; sed et color et cibus dicuntur sani quia utrumque habet ordinem ad aliquod tertium in quo sanitas proprie invenitur, scilicet animal : cibus quippe dicitur sanus ut causa sanitatis et color dicitur sanus ut signum sanitatis.

In analogia attributionis semper adsunt tres saltem termini, duo nempe qui comparantur inter se, ut *cibtis* et *color,* e tertius in ordine ad quem fit comparatio, ut *animal* in isto exemplo. In analogia vero poportionis adsunt duo tantum termini, alter in quo ratio significata invenitur proprie et intrinsece, alter vero in quo ratio est extrinsece, secundario et per respectum ad primum.

Summum analogatum vocant illud in quo ratio significata est intrinsece et essentialiter, et in ordine ad quod cætera dicuntur. Dicitur etiam *famosius* et *principalius* analogatum.

Quædam exempla utriusque analogiæ : *Essentia divina, scriptura divina;* analogia proportionis, quia divinitas est in essentia Dei intrinsece, in scriptura vero extrinsece. — *Scriptura divina, verbum divinum,* analogia attributionis, nam et scriptura et verbum dicuntur divina in ordine ad tertium, scilicet essentiam divinam.

Anima sacerdotalis, vestis sacerdotalis, analogia proportionis : sacerdotium quippe est intrinsece in anima, extrinsece autem in veste. *Vestis sacerdotalis, oratio sacerdotalis,* analogia attributionis : vestis et oratio dicuntur sacerdotales in ordine ad tertium.

Proportionalitas importat proportionem proportionum. Unde *analoga proportionalitalis* dicuntur : *Quorum nomen*

commune est, ratio autem significata eadem est secundum convenientiam proportionum. Hoc modo sejvet *quatuor* sunt analoga : sex quippe se habet ad tria, sicut quatuor ad duo ; sicut enim senarius est duplum ternarii, ita quaternarius binarii. Pariter hoc modo analoga sunt *pes* hominis, et^es montis, quia pes montis est respectu montis id quod pes hominis est respectu hominis. Analogia proportionalilatis dividitur in *propriam* et *metaphoricam. Propria* est cum ratio nomine significata invenitur in ulroque analogato formaliter et vere, licet non eadem simpliciter ratione, — sicut *ens* invenitur proprie in substantia et accidente. Licet enim esse substantiæ et esse accidentis dicantur secundum convenientiam proportionum, substantia tamen proprie et intrinsece est ens, et accidens proprie et intrinsece est ens. — *Aletaphorica* est, cum ratio significata invenitur formaliter in uno, et similitudinarie seu per translationem in altero : sicut *risus* est formaliter in homine, metaphorice autem in prato ; sicut *oculus* est formaliter in corpore, per translationem vero in anima. Hæc analogia licet fundamentum habeat in natura, praecipue tamen ex usu et conventione hominum provenit. Hujusmodi autem non sunt analogata naturalia et proprie dicta, sed vocantur a Gajetano *analogata abusive* (1),

IV. — Conditiones analogorum. Analogorum proportionis vel attributionis quatuor sunt conditiones : *Prima* est ut in principali analogato inveniatur forma intrinsece, in aliis vero extrinsece et per denominationem ; ut diximus de sanitate, quæ est intrinsece in animali, denominative in colore. Ratio hujus conditionis liquet. Si in omnibus est forma intrinsece, vel est omnino similis in omnibus, et tunc erit univocum, vel omnino diversa, et erit æquivocum, vel est intrinsece in omnibus sed tantum secundum convenientiam proportionum, et erit analogia proportionalitatis. Ergo ut detur analogia distincta ab analogia proportionalitatis, requiritur ut forma sit in uno intrinsece, in cæleris vero extrinsece. *Secunda* condi-

1. Cf. Cajet. Opuse, *de analogia nominum* et comment, in 1. P. q. 13, a. 5.

tio, quæ sequitur ex prima, est ut forma analoga sit una numero, quippe quæ invenitur tantum in summo analogalo. *Tertia* conditio est ut forma principalis analogati ponatur in cætcrorum delinilione. Ratio est, quia cætera denominantur a principali : sic non potest intelligi quid sit sanitas in cibo, nisi cognito quid sit sanitas in animali. *Quarta* est ut summum analogatum et cætera analogata non habeant unum conceptum objectivum. Etenim conceptus debet corresponderé formæ. Atqui hujusmodi analogata non habent unam formam quæ sil intrinsece in omnibus, sed eorum unitas est unitas ordinis unius vel plurium ad unum terminum a quo denominatur. Ergo non possunt habere unum conceptum objectivum ; hinc conceptus *sanitatis* non completur proprie nisi in animali. Diversi ergo adsunt conceptus pro diversis analogatis.

Datur tamen unitas quædam comparationis ad unum terminum, et hinc differunt ab æquivocis, in quibus talis unitas comparationis deest.

In analogis proportionalitatis metaphoricæ adsunt similes conditiones. Manifestum est risum non esse intrinsece in homine et in prato, nec risum hominis et risum prati habere unum et eumdem conceptum objectivum. — Analogia autem proportionalitatis proprie dictæ tres habet conditiones omnino diversas, quæ sic exprimuntur. *Prima* : Forma analogorum invenitur intrinsece in summo analogato, et intrinsece, etiam in aliis, licet non eodem modo. Hujusmodi quippe analoga distinguenda sunt ab analogis proportionis et attributionis, et ab univocis. Distinguuntur vero a primis eo quod in illis forma intrinsece in summo tantum analogato reperiatur ; distinguuntur demum ab univocis, quia forma non invenitur in omnibus eadem ratione. Sic forma *entis* est intrinsece in substantia et accidente, non tamen eadem ratione, cum substantia sit ens in se, accidens vero ens in alio. *Secunda* condilio sequitur ex prima : Principale analogatum non est ponendum in definitione aliorum ; hæc enim habent formam qua intrinsece denominantur. *Tertia* : Hæc analogata possunt habere conceptum unum unitate imperfecta. Ratio patet. Conceptus mensuratur formæ quam repræsentat. Atqui hæc analoga habent unam formam intrinsece. Ergo habent unum conceptum. Quia tamen forma non

oat in omnibus secundum eamdem rationem, conceptus non erit unus unitate perfecta, sed unitate secundum quid.

V, — Modus loquendi S. Thomae. Distinguit Angelicus (1). I0 *Analoga secundum intentionem et non secundum esse.* Haec sunt analoga proportionis et attributionis ; forma invenitur in omnibus secundum intentionem, id est denominative et exirinsece ; sed non secundum esse, id est, non intrinsece. — 2° *Analoga secundum intentionem et secundum esse.* Hæc sunt analoga proportionalitatis proprie dictæ. Invenitur forma in omnibus secundum esse, id est intrinsece, et insuper secundum intentionem, quia forma non est in omnibus eadem ratione. — 3° *Analoga secundum esse et non secundum intentionem,* Hæc vocantur a Gajetano et aliis analoga *inaequalitatis*, sed proprie analoga non sunt. Habetur hæc analogia, cum ratio significata prædicatur univoce de omnibus, sed esse est perfectius in uno quam in alio. Dico : *corpus corruptibile est corpus ; corpus incorruptibile est corpus.* Nomen *corpus* prædicatur univoce de corpore corruptibili et de corpore incorruptibili, sed esse naturae non est ejusdem rationis in corruptibilibus et in incorruptibilibus. Si hæc considerantur *physice* et *secundum esse,* dici possunt analoga, quia materia corruptibilis et materia incorruptibilis nec simpliciter est eadem, nec simpliciter diversa ; at, si considerantur *logice* et *secundum intentionem,* non competit eis definitio analogorum, sed potius univocorum, quia corpus corruptibile et corpus incorruptibile eamdem rationem corporis habent ; utrumque enim designat compositum ex materia et forma. Unde talia non computantur inter analoga proprie dicta.

VI. — De Æquivocis. ./Equivoca (homonyma) dicuntur quorum nomen est commune, et ratio significata simpliciter diversa. Sic nomen *canis* dicitur desidere, de pisce, de animali domestico, quæ sunt res simpliciter disparatæ. Aliquando est æquivocum *a casu,* ut in dicto exemplo ; nonnunquam est æquivocum *a consilio,* quando communio ejusdem nominis

i. Disi. 19, q. 5. 2 : I. D. 3o, 4.

fit ex consideratione quadam, ut si quis vocat filium suum *Dominicum,* quia sperat ipsum ingressurum fore ordinem *£. Dominici.* Latini vocant etiam æquivocum a consilio ipsum analogum, de quo dictum est.

Æquivocatio convenit solis vocibus, nam idea, sicut et quaevis imago, ita unum objectum repræseniat ut non possit esse alterius repræsentativa.

VII. — De Denominativi^. Denominativa (paronyma) dicuntur concreta accidentalia, quatenus denominantur a forma quam signi"cant et hujusmodi denominationem subjecto tribuunt. Sic *grammaticus* denominatur a *grammatica, fortis a fortitudine, album ab albedine.* Quia denominativa sunt accidentalia, hinc est quod praedicari *denominative* sit praedicari *accidenialiler.*

Vili. — Scholion de causis analogiae, Explanatis notionibus univocorum,analogorum, æquivocorum et denominativorum, nonnulla addenda sunt de causis analogiæ. Suarez existimat solam dependentiam esse causam analogiæ', alii vero solam transcendendam, Thomistæ autem ponunt utramque.

Imprimis quidem, dependentia in participanda aliqua ratione communi est sufficiens analogiæ causa. Nam dependentia hujusmodi est ordo prioris et posterioris in participanda ratione communi. Atqui ordo prioris et posterioris in participanda ratione communi est sufficiens analogiæ causa. Ergo.

Proh. min.Habetur analogia cum aliqua ratio communis invenitur in uno per prius et principaliter, in cæteris vero secundum quid. Atqui ordo prioris et posterioris in participanda aliqua ratione communi necessario efficit ut illa ratio sit in uno per prius, ideoque principaliter, in cæteris autem per posterius, seu modo secundario et secundum quid. Ergo ordo prioris et posterioris in participanda aliqua ratione communi inducit analogiam. Hinc Angelicus (i) colligit analogiam inter Deum et creaturam ex dependentia creaturae a Deo, qui est ens per essentiam.

i. I, p. q. 14, art. Ill, ad. 3.

Secundo etiam transcendentia est causa sufficiens analogiæ. Transcendentia est ratio communis quæ est extra omne genus et differentiam et imbibitur in omni conceptu, sicut ratio entis.

Porro hæc ratio communis causât analogiam. Etenim analogia importat ut plura nec simpliciter eamdem nec simpliciter diversam habeant rationem, sed in aliquo conveniant et in aliquo differant. Atqui vi transcendentiæ inferiora in aliquo conveniunt, scilicet in illa ratione communi quæ in omni conceptu imbibitur ; et in aliquo differunt, nam illa ratio communis non eodem modo ab omnibus contrahitur : sic ratio entis diversimode participatur a Deo, qui est ens per essentiam •et a creatura, quæ est ab alio ; a substantia quæ est ens in se et proprie existens, ct ab accid nte, quod estons entis seu ens in alio. Ergo transcen 'entia infert et causât analogiam.

Analogia quidem attributionis et proportionis causatur ex dependentia, nam hæc analogia viget inter plura quæ denominantur a forma quæ est in uno per prius, in cæteris autem per dependentiam ab illo priori. Analogia proportionalitatis metaphoricæ causatur etiam ex dependentia, nam forma analoga est in uno intrinsece, in alio vero extrínseco et per dependentiam a priori.

Analogia autem proportionalitatis proprie dictæ causari potest tum a transcendentia, sicut modo ostensum est de ratione entis ; tum a dependentia, quando forma analoga in uno pendet ab alio, sicut ratio entis in accidente pendet a substantia.

ARTICULUS QUARTUS

DE TRANSCENDENTALIBUS ET UNIVERSALIBUS

I. — De Transcendentalibus. Explicata notione univoci et analogi, disserendum venit de praecipuis conceptibus analogicis et univocis, scilicet de Transcendentalibus et Universalibus. Transcendentale dicitur quod est supra omne genus et omnem speciem. Definitur : *Id quod convenit aliqua saltem ratione omnibus ac singulis quæ sunt vel esse possunt.* Sex autem enumerantur transcendentalia : *res, ens, unum, aliquid, verum, bonum.*

fíes designat subjectum quod habet esse, *ens* vero subjectum concretum, nempe et id quod habet esse et ipsum esse. Omne porro ens est indivisum in se, unde fit *unum* ; et divisum a quolibet alio, et sic dicitur *aliquid,* quasi *aliudquid ;* habetque ordinem ad intellectum, unde fit *verum,* et ad voluntatem, unde fit *bonum.*

In praxi *res* etens promiscue usurpantur ; licet autem *aliquid* designet *èns ut divisum a cæteris,* reducitur tamen ad *ens vel ad unum.* Sunt igitur sex vocabula, sed quatuor tantum transcendenfaKa communiter assignantur : *ens, unum, verum, borrar.'.* De his tractatur ex professo in Melaphysica (i).

II. — Universale. Definitur : *Unum aptum inesse pluribus et prædicari de illis univoce.* Duæadsunt maximae differenti® inter universalia et transcendentalia : I0 Transcendentalia sunt in omnibus speciebus et generibus, sed non continentur ab ipsis ; sunt *in* et *extra* genera, *in* et *extra* omnem catego-

Í. Metaphys. Ontol. Tract. I et Tract. II.

riam. Universalia vero designant genus et speciem determinatam, quæ quibusdam conveniunt et non aliis ; ad categorias revocantur, nec possunt extra omnem categoriam vagari. — 2° Transcendentalia prædicantur *analogice* tantum de suis inferioribus ; quo pacto ens prædicatur analogico de Deo et creaturis, de substantia et accidente ; nam esse convenit Deo essentialiter et necessario, creaturæ autem contingenter; convenit substantiæ tanquam proprie existent!, scilicet existent! in .seipso; convenit vero accidenti ut existenti tantum in alio, unde accidens potius *inest* quam est. Universalia, e contra, prædicantur de suis inferioribus *univoce* ; sic genus convenit eadem ratione omnibus ac singulis quæ genus participant, et similiter species humana eadem ratione tribuitur singulis individuis humanis.

III. — Universale directum, reflexum. In conceptu univer salis V. g. in *homine,* potest considerari ipsa natura per definitionem expressa, quoad suas notas constitutivas, non curando an sit in pluribus necne. Universale hoc modo sumptum dicitur *metaphysicum, directum,* quia pertinet ad directam mentis considerationem. Potest insuper mens reflectere et considerare naturam, non jam quoad principia constitutiva, sed reduplicative ut pluribus communicabilem. Haec autem ratio essendi in multis, hæc communicabililas ad plura dicitur universale *logicum, reflexum.* De hoc in præsenti agitur.

IV. — Praedicabilia. Eo ipso quod aliqua natura sit communicabitis pluribus, potest de pluribus praedicari (hic praedicatio intelligitur affirmatio unius de alio). Unde universalia recte vocantur praedicabilia. (Κατηγορούμενο). Sunt igitur praedicabilia *modi universales prsedicandi qui fundantur in ipsa communicabilitate ad plura.* Immediate et in recto praedicabile significat ipsum universale logicum ; at, cum logicum supponat universale metaphysicum ut fundamentum, praedicabile mediate cL connotative importat ipsam naturam per definitionem expressam.

V. — Quinarius eat praedicabilium numerus. Arg. I·®. Praedicabilia sunt modi generales quibus unuin potest communicari pluribus. Sunt autem quinque modi generales quibus unum potest communicari pluribus. Nam unum potest esse in multis vel ut aliquid ad essentiam pertinens, vel ut aliquid essentiæ superveniens. In primo casu vel explicat lotam et integram essentiam, omnia scilicet quæ ad definitionem concurrunt, et sic habetur *species ;* vel partem essentiæ potentialem et determinabilem qua res cum caeleris convenit, et vocatur *gemis;* vel partem actuauteni et determinantem qua res ab aliis discriminatur, et est *differentia.* — In secundo autem casu, vel est aliquid ex principiis essentiæ proveniens et habens necessariam connexionem cum illis, et dicitur *proprium ;* vel est aliquid non habens necessariam connexionem cum principiis essentiæ, et dicitur *accidens.*

Arg. IIutn. — Debet esse quædam analogia inter compositum logicum et compositum naturale. Sed in composito naturali sunt quinque : I0 materia ut elementum potentiale et determinabile ; 2° forma, ut elementum actuans et determinans ; 3° ex materia et forma resultat compositum ; 4° ex composito resultant proprietates ; 5° tandem composito conveniunt accidentia. Ergo etiam in composito logico debet inveniri aliquid quod sit quasi materia, et hoc est *genus,* quod est indeterminatum et determinabile ; et aliquid quasi forma, et hoc est *differentia,* quæ actuat et determinat ; et aliquid quasi compositum, et hoc est *species* quæ resultat ex genere et differentia ; ac tandem *proprietates* et *accidentia.*

Non tamen nimium urgenda est comparatio. Compositum quippe physicum fit secundum partes realiter distinctas ; compositum autem logicum fit secundum intentiones rationis, quæ non necessario important distinctionem realem.

VI. — Definiuntur et explicantur praedicabilia. *Genus* a Porphyrio et Scholasticis definitur : *Unum aptum inesse pluribus specie differentibus et prædicari de illis univoce in quid incomplete.*

In hac definitione quatuor sunt notanda : i° Id quod est commune omni praedicabili, *unum aptum inesse pluribus;* **at**

eo ipso quod multis sit communicabile, potest de multis praedicari, et quidem *univoce,* in quo distinguitur a transccndentalibus, quæ prædicantur analogice dumtaxat. 2· *Pluribus specie differentibus.* Genus enim est pars communis et determinabilis, in qua species conveniunt, et quæ in species dividitur per differentias. Directe et immediato praedicatur tantum de speciebus ; si quando de individuo praedicatur, hoc est mediante specie. Hæc enim prædicatio : *Petrus est animal,* ita explicatur : *Petrus est homo, homo est animal, ergo Petrus est animal.* 3' *In quid* seu in id quo respondetur quaestioni : *Quid est res* ? Jam vero id quo respondetur quaestioni : *Quid esi res?* est essentia, quæ propter hoc dicitur *quidditas.* Igitur praedicari *in quid* est prædicari *essentialiter,* et etiam modo *substantivo.* Porro genus est pars essentialis rei; dicendo quippe : *Homo est animal,* assigno aliquid sine quo essentia hominis non concipitur. Genus etiam prædicatur substantive; nam ut assignetur genus hominis dicendum non est : *Homo est animalis,* sed *Homo est animal.* 4° *Incomplete.* Licet quippe ad essentiam genus pertineat, est tantum pars ejus polentialis; quamdiu enim animal tantum habemus, nec essentiam hominis nec essentiam equi inlelligimus.

Species est unum aptum inesse pluribus numero differentibus et prædicari univoce de illis in quid complete.

Quatuor etiam hic notari possunt : I0 Quod est commune cæteris praedicabilibus *inesse multis, prædicari univoce.* 2° Species prædicatur *in quid,* id est, essentialiter, seu ut condituens essentiam. 3° *Complete,* quia totam essentiam refert. Species enim explicat ot definit rem complete ; unde si velirn essentiam integram cognoscere, sufficit nosse speciei definitionem. 4° *Pluribus numero differentibus.* Sicut gehus designat commune in quo species conveniunt, ita species designat commune in quo conveniunt individua.

— *Differentia est unum aptum inesse pluribus et prædicari univoce de illis in quale quid.*

1° Differentia, sicut cœtera praedicabilia de pluribns univoce dicitur; 2° in *quid* seu *essentialiter.* Differentia namque est id quo naturæ quæ conveniunt in genere uno essentialiter inter se distinguuntur. Sed essentialiter distingui non possunt

nisi differentia essentialiter praedicetur. 3o Non tamen concedendum est differentiam prædicari in *quid absolute,* sed in *quale quid.* Prædicari in *quale* est prædicari in id quo respondetur quæstioni : *Qualis est res?* Qualis est Petrus? respondetur : *fíationalis.* Hinc prædicari in *quale* est prædicari *modo adjectivo.*

differentia autem, licet essentialis sit, munus tamen et praedicationem differentiae exercet per modum adjacentiae, non per modum substantivi. Ratio est, quia differentia non præbet primum fundamentum essentiae, sed advenit generi, illudque requirit tanquam aliquid præsuppositum, quod ipsa actuat et determinat in species. Quia ergo genus se habet per modum fundamenti, prædicatur substantivo modo, et quia differentia advenit huic fundamento, praedicatur per modum adjacentiae, adjectivo modo, sen in *quale. In quale quid* ergo significat : Praedicatur modo adjectivo essentialiter (1).

— *Proprium est unum aptum inesse pluribus et prædicari de illis univoce in quale necessario.*

I0 Praedicatur univoce de pluribus subjectis, scilicet de omnibus inferioribus contentis sub specie cujus est proprium. *Petrus est risibilis, Paulus est risibilis,* et ita de cæteris quæ sub specie humana, cujus risibilitas est proprium, continentur. 2* Proprium non pertinet ad essentiam rei, et in hòc distinguitur a tribus prioribus, quia attribuitur per modum *qualitatis,* — 3° qualitatis tamen necessariae, inseparabilis a subjecto ; sicut risibilitas hominem necessario comitatur : *quale necessario.*

Accidens est unum aptum inesse pluribus et prædicari univoce de illis in quale contingenter,

I0 Convenit cum omnibus prædicabilibus quia praedicatur de multis univoce. 2° Differt a genere, specie, differentia, quia prædicatur in quale tantum. 3° Differt a proprio, quia proprium importat qualitatem necessariam, accidens autem aliquid separabile a subjecto, quod potest indifferenter esse vel abesse.

1. Ex Joan, a S. Thoma, Log.

VU· — Definitio praedicabilium in abstracto. Præfatœ definitiones sunt universalis concreti. Concretum autem importat simul formam et subjectum, formam quidem directe et formatile!', subjectum vero materialiter et per modum substrati. Unde universale concretum significat directe et formaliler statum universalitatis, materialiter et per modum substrati ipsam naturam quae universalitatis statum habet.

Tn abstracto vero praedicabilia definiri possunt : Genus est *universalitas naturæ potentialis pluribus specie differentibus communis.* Species est *universalitas naturæ completes.*

Differentia est *universalitas naturæ specierum distinctivæ.* Proprium est *universalitas notionis accidentalis necessario essentiam consequentis.* Accidens est *universalitas notionis accidentalis contingenter advenientis.*

VIZI. — Quæstio : An necease sit universale esse actu in multis. In definitione praedicabilium ponimus : *Unum aptum inesse pluribus.* De ratione igitur universalis est ut possit communicari pluribus juxta nostrum concipiendi modum. An vero dari possit aliquod universale quod non sit actu in pluribus sed tantum in uno ?

IX. — Conclusio : Non potest dari genus habens unicam speciem ; bene autem dari potest species habens unicum individuum. Ita D. Thomas et Thomislæ.

Prob. In pars. Genus designat naturam communem, potentialem, indeterminatam. Atqui communitas non potest salvari respectu unius.— Quod enim estpotentiale necessario requirit plura, quia in uno non explet nisi unam partem suæ potentialitatis ; demum quod est indeterminatum contrahendum est per diversae differentias. Divers® autem differentiae inducunt diversas species.Ergo genus salvari nequit respectu unius speciei. Hinc axioma : *Genus referendum est ad plures species.*

Prob IIa pars. Species designat naturam actualem et determinatam. Nihil porro obstat naturam actualem, determinatam inveniri in uno individuo. Sic tota natura humana invenitur in uno homine. Ergo potest salvari species in unico individuo.

Objicitur. — Sicut tota natura humana continetur in uno homine, ita tota natura animalis continetur in unica specie. Ergo potest salvari genus in unica specie.

fiesp. — Nego paritatem. Genus quidem salvatur in unica specie quantum ad entitatem ipsius naturæ, non vero quantum ad rationem formalem ipsius generis. Communis enim ratio generis est potentialitas ; quæ quidem requirit plura. E contra, ratio speciei significat aliquid actuale, quod bene potest haberi in uno, et de facto habetur.

X. — An species habens unicum individuum dici possit universalis. Juxta D. Thomam, non datur nec dari potest nisi unum individuum in qualibet angelorum specie, unde tot sunt species quot angeli. Quærunt autem Scholastici an species angelica dici possit universalis.

Difficultas nulla esset si natura angelica posset communicari multis, tametsi de facto esset in uno ; at repugnat ipsam pluribus communicari. Nihilominus dicendum est naturam angelicam esse universalem.

Probatur. Illa natura universalis est quæ, quantum est de se, potest communicari pluribus. Atqui natura angelica, quantum est de se, communicabitis est pluribus. Ergo universalis, est.

Declaratur minor. Natura angelica non prohibetur esse in multis ex hoc quod sit natura in tali ordine rerum, sed ex hoc quod desit in angelo principium multiplicationis numeric», quod est materia signata quantitate. Si ergo natura non potest esse in multis, id non est defectu sui, sed defectu principii individuationis, seu defectu subjecti recipientis.

Natura itaque, quantum est de se, est pluribus communicabitis, sed communicabilitas impeditur ex parte eorum quibus facienda esset communicatio. Recte ergo talis natura dicitur universalis. Ita Thomistæ communiter.

XI. — Quomodo exprimenda sint universalia. *Prima regula.* Differentia, propriam, accidens, applicata suis inferioribus, exprimantur in concreto. *Petrus est rationalis,* non autem : *est rationalitas·,* est *albus,* non vero ; *est albedo.* Ratio

liquet, Hæc tria universalia prædîcantur in quale, seu modo adjectivo. Atqui omne adjectivum est concretum ; importat enim et formam et subjectum forma?, sicut *virtuosus* dicit virtutem et virtutis subjectum. Ergo tria præfala universalia prædîcantur in concreto.

Secunda regula. — Genus et species, quando prædîcantur de substantiis, exprimantur in concreto. Nam exprimenda sunt ut essentiæ compiei® in suo ordine. Sed substantiæ in abstracto non sunt complétas in ordine substantiæ, siquidem considerantur separalæ a suis suppositis ; sic *humanitas* in abstracto, non potest dici substantia completa, cum non sit aliquid subsistens. Ergo exprimenda sunt in concreto. Hinc dicendum est : *Homo est animal* ; non vero : *Humanitas est animalitos ; Petrus est homo,* : non vero *Petreitas est humanitas.*

Tertia Regula. — Genus et species, cum prædîcantur de accidentibus, exprimantur in abstracto. Id quippe solum exprimendum est quod est do essentia accidentis, non vero quod est ipsi extraneum. Atqui natura expressa in abstracto designat puram accidentis essentiam ; expressa autem in concreto imbibit aliquid essentiæ extraneum. Dicendo enim *virtus,* solam essentiam designo ; dicendo autem : *virtuosum,* addo aliquid extraneum, scilicet subjectum, quod non est de essentia accidentis. Fiat ergo, prædicatio in abstracto, v. g. dicendo : *scientia est cognitio certa et evidens,* non autem : *sciens est cognoscens.,.*

ARTICULUS QUINTUS

DE UNIVERSALIBUS IN PARTICULARI

I. — De genere. Dictum est genus prædicari in quid *incompletet* nec constituere essentiam completam; esine igitur genus pars speciei ?

Resp. I0 *Genus non est pars actualis speciei.* — Pars actualis est quæ continetur actu sub toto : sic manus est pars actualis corporis humani. Pars autem actualis non prædicatur de toto, non enim dicitur:*Homo est manus, vel brachium.* Atqui genus recte prædicatur de specie : *Homo est animal.* Ergo genus non est pars actualis speciei.

2° *Genus non est totum actuale respectu speciei.* — Totum actuale dicitur quod continet actu et determinate suas partes, sicut corpus humanum complectitur actu manusj pedes, etc. Sed genus non continet actu et determinate quidquid est in specie: hæc quippe plura elementa, pluresve notas habet quæ non includuntur in genere. Ergo.

3° *Genus est totum potentiate respectu speciei.* — Totum potentiate respectu speciei dicitur quod continet in potentia et indeterminate quidquid est aclu et determinate in ipsa specie. Sed quidquid actu et determinate est in specie inveniri potest potentia et indeterminate in genere. Ergo. — Declaratur minor. Rationalitas est actu in specie humana ; genus porro animalis non exprimit ipsam actu, sed potest ad ipsam se extendere, potest ab ipsa contrahi et determinari. At, si potest ab ipsa determinari, continet ipsam in potentia et indeterminate.

Pariter animal non continet actu hinnibilitatem, sed potest

ab ipsa contrahi, ideoque ipsam gerit in potentia. Nihil ergo invenitur actu in specie quod non contineatur in potentia et extensione generis. Genus igitur est totum potentiale.

4° *Genus sub diverso respectu potest dici pars potentialis et totum potentiale.* — Si consideratur comparative ad differentiam, genus explicat partem unam, differentia partem alteram ; genus quidem partem determinabilem, differentia vero partem determinantem. Porro pars determinabilis recte dici potest pars potentialis. — Consideratum vero respectu speciei inferioris est totum potentiale, continens indeterminate quod determinate refert species, ut explicatum est,

II. — Quid sit genus sumi a materia. Comparatur **genus** materiæ, quia utrumque est potentiate et determinabile. In materia tamen prima nulla importatur actualitas, in genere vero imbibitur actualitas quædam, licet non perfecte determinata. Unde genus non est sumendum a sola materia prima, sed ab eo quod est materiale in re et principium potenlialitatis.

In corporalibus quidem hoc principium ex materia desumitur; in spiritualibus vero, sicut in angelis, genus non sumitur, etiam remote, a materia, quia illa carent ; sed ab eo quod est magis potentiale et quasi materiale in ipsis. Hoc autem est ipsa intellectualitas indeterminate accepta. Requidem vera intellectualitas finita et limitata, indeterminate accepta, est aliquid vagum et commune, quod potest esse magis vel minus perfectum, secundum quod magis vel minus accedit ad actum purum, scilicet Deum. Hæc igitur communitas et indeterminatio intellectualitatis tenet locum generis ; major autem vel minor accessus ad actum purum tenet locum differentiae.

Accidentia non habent materiam sibi intrinsecam, sed materia ipsorum est subjectum, seu substantia ; unde in ipsis genus desumitur ex diversa habitudine ad substantiam : sic genus quantitatis desumitur ex eo quod quantitas sit accidens extensivum substantiæ in partes ; genus vero qualitatis ex eo quod qualitas modificet substantiam in seipsa, etc.

Differentias autem accidentium proprias ignoramus ; unde illas desumimus, vel *a priori* ex subjectis quorum accidentia

sunt propria, vel ex objecto quod respiciunt ; vel *a posteriori* ex effectibus accidentium.

III. — De multiplioi differentia. Porphyries tres assignat differentias : *communem, propriam, propriissimam. Communis* est quæ provenit ab accidentibus; sic sanitas est differentia communis qua sanus differt ab ægroto ; albedo differentia cummunis qua Gallus differt ab Æthiope. — Differentia autem *propria* ea est quæ provenit a proprietatibus inseparabilibus a subjecto : *risibilitas* est differentia propria quæ distinguit hominem a bruto. — Differentia demum *propriissima* est quæ ad rem pertinet ut aliquid essentiale et constitutivum. Sic *rationalitas* est differentia propriissima hominis. Hæc porro sola est quæ prædicatur in *quale quid.* Differentia enim communis pertinet ad quintum praedicabile, accidens ; differentia vero propria ad quartum predicabile.

Differentia propriissima triplex habet munus : Ie est *divisiva,* scilicet dividit genus in plures species, 2° est *constitutiva,* scilicet determinando genus speciem constituit, 3° est *distinctiva,* constituendo speciem, eam secernit a quacumque alia.

IV. — Qua ratione differentia dioatur nniversalis. Differentia hahet rationem universalis non per respectum ad speciem, sed per respectum ad individua contenta sub specie quam constituit. Universale quippe dicitur per ordinem ad suum correlativum. Sed correlativum universalis sunt inferiora, siquidem universale est unum aptum inesse mullis inferioribus. Ergo dicitur per ordinem ad inferiora.

At species non est inferior differentia, sed æqualis ipsi et cum ipsa convertibilis. E contra individua speciei sunt inferiora et respectu speciei et respectu differentiae. Ergo differentia prædicatur formaliter de individuis speciei, concomitanter autem prædicatur de specie tanquam æquale de æquali. Hinc *rationale* est aliquod universale, quia prædicatur de omnibus individuis speciei humanæ cujus est differentia constitutiva.

V. — De specie. Distingui potest species *logica* et species *realis.* Species *realis* est quæ resultat ex genere et differentia

essentialiter unitis et unam naturam efformantibus. *Homo* es? species realis, quia materia et anima essentialiter uniuntur. Species vero *logica* constituitur ex genere et differentia accidentaliter unitis. Species *alba,* species *nigra* in hominibus, sunt species logicæ, quia differentiæ *alba, nigra,* sunt accidentis speciei humanas.

VI. — Qua ratione species dicatur universalis. Species habet duplicem respectum : I0 est aliquod subjectum quod continetur sub genere tanquam inferius sub superiori ; 2° est aliquod superius quod respicit individua et de illis affirmatur. Sub primo respectu dicitur *subjicibilis,* sub altero autem *praedicabilis.* Habet porro rationem universalis non ut est subjicibilis, sed ut est praedicabilis. Universale enim, ut dictum est, importat ordinem ad inferiora tanquam ad suum correlativum. Atqui species non dicit ordinem ad genus tanquam ad suum inferius, sed tanquam ad superius. Ergo non dicitur universalis quatenus est subjicibilis generi, sed quatenus respicit individua quæ sunt sibi inferiora.

VII. — Speciei correspondet individuum. Ut fert nomen, individuum est aliquid *indivisum* et indivisibile. Definiri potest : *Essentia singularis, quæ non potest communicari aliis tanquam inferioribus.*

Distinguitur : I0 individuum vagum, seu individuum in genere, quale designant hæc nomina : *Individuum, Singulare, aliquis homo,* etc. ; 2° individuum determinatum, puta *Petrus.* Huic præsertim individuo competunt septem proprietates superius assignatae :

frorma, figura, locus, stirps, tempus, patria nomen.

Hæc ea sunt septem quæ non habet unus et alter. 3° Individuum genericum, quod dicit ordinem ad genus : *hoc animal;* 4° individuum specificum, quod continetur immediate sub specie : *Paulus;* 5® individuum substantiale : *hic homo ;* 6° individuum accidentale : *hæc albedo.*

Vili. — Ge proprio. Proprium dicitur quatuor modis. *Vrimo* au od convenit soli speciei sed non omni ejus indivi-

duo — *soli sed non omni,* Convenit soli homini esse sacerdotem, sed non omni. *Secundo,* quod convenit omni individuo, sed non soli speciei —- *omni sed non soli.* Convenit omni homini, sed non soli, esse bipedem. *Tertio* quod convenit soli speciei et omni individuo, sed non semper — *omni, soli, non semper.* Ridere actu convenit omni homini, soli homini, sed non semper omnis homo actu ridet. *Quarto,* quod soli speciei et omni individuo convenit, et semper. *Omni, soli, semper.* Omni homini competit osse risibilem, soli homini, et semper. Et hoc est proprium quod constituit quarturn praticabile. Etenim proprium quod constituit quartum praedicabile prædicalur in quale necessario, seu est aliquid inseparabile ab essentia. Quod autem est inseparabile Ab essentia invenitur tantum ubi est essentia, seu in solo habent" essentiam, ubicumque est essentia, seu in omni essentiam habente, et quamdiu remanet essentia, id est, semper.

IX. — Proprium habet rationem universalis per respectum ad individua speciei. Universale importat ordinem ad inferiora; sed species non est inferior respectu proprii, convertuntur enim species et proprium, nam proprium tantum extenditur quantum species. Ergo proprium non dicitur universale, per respectum ad speciem. Habet quidem proprium sua inferiora ; sic risibilitas respicit hanc et illam risibilitatem ; at de suis inferioribus prædicatur essentialiter, non in quale. Proprium enim est quædam natura quæ dividitur essentialiter in plura individua. Ergo proprium non dicitur universale respectu suorum inferiorum, sed respectu inferiorum speciei, de quibus prædicatur in *quale necessario.*

X. — De accidente. Duplex est accidens, physicum scilicet et logicum. *Physicum* est ens quod non potest existere in seipso, sed in alio ; sic *albedo* non potest salvari nisi in aliquo subjecto. Accidens vero *logicum* designat id omne quod non est de essentia rei aut ejus proprietas : sic pallor non est de essentia hominis nec qualitas ab essentia inseparabilis. — Physicum dicitur prœdicamentale, logicum autem prædicabile. De eorum distinctione redibit sermo, cum loquemur de

prædicamentis. Hic pauca de accidente predicabili. — Definitur a Porphyrio : *Id quod potest adesse et abesse sine subjecti corruptione.* Ita nempe contingenter convenit subjecto ut ab ipso possit separari, quin pereat aliquod prædicalum essentiale. Proprium e contra, licet de essentia non sit, non potest tamen negari nisi pereat aliquod predicatum ad essentiam pertinens. Si negem risibilitatem, quæ est hominis proprium, convenire homini, illico sequitur hominis essentiam non esse illam ex qua necessario fluit risibilitas. At si essentia hominis non est illa ex qua sequitur risibilitas, non jam remanet vera hominis essentia. Ergo non potest negari proprium nisi resultet aliqua corruptio in ipsa essentia. Unde axioma : *Proprietatum deletio est naturæ negatio.*

Separato autem accidente predicabili, v. g. albedine ab homine, remanet eadem hominis natura. Sensus tamen definitionis non est accidens posse *semper de facto realiier separari a subjecto,* cum quædam accidentia sint naturaliter inseparabilia, sicut nigredo ab Æthiope, sed sensus est : posse per intellectum affirmari aut negari indifferenter, salva rei essentia. Separata per intellectum nigredine ab Æthiope, remanet ejus quidditas.

Objicies. — Mors est accidens predicabile hominis. Atqui mors non potest adesse sine subjecti corruptione. Ergo inepta est predicta accidentis definitio. *Respondeo.* — Major potest in dubium verti. Nam mors potest considerari dupliciter, vel in fieri, pro instanti quo homo propinquat ad mortem, et tunc non tollit hominis essentiam ; vel in facto esse, cum homo est mortuus, et tunc respectu hominis est predicatum repugnans, non accidens predicabile. Sed transmissa majore, disting, min. Mors non potest adesse sine subjecti corruptione quantum ad vitam actualem, concedo ; quantum ad predicata essentialia hominis, nego. Sive enim homines moriantur sive vivant, eadem habent predicata essentialia. Vita autem actualis non est de essentia hominis, sed prædicatum contingens.

Notandum est demum hæc verba : *Sine subjecti corruptione* significare proprie : *sine corruptione speciei,* non vero : *sine corruptione individui.* Saepe quidem accidens separari potest

sine individui corruptione ; at contingere potest ut individuum in sui conservatione ab accidentibus pendeat.

XI. — Accidens habet rationem universalis per ordinem ad subjecta quæ denominat, non vero per respectum ad propria inferiora. Sicut de proprio diximus, accidens habet sua inferiora ; albedo enim dividitur in hanc et hanc albedinem. At respectu suorum inleriorum prædicatur essentialiter, ut in hac praedicatione : *Hoc album est album.* Ergo dicitur universale respectu eorum de quibus prædicatur in quale contingenter, et hæc sunt subjecta quæ denominat, v. g. *Paulus est albus, Joannes est albus*t etc.

ARTICULUS SEXTUS

UNI VERSALI UM COORDINA T¡0

I. — Genus dividitur in supremum seu generalissimum, iu subalternum seu medium et in intimum seu proximum. Genus *supremum* illud est quod nullum habet supra se genus, nullumve conceptum qui possit prædicari de ipso univoce. Hujusmodi est *substantia,* quæ nullum supponit genus cujus sit species. Habet quidem supra se conceptum *entis,* sed *ens* non prædicatur univoce de suis inferioribus. Genus ergo supremum immediate venit post transcendentalia. Genus autem *infimum* dicitur quod non habet intra se alia genera, sed species tantum. Porro infra genus animalis inveniuntur tantum homines et bruta, at homines et bruta sunt species, non .genera. *Animat* itaque est genus infimum. Genus vero *subalternum* est quod habet alia genera ei mira se ol supra se. *Vivens* habet supra se *substantiam* et inlra se *animat.* Unde *vivens* est genus subalternum.

II. — Speoies dividitur siout genus. Species *suprema* ea est quæ supra se non habet aliam speciem, sed immediate venit post genus supremum. Sic *corpus* habet supra se solummodo *substantiam,* quæ dividitur, in substantiam *corpoream et substantiam incorpoream. Infirma* autem est quæ non habet infra se species alias, sed tantum individua ; sic *homo* non continet sub se alias species, sed solum individua humana. Species demum *subalterna* alias species habet et supra se ei sub se. *Vivens* habet supra se *corpus,* infra se *bruta* et *homines.* Est igitur species respectu generis superioris, sed fit genus respectu speciei interioris.

III. — Triplex etiam est differentia. *Suprema* est divisiva upremi generis et constitutiva speciei supremæ ; *ìnfima* est divisiva generis infimi et constitutiva speciei infimœ ; *subalterna* est divisiva generis subalterni et constitutiva speciei subalternae.

V. — *Arbor Porphyriana* vocatur schema sequens universalium, quiaPorphyrius in sua Isagoge hoc exemplum i radidit, demptis tamen nonnullis erroribus qui inveniuntur in schemate ipsius Porphyrii. En schema prouta D. Thoma et Scholasticis fuit emendatum.

V. — Scholion — Quidam modi loquendi. *Contrahere genus* est determinare et applicare genus ad aliquam speciem ; *contrahere speciem* est applicare speciem ad aliquod individuum. — *Genere differunt* quæ non continentur sub eodem genere infimo, licet contineantur sub eodem genere subalterno et supremo : *Homo et planta differunt in genere.* Gontinen' tur quidem sub eodem genere viventis, sed vivens est genus subalternum. — Genus infimum dicitur genus *proximum,* genus autem subalternum et genus supremum sunt genera *remota. — Differre dicuntur toto genere* quæ in nullo genere conveniunt, sed tantum in ratione entis, v. g. *homo* et *albedo.*

Inter genera est *diversitas,* inter species *differentia,* inter individua *distinctio.* Hæc tamen tria vocabula sæpe promiscue usurpantur.

Substantia ffunerslicclmuin

Differentia Corporea *Differentia*

Genus subalternum ¡pedes supremo

Differentia Differentia

Genus subalternum vivons Species subsJtern.i

Differentia Insensibile Differentia

Genus infírnum *Animal* *Species subalterno*

Differentia Rationale Irrationa e Differentia

Species Homo specialissima

Individuum Plato tndividuuin

tSSS^ocr

ARTICULUS SEPTIMUS

DE *PRÆDICAMENTIS, SEU CATEGORIIS, IN GENERE*

I* ~ **Aristotelis tractatus.** Aristoteles librum scripsit de Cate^oriu, quæ a Boetio dictæ sunt *Praedicamenta.* Totum opus in tres praecipuas partes divisit. Prima vocatur *Antepraedicamenta,* quia tractât de quibusdam necessariis et preambulis ad rationem entis prædicamentalis. Secunda est de ipsis *Praedicamentis.* Iu tertia autem agit de *Postprædicamentis,* quæ sunt quidam modi consequentes ad predicamenta.

II. –' Antepreedioamenta quinque assignantur. Primum antepredicamentum, seu primum requisitum ad categoriarum notitiam, sunt *unìvoca, analoga, sequivoca,* de quibus fuse dictum est. Secundum antepredicamentum est divisio entis ia complexum et incomplexum. Incomplexum porro dicitur quod exhibet essentiam unam, ut *homo;* complexum vero quod multiplicem exhibet essentiam, ut *homo albus.* Incomplexa tantum, non complexa, ponuntur in predicamento.

Tertium antepredicamentum est hæc regula : *Quando aliquid praedicatur de subjecto, quidquid dicitur de praedicato dicitur etiam de subjecto.* Ratio hæc est : Notæ essentiales et propriæ predicati sunt inseparabiles a predicato. Èrgo, si prædicatum convenit subjecto, omnes notæ predicati etiam subjecto adscribunlur. Sic, quia *animal* predicator quidditative de *homine,* quidquid dicitur de *animali* dicitur de *homine.*

Quartum antepredicamentum est hæc regula : *Diversorum*

generum non subalternorum diversae sunt differentiae ; at vero generum subalternorum nihil prohibet easdem differentias esse. Manifesta est; quæ non conveniunt in genere, a fortiori in differentia convenire nequeunt. Si vero habent idem genus subalternum, possunt eamdem habere differentiam subalternam ; sic planta et animal quia conveniunt in genere subalterno, per eamdem differentiam, scilicet *vitalitatem,* differunt a lapide.

Quintum anteprædicamentum est divisio entis incompleti in decem prædicamenta. Hujus occasione quærunlur conditiones praedicamentorum.

III. — Conditiones ut aliquid poni possit in praedicamento. Prima conditio ut aliquid ponatur in predicamento est ut sit *ens reale.* Non negamus posse in entibus rationis et conceptibus logicis coordinari aliquam seriem predicamenialem ; sic Kantius duodecim exhibet categorias quæ sunt series predicamentalis entium secund® intentionis. Sed entia rationis non ponuntur sub aliquo ex decem prædicamentis ab Aristotele assignatis, quæ sunt divisiones entis realis.

Secunda conditio est ut sit *ens per se unum.* Si enim est unum per accidens, non dicit unam naturam sed plures ; consequenter non constat unico genere et unica differentia, sed pluribus. Quælibet ex his naturis ponetur in distincto predicamento ; vel, si in eodem, distincto modo;.at ipsum totum non ponetur unica positione. Unde in predicamento non ponuntur entia complexa, ut *homo albus ;* nec concreta accidentalia, ut *musicus.* In musico quippe duo sunt : *homo* et *musica; homo* vero ponitur sub predicamento substantiæ, et *musica* sub predicamento qualitatis.

Tertia conditio est ut sit *ens completum.* Nam partes, cum sint propter totum, ponuntur in predicamento totius. *Directe,* seu in linea recta, ponuntur in predicamento ipsæ natur® specific® vel generic®, et etiam individuum tanquam basis et fundamentum; *indirecte* vero, seu in linea laterali, ponuntur differenti®, quæ speciem constituunt et ad illam se habent ut œquale ad æquale, et quæ respectu generis sunt tanquam aliquid adjacens, potius quam aliquid inferius. *Reductive* demum

ponuntur partes physicæ vel integrantes, ut materia, forma, pedes, manus; et éliam in abstracto significate, ut humanitas, animalitas, quæ non sunt ipsa natura completa et subsistens, sed solum pars ejus. Pariter modi qui rem componunt aut determinant ad rei prædicamentum reducuntur.

Quarta est ut sit ens *finitum ;* quia, si infinitum intra aliquod genus vel categoriam contineretur, jam limites haberet, et infiniti rationem amitteret.

Quinta est ut sit *univocum.* « Nam, ut dicit Joannes a S. Thoma, æquivoca non habent unam naturam sed plures, et sic non dicunt aliquid unum ponibile in praedicamento. Analoga autem removentur, quia non habent rationem unam conlrahibilem, sicut genus per differentias, nec tanquam speciem ex genere constitutam, quod contrahatur ad individua. Excluso autem genere, specie et differentia excluditur coordinatio praedicamenti, quæ ex his constat (1). »

IV. — Definiuntur Praedicamenta: Suprema genera ad quæ revocantur omnia quæ prædicari possunt de omni ente aliquam essentiam habente. Distinguuntur atranscendentalibus, quia transcendentalia sunt supra omnem categoriam nec ullatenus circumscribi possunt, praedicamenta e contra sunt modi quibus ens determinatur et contrahitur. Differunt a praedicabilibus : Prædicabilia quippe designant entia secundæ intentionis, quæ nullum habent esse extra mentem ; praedicamenta vero sunt entia primæ intentionis, quæ extra animam et independenter ab anima esse habent. *Substantia* enim, quæ est primum prædicamentum, designat aliquam realitatem subsistentem quæ non pendet a nostro conceptu.

V. — Duplex consideratio praedicamenti. Notandum est tamen praedicamenta dupliciter considerai posse : I0 *metaphysice,* seu ut sunt prædicamenta proprie dicta ; 2° *logice,* seu ut habent rationem prædicabilium. Sub primo respectu sunt entia naturæ quæ existunt in se (substantia), vel in alio (accidens), Hoc modo sumpta sunt objectum Metaphysicae et vocari possunt series rerum naturalis, quia ab ipsa natura instituitur.

1. Log. Il P,, Q. XIV, art. 2.

Et revera, quod ens dividatur in existons in se, et existens in alio, non a mentis fictione sed a natura provenit.

Sub secundo autem respectu, non considerantur praedicamenta quoad naturam, sed quoad modum praedicandi ; sic substantiam non definimus *ens in se,* sed *genus supremum quod non habet aliud genus supra se et continet infra se alia genera.* Hoc modo praedicamenta non sunt series naturalis rerum, sed *series seu ordinatio artificialis* ad *quam reducimus omnes ideas genéricas, specificas* etc., *quas de re qualibet habere possumus.* Reducuntur ad primum praedicabilium, scilicet genus ; et ila sunt entia rationis et pertinent ad Logicam.

Hanc distinctionem invexit D. Thomas *opuse.* 48. « Sciendum est quod praedicamentum, seu genus generalissimum du* plicitur accipi potest : uno modo pro ipsa intentione prædicamentali seu universalitatis, alio modo pro ipsa re in qua talis intentio fundatur. Primo modo praedicamentum est ens rationis, secundo modo est ens reale ».

VI. — Prædicamentum logice acceptum. Diximus praedicamenta in sensu logico reduci ad primum praedicabilium, genus; attamen non includunt solum genus supremum, at omnia praedicata essentialia a supremo genere usque ad individuum. Ut illico apparet arborem porphyrianam intuenti, inter praedicata alia sunt superiora et magis universalia, alia inferiora et minus universalia : in supremo est substantia, deinde corpus, deinde vivens, deinde animal, deinde homo, ac tandem individuum, Plato. Adest quædam scala per quam descendimus a supremo genere ad individuum, et ascendimus ab individuo ad supremum genus ; qua propter illa prædicata dicuntur *gradus.* Prædicamentum autem logicum est series omnium istorum graduum, et definiri potest juxta Joannem a S. Thoma (1) : *Series seu ordinatio prædicatorum superiorum et inferiorum ab uno supremo genere, quod prsedicatur de omni inferiori, usque ad individuum, quod subjicitur omni inferiori.* Exemplum affert ipsum quod attulimus : « In prædicamento substantiae ponitur ut genus supre-

i. Log. II, P. q. XIV, art. I.

mum substantia, deinde corpus, deinde vivens, deinde animal, deinde homo deinde Petrus. »

VII· — Prædicamentorum numerus. Celeberrima est divisio in decem praedicamenta ab Aristotele invecta et a S. S. Patribus et Scholasticis communiter recepta. In ipsam tamen vehementer insurgunt Cartesiani et Kantiani, quorum opinionem alibi confutamus (Metaphys. Ontol. Tract.III inproœmio) — In praesenti antem sufficiet *breviter* ostendere Peripateticorum assertum, scilicet : *denarius est prædicamentorum numerus.*

Arg. Iom. — Prædicamenta sunt genera suprema rerum, atqui decem sunt genera suprema rerum. Ergo.

Prob. Min. Omnis res quæ existit, vel ex natura sua habet ut possit in seipsa existere, vel ex natura sua exigit ut in alio sustentetur ; non datur medium. Si potest existere in seipsa, est *substantia ;* si autem indiget sustentari in alio, est *accidens.* Ergo habemus jam duo genera suprema, *substantiam* et *accidens.*

Substantia, cum sit ens perfectum, non subdividitur in alia prædicamenta ; sed accidentium novem sunt genera. Quod ita ostenditur. — Quod existit in alio vel est pure absolutum, vel pure relativum, vel medio modo se habet, nempe est absolutum cum ordine ad aliquid extrinsecum: non videtur possibilis alia hypothesis. Si est aliquid absolutum, convenit substantiæ vel ratione materiae, et dicitur *quantitas,* vel ratione formæ, et dicitur *qualitas.* Si autem est pure relativum, dicitur *relatio.* Si demum est absolutum connotaos aliquid extrinsecum, vel connotât illud tanquam principium activum a quo profluit, et est *actio,* yel tanquam principium passivum in quo recipitur, et est *passio* ; vel tanquam mensuram in loco, et quidem vel in loco absolute, et est *ubi,* vel secundum dispositionem partium in loco, et est *situs* ; aut respicit extrinsecum tanquam mensuram temporis, et est *quando,* vel tanquam ornamentum et tegumentum corporis, et est *habitus.*

Arg. IIum. Tila divisio adaequata est qua responderi potest omnibus quaestionibus quæ" de re aliqua instituuntur ; decem

vero institui possunt de qualibet re quæstiones quibus per decem praedicamenta respondetur. Ergo decem sunt praedicamenta.

Declaratur minor. De homine, v. g. quaeri potest ? Quid sit? *substantia.* — Quantus sit? magnae an parvae slaturæ ? *quantitas.*— Qualis sit? bonus, doctus? *qualitas.* — Cujus sit? filius, pater, servus dominus? *relatio.* —Quid agat? *actio.* Quid recipiat, quidve patiatur? *passio.* — Quo loco vivat, Romae, Parisiis? *ubi.* — Quo tempore *l quando.* — Quomodo sit in loco, stans, sedens recumbens? *situs.* — Quid gerat ad sui corporis ornamentum vel tegumentum ? *habitus.*

Decem praedicamenta his versiculis comprehendentur :

(Substantia) (quantit) (relat) (quatit) (actio) (passio)
Arbor sex servos ardore refrigerat ustos
(Ubi) (quando) (situs) (habitus)
Ruri cras stabo, sed tunicatus ero.

Ex his praedicamentis tria sunt absoluta simpliciter : *substantia, quantitas, qualitas ;* unum est mere *relativum* ; sex alia, ut dictum est, medio modo se habent : absoluta quidem sunt sed simul aliquid extrinsecum connotant.

De sex ultimis praedicamentis movetur difficultas a quibusdam Scholasticis, et recenter a P. Bulliot. Illorum tamen realitatem probant quæ dicemus de accidente modali (1).

VIII. — De differentia inter accidens praedicabile et accidens prædicamentale. Jam monuimus distingui accidens logicum, seu prædicabile, et physicum seu prædicamentale ; sed, quia hæc distinctio magni apud Scholasticos est momenti, quædam addere juvat

Accidens logicum innuit modum quo prædicatur de subjecto, nempe in *quale contingenter',* accidens autem physicum designat modum quo existit, non in se sed in alio. Quidquid non convenit essentialiter vel necessario dicitur accidens prædicabile, sive sit aliquid reale, sive rationis, sive inhærens, sive subsistens. Prædicabile igitur potest esse substantia, sicut vestis respectu hominis, sed nunquam proprium. Accidens vero

1. Ont. Tract. HI, q. 2, Art. III.

priedicamentale directe opponitur substantiae. Definitur: *Es·sentía cui competit esse non in se sed in alio.*

Non datur medium inter substantiam et accidens praedica* mentale, quia non concipitur medium inter existera in se et existera in alio ; datur vero medium inter accidens praedicabile et substantiam, scilicet proprium. *Pisibilitas* non est substantia, nec tamen accidens praedicabile, quia non potest abesse Bine subjecti corruptione. Proprium ergo medium tenet inter substantiam et accidens praedicabile.

Aliquid tamen potest esse simul accidens prædicamentale et praedicabile. *Petrus esi albus.* Albedo non existit in se, ergo accidens prædicamentale; potestà Petro separari sine Petri corruptione, ergo accidens praedicabile.

Regula facillima qua discernatur utrum sit accidens. Praedi-* cabile opponitur proprio, non substantiae ; prædicamentale opponitur substantiae non proprio. Si aliquid non est substantia, est accidens prædicamentale ; si non est proprium, est praedicabile (1).

1. De Universalibus et Categoriis consuli possunt Aristóteles, *Organum ;* Porphybius, *Isagoge ;* **D.** Thomas, *Summa Logicæ ;* **et opuse.** *De Ente et Essentia;* Scotus, *Super Universalia;* Dominicus Soto, *Logica;* Joannes **a S.** Thoma, Gubrinois, Alamannos, **in suis** *Logicis;* Frassen, *Logica.* **D.** Mercier, *Logique ;* **P.** Carbonel, *D. Thomæ excerpta philosophica,* **etc., etc.**

ARTICULUS OCTAVUS

EXPLICANTUR SINGULAE CATEGORIE

I. — Substantia. Quaestiones profundiores quæ ad intimam spectant naturam substantiæ ct aliorum praedicamentorum in Metaphysica expendemus ; hic quædam breviter attinguntur quæ necessaria sunt ad singulas categorias intelligendas.

Substantia designat essentiam cui competit esse in se et non in alio. Duo sibi vindicat : I0 in se et per se subsistit, 2° accidentibus sustentamentum præstat. Essentia vero hujusmodi non existit in rerum natura nisi contracta, individua, singularis. Quare substantia realis, individua, dicitur substantia *prima,* cum sit primo et maxime substantia : *Petrus, Joannes, hic liber.* Substantiæ vero *secundæ* sunt predicata generica vel specifica quæ de substantia prima prædicantur, sicut universale de singulari: *Petrus est homo. Homo,* substantia secunda, praedicatur de *Petro,* substantia prima. Ipsa vero substantia prima non prædicatur de alio, cum singulare sit penitus incommunicabile. Substantia autem prima periecte subsistens sui juris et alteri incommunicabilis, dicitur *suppositum,* vel *persona* si sit nature intellectualis.

Jam vero ut aliquid in predicamento substantiæ ponatur, constare debet ex genere et differentia ; categoria quippe sine genere et differentia non concipitur. Hinc omnes substantiæ creatæ, etiam angeli, in hoc praedicamento collocantur. Christus quidem Dominus, ut nature humanae individuum, ponitur directe in predicamento substantiæ, quia ut homo ejusdem est rationis cum caeleris. Deus vero, licet sit ens perfecte in se subsistens, non ponitur in substantiæ predicamento. Non di-

recte, cum non constet genere et differentia ; nec etiam reduc live.

Illa enim ponuntur reductive in predicamento quæ pertinent ut parles ad rei constitutionem. Sed Deus non perline! ad intrinsecam rei creatæ constitutionem. Ergo.

II. — Quantitas. *Est accidens extensivum substantia in partes* : Non quidem partes essentiales, sicut .materiam et formam, nec partes potestativas, sicut anima dividitur in sensitivum et intellectivum ; nec subjectivas, sicut universale dividitur in interiora — sed *partes integrales,* seu quantitatives. De essentia porro quantitatis est habere partem extra partem in seipsa, scilicet ut una pars non sit alia; quod autem partes illae locum occupent distinctum, est proprietas quidem quantitatis, non tamen essentiale constitutivum. Quantitas itaque est accidens habens partes, diasque tribuens subjecto, et hoc modo dicitur substantiam in partes extendere. — Dividitur quantitas in *continuam* et *discretam. Continua* est cujus partes copulantur inter se aliquo termino communi, sicut *linea,* cujus partes punctis uniuntur. Discreta vero illa est cujus partes sunt distinctæ nulloque termino communi copulatae, ut *numerus,* qui unitatibus distinctis conflatur. Continua autem dividitur : I0 in *permanentem,* cujus partes simul coexislunt, utin *linea, superficie, corpore.* Lineo porro est quantitas continua in longum, *superficies* autem in longum et latum, *corpus* demum in longum, latum et profundum. Dividitur : 2° in *fluentem,* cujus partes non simul, sed successive existunt, utin tempore. At, juxta Thomistas, quantitas fluens, cum sit ens incompletum et successivum, non ponitur nisi reductive in quantitatis categoria.

III. — Qualitas. In genere qualitas dici posset id omne quod actual et determinat aliud ; hinc distingueretur *qualitas substantialis* et *qualitas accidentalis.* Qualitas *substantialis* esset forma substantialis, quæ materiam actuat, et differentia quæ genus ad esse substantiale determinat. Qualitas vero accidentalis, de qua solum hic disserimus, est id omne quod modificat substantiam in seipsa secundum aliquod esse acci-

dentale ; vel brevius : *accidens modificativum subslantiæ ¿n seipsa.* Distinguitur a quantitate, qnæ non proprie modificat substantiam, sed extendit in partes et reddit determinabilem per alia accidentia ; differt demum a cæteris accidentibus* quia hæc modificant substantiam in ordine ad aliquid extrinsecure, qualitas vero subjectum in seipso afficit.

Quatuor sunt qualitatis species : *habitus et dispositio, potentia et impotentia, passio et patibilis qualitas ; ¡orma et figura.*

Habitus esi qualitas difficile mo&lis disponens subjectum ad bene vel male se habenuum in ordine ad esse vel ad operationem. Si disponit in ordine *oA osse, ut sanitas, gratia,* dicitur habitus *entitalivus* ; si autem disponit in ordine ad operationem, ut *scientia, virtus,* dicitur habitus *operativas. Dispositio* in hoc differt ab habitu quod ipsa sit instabilis et facile mobilis, dum habitus est firmus et non nisi difficile mutatur.

Secunda species qualitatis definitur: *Proximum principium agendi simpliciter et absolute, vel resistendi.* Distinguitur a prima specie, nam habitus et dispositio possunt esse principia agendi *bene* vel *male,* non autem agendi *simpliciter. Potentia* quidem est principium forte et validum agendi vel resistendi, ut facultas visiva in juvene, durities adamantis. *Impotentia* autem est principium debile agendi vel resistendi, ut potentia visiva in sene et mollities in cera. In pi oposito igitur impotentia non est privatio potenti®, sed a potentia discriminatur solum ut imperfectum a perfecto. Potentia dividitur in *activam* et *passivam* seu *resisiivam.* Ad potentiam reducuntur characteres sacramentales : ad potentiam quidem passivam character Baptisimi, qui est susceptivos, ad potentiam vero activam character Confirmationis et character Ordin a, qui sunt operativi.

Tertia species definitur: *Qualitas sensibilis alterationem sensibilem causons vel ab alterations sensibili causata»* Contingit, v. g. secundum frigus, calorem, humiditatem, siccitatem. Dicitur quidem *passio* si sit subita et transiens, ut rubor ex verecundia ; *patibilis wso qualitas,* si diu permaneat in subjecto, ut rubor ex naturali temperamento.

Quarta species est *qualitas disponens partes quantitatis in*

se. Complectitur *formam* et *figuram,* quæ differunt accidentaliter, quatenus forma est qualitas disponens partes quantitatis in rebus artificialis, figura vero in rebus naturalibus. Hinc dicitur forma navis, forma domus ; figura autem hominis vel figura leonis.

IV. — Relatio prædicamentalis, quæ dicitur ab Aristotele τE πρό τι, seu *ad aliquid,* est accidens cujus totum esse est ad aliud se habere. Est ergo purus respectus substantiam ad aliud referens. Confundenda non est cum relatione *transcendentali,* quæ est res absoluta ordinem importans ad aliud. Hæc autem non distinguitur a re, sed est res ipsa ut essentialiter ad aliud ordinata : cujus modi est quæ inter animam et corpus viget.

In relatione porro prædicamentali tria sint oportet : *subjectum, fundamentum* ei *terminus.* Subjectum est id in quo est relatio et de quo dicitur, terminus est id ad quod ordinem dicit: in paternitate subjectum est pater, filius terminus. Fundamentum autem est causa cur relatio subjecto conveniat. Fundamentum quidem remotum est causa seu ratio remota, fundamentum vero proximum est causa proxima et immediata cur relatio subjecto insit, sicut generatio in relatione paternitatis.

Fundamenta remota relationum quatuor assignantur : *substantia, quantitas, qualitas, potentia activa, potentia passiva.* Substantia fundat relationes *identitatis* et *diversitatis :* ea quippe eadem vel diversa sunt quorum est eadem vel diversa substantia. Quantitas autem fundat relationes *aequalitatis* et *inaequalitatis* ; qualitas vero relationes *similitudinis* et *dissimilitudinis* ; potentia activa relationes *causæ ad effectum,* potentia demum passiva relationes *effectus ad causam.*

Fundamenta proxima tria sunt : 1° *unitas* et *numerus,* seu convenientia et disconvenientia : 2° *actio et passio* : 3° *mensura* et *mensurabile.* Cætera vero quæ relationis naturam et realitatem spectant in Metaphysica Ontologica expendentur.

V. — Actio est actus, seu forma qua causa dicitur actu causane. Distinguitur actio *immanens,* cujus terminus rema-

net in ipso agente ; et *transiens* cujus terminus extra subjectum exit. Porro sola actio transiens ponitur proprie in hoc predicamento. Etenim actio prædicamentalis est accidens quo causa denominatur actu causans. At denominatio causæ non sumitur ab actione, ut est in agente, sed ut egreditur ab ipso et ponit aliquid in passo. Sic ignis dicitur *calefacere* non secundum quod calor est in igne, sed secundum quod calor transit ab igne in aquam. Ergo actio prædicamentalis in eo consistit quod sit emanatio et egressus quidam ab agente in passum, seu in materiam externam.' Actiones autem immanentes ordinantur ad bene esse sui subjecti, ut scientia, vel ad male esse, ut actus erroris ; non autem sunt egressus in aliud subjectum. Unde pertinent ad qualitatis praedicamentum ; et, quia sunt facile mobiles, ad dispositionem referuntur.

VI. — Passio est effectus illatioque actionis, seu receptio illius cujus actio est productio. Quia vero in actionis predicamento collocantur omnes et solae actiones transeuntes, hinc in predicamento passionis recensentur omnes et solae passiones ex actionibus transeuntibus consecutae. Idooque hoc prædicamentum non designat omnem receptionem cujuscumque, sed tantum receptionem effectus in externa materia producti.

Passio denominat passum non precise ut est *in* passo, sed ut est *ab* illatione agentis, et idcirco denominat ab extrínseco. Non enim, ut ait D. Thomas (1), aqua dicitur calefieri, quia in se est calor, sed dicitur calefieri et pati, quia talis calor est *a* calefaciente.

Actio et passio non sunt entitales realiter diversæ, sed hæc tria : *actio, passio, motus* differunt modaliter tantum ; sunt una entitas sub diversis modis considerata. Dicitur actio prout est in agente, passio prout est in patiente, motus prout est in fluxu, seu in fieri. De his plenius disseritur in Phil. Naturali.

VII. — Ubi communissime acceptum designat id ratione cujus res in loco constituitur. Dividitur in *ubi divinum,* ratione cujus Deus est ubique, **et in** *ubi creatum* ratione cujus

i. Opuse. 48.

creatura ita loco uno astringitur ut non possit alibi esse. Dicitur etiam ubi *definitivum,* et duplex est : ubi *definitivum simpliciter dictum* et ubi *definitivum circumscriptivum.* Primum est quod rem ita constituit in loco ut tota sit in loto loco et tota in qualibet loci parte. Vocatur etiam ubi spirituale. Secundum vero est id quod ita rem coarctat in loco ut tota toti loco et partes partibus loci correspondeant.

Ubi autem prædicamentale est ubi circumscriptivum. Ubi enim divinum est ipse Deus, nec concipi potest ut categoria quædam. Ubi vero spirituale, seu angelicum, non est proprie ubi ; angeli quippe non sunt proprie in loco, sed solum aequivoce, et locum potius continent quam â loco continentur. Itaque ubi prædicamentale his convenit tantum quæ in loco continentur et mensurantur. Illa vero solum a loco continentur quæ a loco circumscribuntur. Ergo ubi prædicamentale est ubi circumscriptivum.

Ubi non est ipse locus, sed accidens resultans in subjecto ex eo quod a loco mensuretur. Describitur communiter : *Denominatio corporis locati, ab ipso loco circumscribente* proveniens.

Species ubi sunt : *sursum, deorsum, ante, retro, dextrorsum, sinistrorsum.*

VIII. — Situs est accidens disponens partes rei locatae in ordine ad locum, sicut *sedere, stare, cubare.* Situs est aliquid ipsi *ubi* superadditum et ab ipso distinctum. Ubi quippe est modus rei locatæ ex circumscriptione loci proveniens ratione cujus res locata loco ipsi commensuratur adeo ut tota toti loco et partes rei partibus loci respondeant et adæqueutur ; situs autem addit talem vel talem dispositionem partium in loco ratione cujus una est recta, alia inflexa, alia curva, etc.

Dividitur situs in *naturalem,* qui est dispositio partium corporis ipsi a natura conveniens, v. g. quod hominis caput sit sursum, pedes deorsum ; et in situm *innaturalem,* qui est dispositio partium non a natura, sed ad libitum, vel ex violentia acquisita.

IX.— Quando est accidens in re durante proveniens ex adjacentia temporis a quo rei illius duratio mensuratur'. Sicut res locata ex eo quod loco mensuretur acquirit *ubi,* ratione cujus lormaliter denominatur esse in tali vel tali loco, ita res

durans, ex eo quod ipsius duratio tempori subjiciatur, acquirit quemdam modum vi cujus formaliter dicitur esse in tali vel tali tempore, hodie, heri vel cras.

Triplex porro est duratio : *aeternitas,* seu duratio entis immutabilis in sua substantia et operatione ; ævum, seu, duratio entis immutabilis in substantia, mutabilis vero in operatione ; *tempus,* seu duratio entis mutabilis et quoad substantiam et quoad operationem.

Mensuræ autem aeternitatis et ævi non ponuntur in hoc praedicamento. Sicut enim Deus et angelus non habent proprie *ubi,* ita nec proprie *quando.* In duratione quippe immutabili non potest quaeri : quando fuit vel erit? nam semper et eodem modo est. Servit ergo *quando* pro ducationibus mutabilibus quæ tempori subjiciuntur.

Quando tamen non est tempus, sed determinatio in tempore, aliquid nempe relictum in re durante ex eo quod a tempore mensuretur. Est ad tempus, sicut *ubi* ad locum.

x. — Habitus est corporum et eorum quæ corpori adjacent, nimirum accidens in subjecto induto ex indumenti adjacentia proveniens. Non est ipsum indumentum ; vestis quippe dici potest accidens praedicabile ; non tamen praedicamentale, cum in se subsistat. Habitus ergo est illa affectio quæ in subjecto ex vestimento resultat. Quamvis enim vestis sit substantia in se, ejus tamen applicatio est accidentalis et categoriam accidentalem constituit. Sicut ex adjacentia loci resultat in re modus quidam vi cujus est formaliter in loco, et ex adjacentia temporis relinquitur modus ratione cujus res formaliter dicitur esse in tali tempore, ita ex adjacentia vestis rjinquitur modus quo subjectum formaliler dicitur vestitum. *Habitus* est quid medium inter indumentum et habentem indumentum. « Unde fit, ait Joannes a S. Thoma, quod animalia etsi tegantur pilis vel armentur unguibus, non denominentur ab illis vestita, quia sunt partes corporis. Si autem veste aliqua circumdentur, ut equus phaleratus vel armatus, deno·* minantur ab hoc praedicamento, sicut homo a veste (1). »

Species hujus prædicamenti sunt *vestes* et *arma.*

ARTICULUS NONUS

DE *P0STPRÆD10AMENT18*

I. — Postprædlcamenta sunt proprietates quædam ad Praedicamenta consequentes, quæ tamen propter suæ entitatis imperfectionem in nullo praedicamentorum genere collocari directe possunt. Quinque enumerantur : *Oppositio, priorilas, simultas, motus* et *modus habendi.* Vocantur etiam *Hypoheorise.*

II. — Oppositio. Tn genere distinguitur duplex oppositio : alia *complexa,* quæ est judiciorum et propositionum, alia *incomplexa,* quæ est rerum vel conceptuum. De complexa loquemur in tractatu de propositione ; hic de incomplexa disseritur. Hæc vero late sumpta est pugna inter duo, seu repugnantia aliquorum quæ simul eidem convenire non possunt. Hac ratione comprehendit etiam disparata, quæ proprie opposita non sunt, ut est *arbor* et *equus.*

Oppositio autem stricte sumpta definitur : *Repugnantia determinata aliquorum inter se.* Differt ab oppositione disparata, quia hæc repugnantiam involvit cum omnibus quibuscum non convenit in essentia, sicut inter *bovem* et *plantam;* oppositio vero stricte sumpta importat determinatam repugnantiam unius extremi cum altero cui directe opponitur : quo modo *lux* et *tenebrie, virtus et vitium* opponuntur.

Quatuor in species oppositio stricte sumpta dividitur : oppositionem scilicet *contradictoriam, privativam, contrariam, relativam. Contradictoria* est incompossibilitas inter ens et non ens» seu rem et ejus negationem ut sunt videns et *non-*

videns, homo et *non-homo.* Oppositio igitur contradictoria totaliter removet alterum, nihil omnino relinquens.

Oppositio *privativa* est repugnantia inter formam et deieo tum ejus, seu carentia formae in subjecto apto nato, id est, quod naturaliter aptum est ad illam formam habendam. Notabilis intercedit differentia inter negationem et privationem : negatio quippe dicit solum absentiam formæ cujuscumque, privatio vero est absentia formæ subjecto *debitæ.* Sic absentia cognitionis iri bruto est negatio seu nescientia, in homine privatio, seu ignorantia.

Duplex autem considerari potest privatio : una quæ tollit solum actum, nempe actualem possessionem formæ, sicut ignorantia relate ad scientiam ; alia vero quæ non solum actum, sed etiam potentiam ad formam demit, sicut cæcitas removet potentiam videndi. *A privatione* (hoc modo accepta) *ad habitum non datur regressus naturaliter,* ait Aristoteles ; ex caeco non potest Geri videns. A privatione autem primo modo accepta ad habitum dari potest regressus per naturam : ex ignorante fieri potest sciens naturaliter.

Oppositio *contraria* est repugnantia duarum formarum positivarum quæ sub eodem genere contentæ maxime distant, et ab eodem subjecto se mutuo expellunt. Differt a duobus prædictis, quia istæ vigent inter unum terminum positivum et alterum negativum, dum in ipsa ambo termini sunt res positivae. Continentur autem illæ formæ contrariae sub eodem genere, vel proximo, ut *nigrum* et *album* sub genere coloris ; vel remoto, ut *virtus* et *vitium* sub eodem genere ha» bitus. Maxime distant, quia in eodem genere utraque est ia extrema distantia, ut vitium et virtus, nec in eodem subjecto simul sociari possunt. Quia vero extrema sunt res positivae, potest inter duo contraria dari medium, sicut inter odium et amorem ; possum quippe simul et ab odio et ab amore abstinere.

Oppositio *relativa* est repugnantia duorum extremorum orta ex ordine quem ad invicem important, ut *pater* et *filius, servus* et *dominus.* Si relatio est mutua, ut in illis exemplis, oppositio erit *reciproca ;* si autem relatio est in uno dumtaxat extremo, oppositio dicitur non mutua.

Maxima omnium oppositionum est *contradictoria.* Omnes enim cæteræ aliquid relinquunt : contraria relinquit aliquod medium, ut dictum est ; privativa relinquit aptitudinem ad oppositam formam, sicut ignorans aptitudinem habet ad scientiam comparandam ; relativa non destruit oppositum, sed potius exigit utrumque extremum simul. At contradictoria nihil omnino relinquit. Negatio quippe unius ita absoluta est ut excludat omnem convenientiam cum suo extremo negato. Hinc contradictio dicitur *esse fortissima.* Sub alio respectu *nihil est contradictione infirmius,* quia contradictorium non potest in natura existere, nec cogitare possumus esse simul et non esse.

Privativa est major contraria ; nam contraria non excludit medium, nec genus ; privativa vero illa excludit, et solum relinquit subjectum, seu aptitudinem in subjecto. Ac tandem omnium minima est relatio, quæ non tollit aliquod extremum, sed solum distinguit.

III. — Prioritas est modus quo una res præcedit aliam. Quintuplex est : *temporis, naturæ, consequents, dignitatis, ordinis.*

Illud prius *tempore* dicitur quod aliud antecedit aliqua reali temporis duratione, saltem aliquo instanti reali, ut pater creatus præcedit filium, et calor ignis calefacientis calorem aquæ calefactae. Prius autem *natura* dicitur quod est simul duratione et in eodem instanti reali cum alio, ita tamen se habet ut esse alterius pendeat ab ipso, qua ratione essentia est prior facultatibus. Hæc autem priorités subdividitur in priorilatem *in quo* et prioritatem *a quo.* Prioritas *in quo* habetur, quum unum pendet ab alio quod dicitur prius, at non vicissim istud pendet ab illo, V. g. *rationalitas* et *risibilitas, anima et facultates.* Risi bilitas enim oritur a rationalitate, facultates ab animæ essentia causantur, sed non e converso. Dicitur *in quo,* quia est veluti instans rationis ratiocinatae in quo id quod dicitur prius intelligitur esse sine posteriori. Prioritas *a quo* est inter illa quæ mutuo a se dependent, et quorum alterum sine allero non intelligitur, quemadmodum materia pendet a forma, et forma a materia. Vocari posset prioritas et posterioritas mutua.

Prioritas *consequentiæ,* seu *quoad subsistendi consequent tiam,* habetur quum valet consequentia a secundo ad primum, non autem a primo ad secundum. Quo modo omne superius est prius inferiori, animal prius homine. *Est homo,* valet consequentia : *ergo est animat,* non autem valet consequentia : *est animal, ergo est homo.* In hac prioritate secundum subaudit primum, non autem primum secundum.

Prius *dignitate* dicitur quod aliud excedit excellentia, merito vel officio. Prius demum *ordine* est quod in dispositione rerum seu partium, aliud antecedit ; Logica est prior ordine in divisione Philosophiae, exordium prius est inter concionis partes. Distingui etiam potest prioritas *originis,* quum aliqua a suo principio procedunt absque ulla causalitate vel dependentia, quo modo in divinis Filius a Patre procedit, et Spiritus a Patre et Filio. At, quia nulla ibi est dependentia, nullum est vere prius ; et melius diceretur *ordo* originis quam *prioritas* originis.

IV. — Simultas. Non opponitur praecise prioritati, nam priori formaliter opponitur posterius, sed directe simultas opponitur *successioni* inter prius et posterius. Species autem simultatis distinguuntur sicut species prioritatis : Simultas *temporis* est inter ea quæ eodem tempore, eodemque instanti reali existant, ut ignis et calor; simultas *naturæ,* inter ea quæ se mutuo ponunt et destruunt, licet neutrum sit alterius causa. Hujusmodi sunt relativa. Posito domino ponitur servus ; sublato domino tollitur servus, et vice versa. Simultas *consequentiæ* inter ea quæ se mutuo inferunt, v. g : *est spirituale, ergo naturaliter immortale; est naturaliter immortale, ergo spirituale.* Simultas *dignitatis* est paritas in dignitate. Simultas demum *ordinis* est inter ea quæ sunt ejusdem gradus vel ordinis, v. g. differentiae divisivas ejusdem generis, et ipsæ species sub eodem genere contenta?·.

V. — Motus definitur ab Aristotele : *Actus existentis in potentia in quanthm hujusmodi,* id est, in quantum est in potentia. Aliis verbis, motus est aliqua perfectio imperfecta, qua ens ponitur in aliquo actu et nihilosecius remanet in pe-

lentia. Acquisitio caloris est actus, seu perfectio quædam subjecti quod calefit, at nonobstante actu illo subjectum calefaciendum remanet adhuc in potentia ad ulteriorem calorem. Est ergo acquisitio caloris actus subjecti existentis in potentia. Itaque motus est actus vialis ad terminum. Dicitur : *in quantum hujusmodi,* scilicet in quantum est tendentia ad actum perfectum, qui est terminus (1). Simplicius definiri potest: *transitus de uno statu in alium.*

Sex porro sunt species motus. Nam mutatio de uno ad aliud potest esse vel ex non subjecto in subjectum, ex non esse substantiali ad esse substantiale, ut cum ex non animali fit animal, et sic habetur *generatio;* vel ex subjecto in non subjectum, ex esse substantiali ad non esse substantiale, ut cum ex animali fit cadaver, et habetur *corruptio.* Vel fit ex sujecto in subjectum, et ita quadruplex est : *alteratio,* qua subjectum transit de qualitate in qualitatem ; *augmentum,* quo subjectum transit de minori vel imperfecta ad majorem vel perfectam quantitatem ; *decrementum,* quo subjectum transit de majori vel perfecta ad minorem vel imperfectam quantitatem ; *latio,* qua subjectum transit de loco in locum.

VI. — De modo habendi. Ultimum postprædicamentum, *habere,* est modus quo una res dicitur *habere* aliquid. Sunt autem octo modi. Primus est quo quis dicitur habere qualitatem, ut scientiam, virtutem ; secundus quo quid dicitur habere quantitatem, puta bicubitalem, vel tricubitalem ; tertius est quo quis dicitur habere ea quæ corpori adjacent, ut vestem, arma ; quartus, quo quis dicitur habere ea quæ adjacent parti, ut annulum in digito ; quintus quo quis dicitur habere membrum ; sextus quo quid dicitur habere contentum, ut lagena vinum ; septimus, quo quis dicitur habere possessionem ; octavus, quo vir dicitur habere uxorem, vel uxor habere virum. Ita Alamannus (2).

Hi modi ad quinque reduci possunt. Aliquis enim dici potest habere aliquid : Io per *inhserentiam,* ut intellectus habet

1. **Vide dicenda in** I **P.** *Phil. Nat.* **Tract. IH. Q. 1, art. II.**
2. *Log. de Postprædic.*

scientiam, corpus quantitatem, murus colorem ; per *continentiam,* ut lagena vinum, crumena pecuniam ; 3° per *possessionem,* sicut homo habet domum ; 4° per *relationem,* sicut servus habet dominum, filius patrem ; o° per *juxtaposiiionem,* sicut homo habet arma, vestes; sicut Gallia, ait Goudin, habet ad occidentem Oceanum et ad meridiem mare Mediterraneum.

QUÆSTIO SECUNDA

De his quibus manifestatur simplex apprehensio.

Hucusque sermonem habuimus de elementis quibus Ht prima mentis operatio, seu de ideis et conceptibus. At interna operatio exterius manifestatur signis vel terminis. Hinc est disserendum de signis et terminis eorumque divisionibus et proprietatibus.

ARTICULUS PRIMUS

de SIGNIS ET TERMINIS (1)

I· — Signum in communi. Definitur : Zd *quod représentai aliud a se potentiæ cognoscenti.* Duo sunt de ratione signi hoc modo sumpti. Primum est ut sit manifestativum et repræsentativum ; secundum vero est ut dicat ordinem ad alterum, scilicet ad aliquid a se distinctum, quia nihil est sui signum ; et ad potentiam cui manifestat rem a se distinctam. Ordinatur itaque ; I0 ad rem significatam tanquam ad terminum *quem* manifestat, et 2° ad potentiam cógnoscenterñ tanquam ad terminum *cui* fit manifestatio.

II. — Signum dividitur in formale et instrumentale. — *Formale* est quod repræsentat aliquid vi ipsius similitudinis, ut *imago ; instrumentale* vero quod ducit inalicujus cognitionem vi alterius connexionis præter similitudinem ; sic *fumus* re-

4. Cf. Aristóteles, *Periliwmeneiast* **D.** Thomas, **comment, in profatum librum,** Joannes **a S.** Thoma, **Log. II P.** *Q.* **21,** Alamannos, **Log. Q. XVI.**

praesentat *ignem,* non vi similitudinis sed vi connexionis quæ est inter effectum et causam.

Instrumentale definitur : *Id quod prius cognitum ducit in cognitionem alterius.* Hæc definitio passim traditur de signo in genere, sed non nisi instrumentali signo proprie convenit. Signum enim formale non semper prius cognoscitur quam res significata; imo significatum cognosci potest simul et prius ipso signo ut *medio,* vel in ipso signo. Sic species qua fit cognitio rei externæ est ejus signum formale, cum tamen prius cognoscatur objectum quam species. De ratione e con** tra signi instrumentalis est ut sit aliquid prius cognitum, et quatenus prius cognitum, ducat in alterius cognitionem. Quandoque tamen signum formale potest ducere in rei cognitionem quatenus est prius cognitum, sicut cum imago prius cognita facit aliud cognoscere ; at tunc non est pure formale, sed novam induit rationem et dicitur *formale objectivum.*

Porro signum in stricto sensu acceptum comprehendit solum signum instrumentale et signum formale objectivum, non autem signum pure formale. Nam ex modo loquendi signum dicitur quod est magis notum, seu prius notum quoad nos. At signum pure formale non est prius notum quoad nos, ut dio tum est. Ergo. Ile ratione igifiir signi proprie dicti tria sunt : I0 ut sit manifestativum ; 2° ut ordinem dicat ad alterum a se distinctum ; 3° ut sit *prius cognitum* quam res manifestata et significata. Nonnulli quartam addunt conditionem, nempe ut signum sit minoris momenti quam signatum ; sic fumus, statua minoris sunt momenti quam res ipsis significat».

III. = Aliae partitiones signi. Signum *naturale* dicitur quod repræsentat ex ipsa natura, et idem est apud omnes : fumus est signum ignis naturale; vestigium leonis naturale signum transitus leonis ; ploratus naturale tristiti» indicium.

Signum *arbitrarium* est illud quod repræsentat aliquid vel ex impositione voluntatis per publicam auctoritatem, sicut *vexillum,* quo casu dicitur proprie signum *ad beneplacitum ;* vel ex solo usu absque publica impositione, sicut *mappæ supra mensam* significant prandium, quo casu dicitur signum *ex consuetudine.*

Signum *artificiosum,* seu *mixtum,* est id quod partim ex natura partim ex conventione significat, ut *gladius, barometrum.*

Signum *suppositivum personale* est quod non solum rem manifestat sed, etiam pro ipsa supponit ipsiusque vices gerit; ut *statua* regis pro regis persona supponit.

Signum vero *manifestativum impersonale* est quod rem solum ostendit, non pro ipsa supponit. Potest autem idem simul esse manifestativum et suppositivum, sicut imago est manifestativa regis et supponens pro rege ; sicut vocabula sunt suppositiva rerum et conceptuum manifestativa.

Signum dicitur *speculativum* si ordinetur tantum ad repraesentandum, *practicum* autem, si id efficiat quod significat : sacramenta sunt signa praefica, quia causant gratiam quam significant.

Signum quod est de praeterito dicitur *rememorativum ;* quod est de praesenti *demonstrativum;* quod est de futuro,j»roy?2O5Z¿-*cum.* Eucharistia, v. g. est signum rememorativum Passionis Christi, demonstrativum gratiae, prognosticum futuræ gloriae.

IV — In quo praedicamento sit reponendum signum in communi, et an debeat esse aliquid sensìbile. Ad primam quæstionem sit responsio : *Signum est in prædicamento relationis.*

Probatur. Signum se habet ad signatum sicut mensuratum ad mensuram, sicut substitutum ad suum principale. Atqui ordo mensurati ad mensuram, substituti ad suum principale est relatio prædicamentalis. Ergo. Prob. Maj. Signum, ut sit verum signum, debet conformari signato, et tanto melius significat quanto propius ad ipsum signatum accedit. Mensuratur ergo a signato. Pariter signum non est propter seipsum, sed ordinatur ad signatum tanquam ad suum terminum. Quod autem ordinatur ad aliud tanquam ad finem se habet ad ip* sum sicut ad principale. Stat ergo major : Signum se habet ad signatum sicut mensuratum ad mensuram, sicut substitutum ad principale. — Minor autem constat ex dictis. Proxima enim relationis prædicamentalis fundamenta sunt unitas et numerus, actio et passio, *mensura* et *mensurabile* (1).

Cf. Ont. Tract. III. Q. 3, art. Ill, η. IX.

Ad secundam vero quœstionem responsio est : *De ratione signi inter homines est ut sit aliquid sensibile.* Probatur. Signum in sensu stricto debet esse notius quam res significata, cum sit medium ipsam cognoscendi. Atqui sensibilia sunt homini notiora quam spiritualia ; est enim modus naturalis cognitionis nostre ut per visibilia ad invisibilia, et per sensibilia ad intelligibilia assurgamus. Ergo de ratione signi inter homines est ut sit sensibile. Hinc est quod Christus, ut nostræ nature se accommodaret, sacramenta sensibilia instituerit.

V. — Signa logica. Quæ de signo in genere praenotavimus applicanda sunt signo logico, quod dicitur *terminus.* Definitur in universum terminus. *Signum rei simplici apprehensione perceptæ.* Terminus quidem *mentalis* est ipsum signum internum rei mente perceptae ; terminus autem *vocalis* seu *oralis* est vox ex hominum arbitrio significans et terminum mentalem et rem termino mentali expressam.

Terminus mentalis est signum formale, naturale; formale quidem, quia est ipsa rei similitudo, naturale vero, quia vim determinatam significandi habet a natura. Terminus autem oralis est signum instrumentale ad beneplacitum; quia non vi similitudinis nec ex instituto nature sed ex hominum consuetudine significat. Directe et immediate refert terminum internum, seu verbum mentale, est enim illius vicarius sensibilis ; secundario autem ipsam rem quæ verbo mentali repraesentatur.

VI. — De sermone. Quo melius intelligatur natura termini oralis, seu vocabulorum, quædam de sermone subjunguntur. Sermo in genere, prout comprehendit et propriam et metaphoricam significationem, quadruplex distingui potest : *sermo actionis, sermo sonorum seu vocum, sermo articulatus* seu *locutio,* ac *sermo scriptus.*

I0 Sermo *actionis* complectitur gestus, motionem vultus, oculorum, capitis, corporis, et generatim motus omnes qui ad manifestandas internas impressiones ordinantur. Hic sermo spontaneus, instinctivus ac naturalis est ; invariabilis aut fere invariabilis in omni tempore et loco invenitur, nec sine illo vera datur eloquentiœ vis.

2° Sermo *sonorum* comprehendit clamores inflexionesque in articulatas vocis. Vox porro ab Aristotele definitur : So* *nus ab ore animalis prolatus cum imaginatione quadam* (i).' Est igitur homini et bruto communis. Producitur ex influxu imaginationis aliquid apprehendentis. Imaginatio vero co* gnoscit tantum sensibilia, seu ea quæ sunt delectationis et tristitiæ objecta ; hinc est quod vox dicatur et sit signum tristitiae et delectationis, et, quia passiones omnes ad tristitiam et delectationem reducuntur, vox dici potest universale passionum signum. Vocum aliæ significant ex natura, ut gemitus, interjectiones, rugitus ; aliæ autem sine significatione sunt, ut *bilitri, syndapsis*\ aliæ demum ex hominum placito significant.

3° Sermo *articulatus,* seu *locutio,* est sonus ab ore hominis prolatus ad manifestandos internos mentis conceptus. Differt a voce dupliciter : primo quidem, quia vox est modulatio inarticulata, constans vocalibus, vel si quibusdam consonantibus, non tamen ordinatis ad syllabas et phrases efformundas, locutio autem constat vocalibus et consonantibus, ita ordinatis ut ex earum copulatione resultet syllaba, ex syllabis vero vocabula, ex vocabulis phrases. Secundo, quia vox est passionis signum, locutio vero mentalis conceptus expressio ; vox singularia, locutio universalia refert. Quantum ergo distat intellectus a sensu, tantum praeeminet locutio voci.

Locutio naturæ humanas mire congruit. In homine quippe est spiritus et corpus, in sermone concurrit etiam cum corpore spiritus : spiritus quidem est conceptus internus, verbum mentale ; corpus autem est sonus sensibilis, qui est internae cogitationis indumentum et vehiculum. Sicut corpus animae debet inservire, ita vocabulum cogitationi ; sicut vero interdum corpus animam impedit et captivat, ita quandoque cogitatio vocabulo impeditur fitque quasi vocabuli serva. At secundum legem naturalem sermo et cogitatio debent se mutuo juvare, sicut animg et corpus.

Hinc apparet sermonis et vocabulorum necessitas. Si homo purus esset spiritus, sufficerent sibi proprii conceptus ; si solitariam vitam duceret sufficerent sibi passiones. At, quia est

1. II *De anima,* **cap. xnii.**

naturaliter socialis, signis uti debet quibus cum cæferis communicet. Si sensitiva tantum cognitione uteretur, sufficeret sibi vox, at quia est sensibilis et intellectualis naturæ, debet habere sensibilia conceptus intellectualis signa, et hæc sunt vocabula, seu locutio (1).

4° *Scriptura* est vicaria locutionis, seu ipse sermo oralis pictus et quasi ipsis oculis loquens. Porro homo, sicut invenire potuit vocabula ad suos conceptus exprimendos, ita sibi potuit signa praestituere ad suam locutionem pingendam. In principio, ut videtur, scriptura fuit figurativa : ad scribendum objectum quidpiam illud pinxerunt. Postea devenerunt ad scripturam ideographicam, quæ ideam, non sonum repraesentat; ac tandem ad scripturam phonelicam, sonorum repræsæstentativam, quæ nempe vocabula dividit in syllabas et syllabas in vocales et consonantes.

Celeberrima est scriptura Ægyptiorum hieroglyphica, quæ signa habet figurativa, allegorica et phonetica. Sunt autem hieroglypha imitationes objectorum sive rcalium sive imaginariorum ad cogitationem exprimendam. Sic imago aquilæ designat litteram *a,* imago leonis litteram *b,* imago oris r, imago noctuæ *m,* etc. Quandoque signa syllabica adjuncta habent signa ideographica quæ significationem determinant, Sic verbum quod significat manducare adjunctum habet hieroglyphum representans hominem qui ad os manum admovet.

VII. — Inter omnia signa vocabula principatum obtinent. Nam omnia alia signa verbis enunciare possumus, sed verba aliis signis exprimi vel nullatenus vel nonnisi imperfecte et confuse possunt.

Vocabula decem assignant Grammatici, tria vero fréquentions usus sunt apud Logicos : *nomen, verbum et attributum.* De attributo loquemur in tractatu de propositione, hic nonnulla de nomine et verbo.

VIII. — Nomen : Definitur **ab** Aristotele : *Vox significativa ad placitum sine tempore cujus nulla pars significat separata, finità et recta* **(2).**

1. **Cf. I.** *Periherm.* **Lect. S.**
2. **I.** *Perikerm,* **cap. vi.**

Dicitur: 1® *cujus nulla pars significat separata,* ut in hoc exemplo : *tellus, tel* et *lus* separatine nullum exhibent sensum. Quandoque partes possunt materialiter aliquid significare, non autem in ordine ad componendam vocem completam. Sic *res* et *publica* separatine significant, at non referunt simplicem illum conceptum quem exhibent quum uniuntur in hac dictione: *respublicat* id est, regimen commune.

2° *Sine tempore.* Nomen abstrahit a praesenti, praeterito et futuro, remque exhibet quasi subsistentem, non autem per modum actionis et passionis. Potest quidem materialiter actionem exprimere, ut *scriptio, fabricatio,* sed id fit per modum subjecti, non per modum actionis. Scriptio enim et fabricatio, ut nomina, abstrahunt ab omni actu præsenti.

3° *finita.* Nomen infinitum, seu infinitans, dicitur quod aliqua negatione apposita reddit suam significationem indeterminatam : *non-homo.* Notandum est negationem quandoque affigi præcise ad negandum, ut *nullus* ; quo casu non est vox infinitans. Tunc solum nomen infinitum dicitur, cum negatio ponitur ad faciendam significationem indeterminatam. Porro vox infinitans non est nomen. Nomen quippe est quasi *notamen* et designativum rei ; rem enim suo nomine notamus, dignoscimus, distinguimus a cæteris. At nomen infinitum nec notat, nec designat, nec distinguit ; quinimo suum significatum reddit indeterminatum, exprimendo quid non sit, non vero quid sit.

4° *Recta.* Casus obliqui excluduntur a stricta ratione nominis. Proprium enim officium nominis est significare aliquid nominando, id est notando et designando quid sit in se. At •asus obliqui, casus *cujus,* vel *cui,* significant rem prout est alterius, non vero prout est in se. Ergo non sunt nomina. « Quin potius, ait Joannes a S. Thoma, *casus* dicuntur, quia a propria nominis ratione *cadunt* ».

Animadvertendum est tandem nomen significare per mo dum subjecti et substantiæ. Vocatur *substantivum,* non quod semper substantiam referat : *virtus* quippe, *albedo,* sunt accidentia ; sed quia quidquid significat, per modum subjecti in se stantis exprimit

IX. — Verbum. Est *vox significativa ad beneplacitum, quæ insuper significat cum tempore, et est signum eorum quæ de alio dicuntur.* Dicitur : I0 *Cum tempore.* Aliquid potest significare tempus ut rem significatam, et hoc fit per nomen, v.g., *tempus, dies, mensis annus* ; aliquid potest significare habitudinem unius temporis ad aliud, et hoc fit per adverbia, *heri, hodie, cras,* etc.

Ac tandem potest significare *cum tempore,* et hoc est proprium verbi. Significare enim cum tempore est significare actionem et passionem, prout est in fieri. Actio porro ut in fieri est quidam fluxus et motus, seu egressus ab agente in passum. Jam vero motus tempore mensuratur. Significare ergo actionem vel passionem in fieri est significare cum tempore. Verbum potest quidem esse independens a tempore, si exprimit aliquid aeternae veritatis : *homo est animal rationale ;* at semper *cum tempore* significat, quia etiam actiones æternæ veritatis intelliguntur a nobis per modum temporis, id est per modum fluxus et motus. Tempus autem quod importat verbum est tempus praesens ; praeteritum quippe et futurum ipso verbo non exprimuntur, sed potius formis et casibus verbi.

Omnia porro verba et omnia verborum tempora ad praesens verbi *est* reducuntur : *Laborat, est laborans ; laboravit, est habens laborem ut factum (il est ayant travaillé) ; laborabit, est habens laborem ut faciendum (il est devant travailler).*

2° *Est signum eorum quæ de alio prædicantur,* quia est vinculum subjecti et attributi, unde dicitur *copula.* Subjectum quidem et praedicatum sunt materia, verbum vero est forma 'nropositionis.

Diximus nomen infinitans non esse proprie nomen ; an autem dari possit verbum infinitans? Resp. Intra propositionem verbum non potest infinitari, bene vero extra propositionem. Verbum enim intra propositionem exercet officium copulæ. Ergo negatio afficiens verbum afficit ipsam copulam, ipsamque unionem, ideoque negat verbum, non infinitat. Extra vero propositionem verbum non tenet locum *copulæ,* ideoque potest infinitari.

ARTICULUS SECUNDUS

J&E *DIVISIONE ET PROPRIETATIBUS TERMINORUM*

I. — Terminorum divisio. Cum termini signa sint conceptuum, dividuntur sicut ipsi conceptus. Quædam tamen sunt divisiones quæ magis propriæ sunt terminis mentalibus, sicut terminus *intuilivus, abstractivus, quidditativus directus, reflexus.* Quædam autem magis propriæ terminis vocalibus. Hi autem termini sunt :

I0 Terminus *significans,* qui revera aliquid menti exhibet, terminus *inanis* qui aut nihil aut rem repugnantem refert, ut *bilitri, circulus quadratus.*

2° Terminus *fixus, terminus vagus.* Terminus *fixus* habet constantem significationem, ut *circulus* ; *vagus,* autem modo unum, modo alium conceptum exhibet, sicut *natura* modo essentiam, modo totum universum, modo id quod est gratiæ oppositum, significat.

3° Termino vago affines sunt terminus *æquivocus, ambiguus* et *obscurus. Æquivocus* est terminus idem qui pluribus sim*-pliciter diversis tribuitur. Æquivocatio porro non est idearum, nam idea ita est unius ut non possit esse alterius imago. Hæc autem est differentia inter terminum *æquivocum* seu *ambiguum,* et *terminum obscurum* : in obscuro vel nihil vel parum quod attendatur apparet, nec satis constat ad quid significandum impositus fuerit ; in *ambiguo* vero plura apparent, sed quid horem accipiendum sit ignoratur.

4° Terminus *categorematicus* qui per se solum significat, ut *homo ;* et terminus *syncategorematicus* qui significat cum alio, ut *tres, decem,* etc.

5° Terminus *obsoletus,* qui ab usu communi non amplius recipitur, el terminus *usilalus,* qui a communitate recipitur. P. Lepidi (1).

II. — De suppositione. Terminorum proprietates præcipuœ sunt:

Suppositio, appellatio, ampliatio, restrictio, et *alienatio.* — *Suppositio* est *acceptio termini pro aliquo de quo verificatur.* Quum enim res ispas inter disputandum afferre non liceat, loco rerum terminos adhibemus, sicut supputatores utuntur calculis loco pecuniarum. Quæ nominis substitutio loco rei dicitur *suppositio,*

Non est suppositio ipsa vocabuli significatio. Nam significatio est repraesentatio qua ipsæ voces nobis ingerunt res significatas ; suppositio vero non tantum rem ostendit, sed etiam substituitur loco illius cui volumus aliquid applicare. *Homo est sapiens ; homo,* bic non solum significat naturam humanam, sed etiam loco naluræ hunianæ, cui sapientiam tribuo, substituitur. Hinc multi termini significant qui tamen non suppo* nunt ; sic adjectiva non supponunt, sed copulant. In propositione subjectum dicitur *supponere,* praedicatum autem *veri-/icari.*

Additur : *pro aliquo de quo verificatur.* Sensus non est : de quo verificalur ipsa propositio, sed : de quo verificatur acceptio seu substitutio termini. *Homo est lapis ;* non verificatur propositio, at tamen *homo* vere supponit, quia respectu hujus copulae : *est,* revera datur aliquid cui attribuo esse lapi" dem. Cum autem acceptio termini non verificatur, dicitur propositio de subjecto non supponente.

III. — Suppositio termini non habet looum extra propositionem. Licet enim terminus significet extra propositionem, non tamen verificatur ejus substitutio loco alterius nisi per copulam *est.* Sed ind sola propositione invenitur copula. Èrgo in sola propositione terminus supponit.

IV. — Suppositionis partitiones. Ex parte significati ¡/vi-

1. *Log.* **p. 112,**

dilur in *propriam* et *impropriam. Propria* est acceptio termini pro eo quod proprie significat vel repræsentat, ut cum dico : *Leo rugit. Impropria* est acceptio termini pro eo quod metaphorice et similitudinarie refert, ut si dicam : *Vicit Leo de tribu luda.*

Propria vero dividitur in *materialem* et *formalem. Materialis* est acceptio termini pro scipso, seu pro ispa voce. *Messias est nomem hebraicum, homo est vox duarum syllabarum. Formalis* est acceptio termini pro suo significato : *Messias est Filius Dei quem mirabili unctione Deus unxit.*

Formalis duplex est : *simplex* et *personalis. Simplex* est acceptio termini pro eo quod est significatum primario et immediate. *Homo est species* ; non accipitur hic homo pro individuo, sed pro homine ut sic. Suppositio vero *personalis* est acceptio termini pro individuis seu pro his quæ materialiter et mediate significat. *Petrus est homo.* Dicitur personalis, quia convenit suppositis seu personis.

Distinguitur etiam suppositio *logica* et *realis. Logica* est quæ ponitur pro re ut subest intentioni secundæ ; *animal est genus, homo est species ; realis* vero quæ ponitur pro re ut subest intentioni primæ *'Animal est vivens animatum ; animal est ferox,* etc.

Distinguitur insuper suppositio *singularis* et suppositio *communis.* Suppositio *singularis* est acceptio termini singularis pro re singulari : *Petrus disputat.* Suppositio communis est acceptio termini communis pro conceptu exprimente rem pluribus communem : *Homo disputat.*

Communis suppositio dividitur in *absolutam* et *personalem.* Simplex et *absoluta* dicitur quando acceptio termini est pro suo immediato significato, id est pro natura, abstractione facta ab individuis : *Homo est animal. Personalis* vero quando acceptio termini est pro mediato significato seu pro individuis et personis : *Omnis homo moritur.*

V. — De descensu. Illa quibus applicatur terminus communis dicuntur inferiora. Successiva autem substitutio inferiorum termino communi sub quo continentur vocatur *descensus.* Omnis *hopw* est *animal,* descendendo ad inferiora

resolvo : *Petrus esi animal, Paulus est animal,* etc. Quadruplex autem est descendus : *Copulativus, copulatus, disjunctivus, disjunctus.*

Copulativus dicitur quando individua quæ substituuntur ideae universali ita uniuntur particula copulativa *ei, ac,* ut pro singulis individuis multiplicanda sit oratio. *Omnis homo esi risibilis* ; et *Petrus est risibilis ;* et *Jacobus esi risibilis* ; el *Joannes est risibilis* ; pro singulis individuis oratio multipli-' calur.

Copulatus habetur quando singula substituta ita uniuntur particula copulativa ut oratio non sit pro numero individuorum multiplicanda. Exemplum afferunt communiter illud crudele Neronis effatum *'.Utinam omnes cives haberent unum caput !* Non fit descensus hoc modo : Utinam civis A haberet unum caput, ct civis B habarel unum caput, sed : utinam et civis A et civis B et omnes simul sumpti haberent unum caput '.

Disjunctivus est quum individua substituta ita connectuntur particula disjunctiva *aut, vel,* ut pro numero individuorum multiplicanda sit oratio. *Aliquis homo est albus ; vel hic homo est albus, vel ille homo est albus. Aliquis navigator invenit Américain* ; vel *hic navigator invenit,* vel *ille navigator invenit.*

Disjunctus demum quando individua substituta ita connectuntur particula disjunctiva ut non sil pro numero individuorum multiplicanda oratio. Exemplum vulgatum est istud : *Aliquis oculus est necessarius ad videndum,* oculus supponit pro ambobus oculis sub disjunctione simul sumptis, non seorsim. Unde solum inferre licet de ambobus simul : *Ergo vel dexter vel sinister est necessarius ad videndum* ; non *vero seorsim : Ergo vel dexter est necessarius, vel sinister est necessarius* His explicatis de quadruplici descensu, facile intelligitur quid sit.

Vi. — Suppositio distributiva, collectiva, disjunctiva et disjuncta. *Distributiva* est acceptio termini **pro** omnibus ac singulis suis significatis, ita ut inferiora sint descensu copulativo enumeranda. *Omnis homo est vivens* ; et *Petrus est vivens* et *Jacobus est vivens,* etc. Hæc subdividitur in dis-

tributivam *completam,* seu absolutam et in distributivam *incompletam,* seu accommodatam. *Completa* et absoluta est acceptio termini communis pro omnibus suis significatis absolute, ut in exemplo mox allato, seu pro *singulis generum,* nempe pro singulis individuis sub specie contentis. ïn cúmplela est pro *generibus singulorum,* id est, non pro singulis individuis speciei, sed solum pro speciebus sub genere contentis. Classicum exemplum est : *Omne animal fuit in arca Noe,* sensus est: ex omnibus animalium specibus aliquod fuit in arca Noe.

Suppositio *collectiva,* quæ etiam dicitur *copulata,* est acceptio termini pro omnibus suis significatis simul, non seorsim sumptis, adeo ut inferiora sint enumeranda descensu copulato : *Omnes Apostoli sunt duodecim.*

Suppositio *disjunctiva* est acceptio termini communis pro inferioribus enumerandis descensu disjunctivo : *Aliquis Apostolus tradidit Christum ; aliquis navigator invenit Américain.*

Suppositio *disjuncta* est acceptio termini communis pro inferioribus enumerandis descensu disjuncto.

VII. — Regulæ suppositionis. Quad subjectum. Prima : Subjectum affectum signo universali affirmativo *omnis, totus,* etc., supponit universaliter, et distributive quidem vel collective juxta exigentiam praedicati : *Omne animal est vivens* — distributive ; *omnes milites sunt exercitus* — collective. Secunda regula : Subjectum affectum signo universali negativo, *nullus, nullum,* ex natura sua supponit distributive : *nullus homo esi lapis.*

Tertia regula : Subjectum affectum signo particulari *aliquis,* supponit disjunctive vel disjuncte juxta exigentiam praedicati. *Aliquis homo est albus* — disjunctive ; *aliquis equus est necessarius adequitandum* — disjuncte.

Quarta regula : Subjectum nullo affectum signo supponit distributive in materia necessaria ; sic *homo est animal,* aequi valet, *omnis homo est animal* ; particulariter vero in materia contigenti: *Homo est albus, homo est justus,* {equivalent: *aliqui homines sunt albi, aliqui homines suntjusti.*

Quoad prædioatum Prima regula : **In** propositione affirmativa· prædicatum nunquam supponit distributive. *Homo eat animal,* i. e., *aliquod animal.*

Secunda regula : In omni propositione negativa prædicatum supponit distributive : *Homo non est lapis :* i, *e.,* nullus lapis, neque lapis A neque lapis B.

VIII. — Appellatio. *Est appositio seu applicatio significationis unius termini ad significatum alterius. Petrus est doctus;* significatum termini *doctus* applicatur significato termini *Petrus.* Terminus porro qui applicatur, dicitur *appellans,* ille vero cui fit applicatio, dicitur *appellatus.* In allato exemplo *doctus* est terminus *appelons, Petrus* terminus *appellatus.* Terminus appellans duo importat: et formam et subjectum. Potest igitur fieri applicatio vel ratione formæ vel ratione subjecti. Si quidem ratione subjecti est appellatio *materialis,* si autem ratione formæ, est appellatio *formalis : Philosophus ambulat,* appellatio materialis ; *philosophus demonstrat,* appellatio formalis. Philosophus ratione philosophise non ambulat, sed demonstrat.

Terminus appellans sumitur semper formaliter. Quoad terminum vero appellatum tres sunt regulæ, quae sic exprimuntur.

IX.— Regulae appellationis. Prima : Appellatio est materialis quando terminus appellatus est adjectivus. *In Deo sunt tres omnipotentes, tres æterni.* Si intelligantur adjective, veræ sunt propositiones, quia hunc referunt sensum : In Deo tria sunt supposita omnipotentia, æterna.

Secunda regula: Appellatio est formalis quum terminus appellatus est absolutus seu substantivus ; vel, si adjectivus seu connotativus, adjunctam habent formulam: *in quantum, secundum quod, reduplicatile ut sic.* Hinc propositiones superius allatœ : *In Deo sunt tres seterni, tres omnipotentes,* falsæ sunt, si sumantur substantive, quia hunc referunt sensum : *In Deo sunt tres omnipotentiae, tres aeternitates.* Hi termini usurpantur substantive in symbolo Athanasiano, ubj dicitur : *Non 1res omnipotentes, sed unus omnipotens.*

Tertia regula : Termini numerales applicati substantiis appellant formam earaque multiplicant, applicati autem nominibus adjectivis appellant subjectum. Hinc si dicatur : *sunt ires dii,* sensus erit : *sunt tres essentiæ divins* — propositio falsa. Si autem : *sunt tres divini,* sensus est : sunt tria supposita divina — vera propositio.

X. — Ampliatio. Est extensio termini a minori ad majorem suppositionem: *Justi autem in perfectum vivent.* Terminus *justi,* qui posset supponere solum pro justis futuris, ut solum exigit *vivent,* ampliatur et extenditur ad supponendum pro iis etiam justis qui modo sunt aut jam fuerunt.

XI. — Restrictio. Opponitur ampliationi. Est coarctatio a majori ad minorem suppositionem. *Omnis homo justus diligit Deum.* Terminus *homo* restringitur termino *justus* ad supponendum non pro omnibus, sed pro quibusdam.

XII. — Alienatio. Est translatio termini a propria significatione ad impropriam et metaphoricam, v. g: *Vos estis sal terrs, Christus est agnus dominator terree.*

QUÆSTIO TERTIA

De modis sciendi

Pleraque jam expendimus quæ pertinent ad simplicem apprehensionem ; priusquam vero ad secundam operationem gressum faciamus, exponere quædam necesse est de *modo sciendi,* qui invenitur tum in prima, tum in cæteris operationibus.

ARTICULUS PRIMUS

DE MODIS SCIENDI IN COMMUNI

I. — Modus sciendi sumitur tripliciter : Primo, latissime pro omni quod conducit aut juvat ad scientiam acquirendam. Hoc sensu Logica, quæ tradit regulas sciendi, Methodus, quæ est modus ordinate procedendi in veritatis inquisitione, dicuntur nonnunquam modi sciendi. Secundo, strictissime pro eo solo quod proxime et immediate concurrit ad scientiam proprie dictam comparandam. Hoc modo sola demonstratio est modus sciendi ; quia ipsa sola veram et proprie dictam scientiam parit. Tertio, communiter accipitur pro eo quod servit immediate ad recte et sine errore rem cognoscendam, etsi illa cognitio proprie scientifica non sit. Hoc sensu modus sciendi definitur : *Oratio ignoti manifestativa, seu explicans id quod de re ignoratur.*

XI. — Quid oratio. In genere oratio est complexus quidam verborum aliquam animi sententiam referens. Dividitur in *perfectam* et *imperfectam. Perfecta* illa est quæ completum sensum in animo audientis generat, quæ nempe intellectum suspensum non relinquit, sed totam sententiam referi : *Deus est summum bonum. Imperfecta* vero sensum incompletum generat, non exprimit integram sententiam, sed intellectum quasi suspendit: *Si dormiatis...* cum Petrus *loqueretur.*

Orationis species sunt : *enunciativa, deprecativa, imperativa, interrogativa, vocativa.*

Non solum enim oratio debet conceptum exprimere, sed etiam ad alios dirigere. Unde præter *enunciaiivam* quæ mentis conceptus refert, necesse fuit ut essent aliquæ aliae orationes significantes ordinem rationis secundum quam alta diriguntur. Dirigitur autem ex ratione unius hominis alius homo ad tria: Primo quidem ad attendendum mente, et ad hoc pertinet *vocativa* oratio ; secundo ad respondendum voce, et ad hoc pertinet *interrogativa* ; tertio ad exequenduin in opere, et ad hoc pertinet quantum ad inferiores, oratio *imperativa,* quantum autem ad superiores, oratio *deprecativa,* ad quam reducitur *optativa,* quia respectu superioris homo non habet vim molivam nisi per expressionem desiderii. *Dubitativa* autem refertur ad *interrogativam* (1).

XII. — Sola oratio enunciativa pertinet ad Logioam. Oratio enim non pertinet ad Logicam nisi quatenus est signum veritatis aut falsitatis. Atqui esse signum veritatis aut falsitatis soli orationi enunciativas competit. Nam, ut in Critica ostendemus, veritas et falsitas proprie et perfecte habetur in judicio tantum, cujus signum est enunciato.

IV. — Conditiones modi solendi. Prima conditio modi sciendi est ut fiat per orationem, non vero per modum signi cujuscumque, quod insufficienter manifestaret ignotum. Secunda est ut explicet clare et complete id quod de re ignoratur, ideoque ut manifestatio fiat per aliquid notius et clarius, quo tollantur obscuritas et ignorantia,

(1) *Periherm,* liv. I, lect. 7·

V. — Modi solendi tres reote assignantur : Detinitio, divi-sio, argumentatio. Probatur. Cum modus sciendi sit oratio ignoti manifestativa, tot sunt modi sciendi quot sunt ignota in rebus.

Atqui tria possunt esse ignota in rebus : I0 essentia rei, et hujus manifestatio fit per definitionem, quæ est oratio explicans rei essantiem : 2° paries rei, et harum manifestatio Ht per divisionem, quæ est oratio explicans rei partes; 3° proprietates rei, et harum manifestatio Ht per argumentationem, quæ est oratio explicans rei proprietates inferendo et deducendo illas ex essentia. Ergo tres sunt modi sciendi: *definitio, divisio, argumentatio.*

VI — Solvitur dubium. Difficultas quaedam suboriri potest de propositione, quæ videtur esse ignoti manifestativa.

Respondemus. Propositio non est modus sciendi per se et ratione sui, sed ratione definitionis et divisionis, quando nempe illas includit. Definitio secundum se non est propositio : non enim per ipsam aliquid affirmamus vel negamus, sed solum rei essentiam apprehendimus, qua de causa reducitur definitio ad simplicem apprehensionem. Est tamen propositio *in virtute,* quia, cognita definitione, illico apparet definitionem de subjecto vere prædicari, et sequitur propositio. Idem, proportione servata, valet de divisione. Propositio tanem potest includere definitionem et divisionem, v. g. : *Homo est animal rationale ; hominis alia pars est anima, alia corpus,* et tunc est modus sciendi. Iterum vero dici potest modus sciendi ratione argumentationis, in qua ipsa includitur ut pars, v. g. : *homo est rationalis, ergo esi risibilis.*

ARTÍCULOS SECUNDUS

DE DEFINITIONE (ï)

I. — Notio definitionis. Definitio est *oratio naturam rei aid termini significationem exponens.* 1° Est *oratio,* non vox au/ nomen. Definitio quippe debet distincte notificare rei principia; unum autem nomen non plene et liquido rei naturam ostendit. Ergo non sufficit nomen, sed requiritur oratio. 2° *Exponens naturam rei aut termini significationem,* quia distinguitur definitio *quid rei* et definitio *quid nominis.*

II. — Definitio nominis et rei. Definitio *quid* nominis est oratio explicans quid aliquo nomine intelligatur,,ul si definiam album *subjectum habens albedinem ;* philosophiam *amorem sapientiæ,* theologiam *scientam de Deo.* Definitio porro nominalis maxime necessaria est in scientis. Nisi enim prius sciatur de aliquo *an sit,* non potest sciri proprie de eo *quid sil; non entium quippe non sunt definitiones.* At non potest ostendi de aliquo an sit, nisi prius inlelligalur quid nomine significetur (2).

In disputationibus igitur incipiendum est a definitione nominali ut præcaveantur æquivocaliones et ambiguitates. Hæc autem definitio triplici processu confici protest : primo, *eruendo sensum* vocis ex ejus *etymologia* ; secundo, *exprimendo* vocem ignotam vocibus notioribus ; tertio ipsam rem voce ignota significatam *describendo* vocibus magis assuetis et manifestis.

(1; Consuli possunt. S. Thomas. *Post. Anal.,* **lect. 2,** Bossuet. *Logique,* **chap, ini,** Janet. *Logique,* **ch. v,** Davidson. *The logic of definition,* **etc***

(2) D. Th. *Post Anal.,* **I. I, lect. 2***

Definitio *quid rei* est oratio naturam rei explicans. Seu oratio qua respondetur questioni : *Quid est res ? Quid est homo ? Animal rationale. Quid est philosophia ? Scientia rerum per altissimas causas naturali rationis lumine comparata,*

III. — Definitio oonoeptualis. Prœter definitionem nominalem et realem aliqui distinguunt definitionem conceptualem. Hæc autem est oratio explicans quænam sit perceptio seu conceptio quam quis de re aliqua sibi efformat. Respondet quaestioni : *Quid tua conceptio repræsenlat de natura rei ?* Ita P. Lepidi. Hæc reducitur ad definitionem nominalem. Quaestio enim : *Quæ est tua conceptio de re ?* æquivalet isti : *Quid inlelligis hoc nomine ?*

IV. — Subdivisiones definitionis realis. Definitio *quid rei* dividitur in *essentialem, descriptivam* et *causalem,, Essentialis* est quæ rei essentiam explicat per partes essentiales, seu praedicata essentialia. Partes vero possunt esse physicæ et realiter distinctae, ut materia et forma ; vel metaphysicæ, et ratione dumtaxat distinctae, ut genus et differentia. Hinc duplex definitio essentialis : *physica,* quæ tradictur per materiam et formam, *metaphysica* quæ traditur per genus et differentiam. Definitio *descriptiva* rei naturam explicat per aliquid quod est extra essentiam ejus. Hac maxime utuntur poetæ et oratores ; philosophi vero tunc solum quum nondum constat de rei essentia, vel quum agitur de rebus quæ non habent proprie essentiam determinatam. Descriptiva porro duplex est : *propria,* quæ naturam rei explicat per proprietates v. g. : *Homo est animal risibile ;* et *accidentalis,* rem declarans per quaedam accidentia communia quæ simul juncta soli definito competunt, v. g. : *Homo est animal pulchrum, implume, bipes, habens caput erectum.*

Definitio essentialis et descriptiva sunt definitiones *intrinseche,* quia manifestant rem per principia ipsi inhaerentia. *Causalis* autem est definitio *extrínseca,* quæ rei naturam explicat per causas extrínsecas. Hæ vero causæ extrínsecas duæ sunt præcipuæ : efficiens et finalis, quibus addi potest causa exemplaris. Definitio per illas tres causas habetur in hoc exemplo :

Anima humana *est forma creata a Deo* (causa efficiens) *ad ejus imaginem* (causa exemplaris) *propter beatitudinem consequendam* (causa finalis). Huic affinis est definitio quam post Leibnitz vocant *geneticam,* quæ nempe naturam rei explicat indicando ejus originem seu genesim, sive modum quo producitur. Hujus modi sunt multæ definitiones quæ traduntur in geometria, v. g. definitio circuli : *est circulus figura plana quæ ex motu linæ rectæ sesè circa fixam sui extremitatem vertentis oritur,*

V» — Requise quoad definitionem. Reguiæ definiendi aliæ spectant ipsam definitionem, aliæ definitum. Quoad definitionem.

Prima regula. *Definitio sit clarior definito.* Etenim definitio est oratio ignoti manifestativa; ergo, nisi sit ipso ignoto notior, non habet rationem definitionis.

Contra hanc regulam peccant I0 qui utuntur vocibus inusitatis, indeterminatis, quæ iterum explicatione indigent ; 2° qui adhibent metaphoras ; metaphorae enim sensum ambiguum saepius efficiunt ; et « cum definitiones sint præcipua et efficacissima media in disputationibus, si definitiones darentur per metaphoras, sequeretur quod oporteret ex metaphoris disputare (1). » 3° Qui ponunt definitum in ipsa definitione. Est definire idem per idem, imo hoc pacto oratio redditur magis perplexa.

Secunda regula quæ sequitur ex prima : *Definitio constare debet ex genere et differentia.* Quæ regula ipsam definitionis essentiam exprimit. Definitio enim debet manifestare complete rei naturam. Sed essentia completa constituitur ex genere et differentia. Ergo constare debet definitio ex genere et differentia. Quum autem res non abet proprie genus et differentiam, definienda est ex quibusdam elementis quæ locum teneant generis et differentiæ. Aliis verbis definitio debet rem explicare peFU id quod est ei commune cum aliis, et id quod est ipsi proprium et quod ipsam a cæteris distinguit (2).

H) D. Th. **II** *Post,* **lec. 16.**

(2) Rectissime ergo Bossuetius definitionem vocat *une proposition ou un discours qui explique U genre et la différence de chaque chose. Logique,*

Tertia regula. *Definitio non sit diminuta nec superflua.* Si diminuta, non explicat totum definitum ; si superflua, non explicat clare, superfluitas quippe confusionem parit.

Ex quo sequitur quarta regula. *Debet esse reciproca seu convertibilis,* ita ut definitum possit poni loco definitionis. Ratio liquet. Definitio est ipsum definitum clarius explicatum : ergo debet convenire toti et soli definito. Modus itaque verificandi definitionem est convertere definitum cum definitiene. *Homo est animal rationale. Omne animal rationale est homo.* Valet conversio. *Homo est animal mortale. Omne animal mortale est homo.* Non valet reciproca : ergo inepta definitio.

VI. — Regulæ quoad definitum. Definitione nominali omnia possunt definiri, sive simplici nominis expositione, sive aliqua descriptione proprietatum. Ut autem aliquid definiri possit definitione reali proprie dicta plures conditiones requiruntur.

Prima, *ut sit ens completum.* Unumquodque enim definitur sicut et habet esse. Quæ ergo habent esse complete, ut substantia, proprie definiri possunt ; quæ vero habent esse incomplete ut accidentia, nonnisi imperfecte definiuntur.

Secunda. *Ut sit unum per se.* Si definitum plures essentias explicat, non erit unum definitum, sed plura.

Tertia. *Ut sit universale.* Definitio explicat lautum naturam ; singularia autem addunt conditiones naturæ extraneas, unde proprie non cadunt sub definitione, sicut nec proprie cadunt sub scientia.

Quarta, ut sii *aliqua species contenta sub aliquo genere,* eo quod omnis propria definitio constet ex genere et differentia.

VII. — Processus ad inveniendas definitiones duplex est : descensivus et ascensivus.

Primus descendit ab universalibus ad minus universalia. A

liv. II, chap. mi. — « On voit en quoi consiste la règle qui veut qu'on définisse par le *genre* et la *différence :* ce n'est pas là seulement une règle, un précepte, c'est i'essence de la définition. Ce n'eet pas, comme l'a dit la Romiguière, une *espèce* de définition : c'est la loi universelle de toute définition. » Paul Janet, *Logique,* **sect. I, chap. v.**

genere supremo ad subalternum, dèinde ad proximum, usque dum inveniat speciem quæ convertatur cum re definienda. Inventa autem illa specie habetur definitio.

Secundus ascendit ab individuis ah universala, quousque perveniat ad unam rationem omnibus individuis communem. Cognito vero quid singularia habeant *commune inter se,* inspicietur quid habeant commune *cum cæteris,* et quid proprium quo a cæteris discriminentur. Hinc habebitur genus et differentia ex quibus constat definitio.

« Suivant Bain, les définitions s'obtiennent par une double méthode : l'une *positive,* qui consiste à rassembler toutes les choses particulières qui rentrent dans la notion ; l'autre negative qui consiste à réunir tous les cas particuliers compris sous la notion opposée. C est à peu près la méthode que sui' vait Socrate et qu'Aristote appelle ἐπαγώγη (1) ».

(1) Paul Janet, *loc cit·*

ARTICULUS TERTIUS

DE DIVISIONE

I. — Notio divisionis. Divisio est *oratio explicans rei partes, seu oratio totum in suas partes distribuens.* Totum dicitur *divisum,* paries vero dicuntur *membra.*

Totum definitur : *Id cui nihil de est eorum ex quibus constare debet,* et sub alio respectu : *Unum aliquid quod in plura resolvi aliquo modo potest.*

Divisio, sicut definitio, alia est *nominis,* alia *rei.* Divido *nominis,* quæ vocatur étiam *distinctio,* est oratio terminum per varias significationes distribuens. Divisio *rei* est oratio rem explicans enumeratione partium. Hæc multas species habet. Quia vero divisionis officium est distribuere totum in paries, divisionis species cognoscentur ex speciebus totius. Præcipua autem divisio totius est in totum *reale,* totum *logicum* et totum *potestativum.*

II. — Totum reale. Totum *reale,* sive *actuale,* est id cujus paries actu existant. Hoc triplex est : *essentiale, integrale, accidentale. Essentiale* esi id quod dividitur in partes actuales essentiales ; et, si quidem fuerint parles *metaphysicæ,* sola ratione distinct®, dicitur totum *melaphysicum : hominis alia pars est animal, alia rationale ;* si vero fuerint partes*physicæ,* realiter distinctae, ut materia et forma, est totum *physicum : hominis alias pars est corpus, anima rationalis altera.*

Totum *integrale* est quod dividitur in partes actuales, quae licet non componant rei essentiam, quantitatem tamen totius constituunt, vel requiruntur ad naturalem totius integritatem: *hominis pars alia est caput, alia manus,* etc, Quidam auctores

vocant etiam totum *physicum* totum *integrale;* sed ex communi usu loquendi partes physicæ, ut materia et forma, non dicuntur partes integrales, sed partes essentiales. At, si paries essentiales sunt, totum dicendum est essentiale.

Totum reale *accidentale* est id quod dividitur in accidentia quæ actu importat : *hominis accidens aliud est quantitas, aliud qualitas, aliud relatio,* etc.

III. — Totum logicum. Totum logicum, ut explicat Gajetanus, includit totum *universale* seu *potentiate* et lotum *definibile* (1). Totum *definibile* id dicitur quod constat ex parti* bus definitionis, *Homo est animal rationale. Homo* hic est aliquod totum definiendum cujus partes sunt animal et rationale. Totum autem *potentiate,* seu *universale,* est id quod dividitur in partes potentiates et subjectas, id est quas sub se in potentia continet, et quæ e contra ipsum actu continent : *Animal aliud est homo, aliud brutum.* Animal continet in potentia hominem et brutum, sed homo et brutum actu continent animal. Recolantur ea quæ diximus de modo quo genus sit totum respectu speciei (Tract. I, q. I, art. 5). Hinc apparet [totum *potentiate* esse solummodo pariem respectu totius ofe/î*nibilis. Homo est animal. Animal* est pars tantum definitionis *hominis,* unde homo est totum definibile respectu animalis ; at rursum animal est totum potentiale respectu hominis.

Totum potentiale dividitur iterum in *essentiale* et *accidentale.* Essentiale est quod dispescitur in partes a quibus essentialiter participatur, et si quidem participetur ab omnibus æqualiler et sub eadem ratione, est lotum univocum, ut in exemplo sæpe allato: *animal aliud est homo, aliud brutum;* si vero participetur sub ratione nec simpliciter eadem nec simpliciter diversa, est totum analogicum, v. g. *ens aliud* est *substantia, aliud accidens.*

Totum potentiale *accidentale* est quod dividitur in partes potentiates a quibus accidenlaliler participatur, *album aliud est paries, aliud nix.* Hoc iterum potest esse univocum vel analogum secundum quod participatur ab inferioribus eadem ratione vel analogice. Divisio totius accidentalis triplex est :

(1) **Gajetanus prooemium ia opus** ; *De ente et essentia.*

prima, *subjecti in accidentia : animalium aliud album, aliud nigrum* ; secunda, *accidentis in subjecta : alborum aliud nix, aliud lac* : tertia *accidentis in accidentia ¡alborum aliud dulce, aliud amarum,*

IV. — Totum potestativum. Est illud quod coalescit ex pluribus agendi potentiis, seu unum principium radicale quod operatur per potentias realiter distinctas ; vel etiam una substantia prædita virtutibus multis inter se diversis: ut anima habet sensum, intellectum, voluntatem ; aut demum una et eadem potentia, seu virtus, quæ diversa gerit munia.

Totum postestativum medium se habet inter totum actuale et totum potentiate. Nam lotum potentiate seu universale adest cuilibet parti secundum totam suam essentiam et virtutem ; sic tota essentia et tota virtus animalis est in homine et in bruto ; totum vero actuale, specialim totum integrale, non adest cuilibet parti neque secundum totam suam essentiam, neque secundum totam suam virtutem : sic nec tota essentia nec tota virtus domus est in tecto. Totum vero potestativum adest singulis partibus secundum totam suam essentiam, at non secundum totam suam virtutem. Tota animæ essentia est in intellectu, non tamen tota virlus animæ in intellectu residet.

V. — Regulœ divisionis.

Prima. *Singula membra sini minora diviso,* nam omne totum est majus sua parte.

Secunda. *Omnia membra simul exhauriant totum divisum.* Ratto est quia totum non est aliud est quam omnes suæ partes simul.

Tertia. *Membra dividenda sint opposita inter se,* vel re vel ratione ; secus non essent partes de quarum ratione est se invicem excludere.

Quarta. *Totum dividatur primo in membra principalia, deinde membra principalia in membra secundaria.*

Quantum fieri potest, divisio fieri debet in duo membra tantum, quasi contradictoria, et hæc membra in alia duo subdividi, et sic deinceps, v. g : *substantia, alia est corporea, alia incorporea ; corporea alia vivens, alia non vivens ; vi"*

vens, alia sensibilis, alia non sensibilis ; sensibilis, alia rationalis, alir non rationalis. Id tamen semper necessarium non est; imo quandoque finis majoris momenti suadet ab hac regula recedere. Generati™ divisio sit brevis quoad fieri potest.

VI. — Divisionis utilitates. Inservit divisio : 1° **ad** æquivocationes tollendas, nam generati™ qui non distinguit et dividit, confundit ; 2° ad naturam rei enumeratione partium declarandam, est enim oratio ignoti manifestativa; 3° ad memoriam juvandam.

Non tamen semper et indiscimatim est adhibenda, nec usque ad minima protrahenda, nam simile confuso est, ait Seneca, quidquid usque in pulverem sectum est (I).

VII. — Divisio secundæ operationi praesertim deservit. Tribus quidem operationibus adniinicrulatur, rem enim clarius appehendimus abstrahendo et'dividendo, et argumentant! convenit ut frequenter distinguat etdividat. At secundæ operaiioni proprium est affirmare vel negare, quid autem sit affirmandum vel negandum divisione innotescit. Item affirmatio vel negatio fundantur in identitate vol diversitate subjecti, quæ quidem identitas vel diversistas divisionis ope manifestantur. Ergo divisio secundæ operationi peculiari modo deservit.

Quocirca naturalis et obvius est gressus de divisione ad secundam mentis operationem. De terlio autem sciendi modo, qui est argumentatio, fuse disseremus in Tractatu terlio.

(1) **Epist. 79.**

TRACTATUS SECUNDUS

DE SECUNDA MENTIS OPERATIONE, NEMPE JUDICIO, EJUSQUE SIGNO, NEMPE PROPOSITIONE

In prima operatione, de qua locuti sumus, unus adest conceptus, vel, si pliires, non uniuntur ad aliquid asserendum, nec dividuntur ad aliquid negandum. Tn secunda autem operatione semper adsunt duo conceptus qui affirmatione uniuntur aut negatione separantur ad sensum completum gignendum. Quæ operatio est judicium, cujus signum est propositio seu enunciato (1).

Disserendum ergo est denaturaci specibus judicii, ac de natura et speciebus propositionis.

QUÆSTIO PRIMA

De natura et partitionibus judicii

ARTICULUS PRIMUS

DE NATURA JUDICII

I. — Judicii notio. Sccudunmprimamnominisimpositionem judicium significat rec.am determinationem eorum quæ sunt

(1) « **Un dictionnaire nous fournit l'exemple de ce que les anciens appelaient** *simple appréhension,* **ou** *conception.* **Eu effet) quand je par-***

justa ; deinde ampliatum est ad significandum rectam determinationem in quibuscumque rebus, tam in speculativis quam in practicis. In Logica vero designat actum mentis quo determinamus aliquid esse vel non esse, et definitur a D. Th. (I): *Actio intellectus secundum quam componit et dividit affli'· mando et negando,*

1° *Est actio intellectus,* quia judicium attingit suum objectum sub ratione veri, verum autem objectum est intellectus. Hinc enormiter errant Cartesiani, qui autumant judicium actum esse voluntatis.

2° *Secundum quam componit et dividit affirmando et negando,* qua scilicet intellectus duas ideas conjungit affirma* tione, vel separat negatione. *Deus estjustus, Deus non est injustus.* Conceptum *Deus* et conceptum *justus compono* affirmando : *est* ; conceptum *Deus* et conceptum *injustus divido* negando : *non est.* Hæc composito comparari potest compositioni accidentis ad subjectum quæ fit in rebus materialibus, sicut ex albedine et homine componitur *homo albus.* Hæc tamen intercedit differentia : quæ componuntur in re sunt diversa, compositio autem intellectus est signum identitatis eorum quæ componuntur. Dico : *homo est albus.* Est adæquatio et identitas inter hominem et album. « Non enim sic componit intellectus ut dicat : homo est albedo, sed dicit quod homo est albus, ideslhabens albedinem. Zotem autem est subjecto quod est horna et quod est habens albedinem (2). »

Unde componere est affirmare identitatem inter duos conceptus, dividere est negare hanc identitatem.

II. — In judicio tria sunt elementa distincta 1° Elementum de quo aliquid affirmatur vel negatur; 2° ipsum eleirentum

cours un dictionnaire, chaque mot a un sens, mais non pas un sens complet, et n'implique aucune affirmation vraie ou fausse. Quand je dis *aimer, amare,* **je sais ce que cela signifie ; mais je prononce rien, je ne dis rien, je ne crois rien, tant que je ne fais que prononcer le mot. Pour que ma pensée ait un sens complet, il faut au moins deux mots, et il faut que ces deux mots soient réunis parie verbe est. »**

Paul janet, *Logique,* **sect. I; chap. in.**

(1) QQ. *dispp.* **q. 14,** *de Veril,* **a 1.**

(2) I. P. q. 85, a. 5, ad 8.

quod affirmatur vel negatur; 3° elementum conjungens aut separans utrumque. Primum dicitur *subjectum,* secundum dicitur *prædicatum,* tertium est *copula* seu verbum *est.* Duo priora sunt *extrema* judicii, et, quia plerumque prædicatum habet majorem extensionem quam subjectum, ut in exemplis: *Petrus est homo, homo est animal* (latius homo patet quam Petrus et animal quam homo) hinc communiter prædicatum dicitur *majus extremum,* subjectum vero *minus extremum.* Subjectum et prædicatum sunt quasi *matèria* judicii, copula et quasi *forma.* Sicut enim materia determinatur et constituitur per formam ita subjectum et prædicatum determinantur et constituuntur in uno esse per copulam *est.*

Si prædicatum subjecto attribuitur in casu nominativo, est prædicatio in *sensu recto* ; si in casu genitivo, dativo et ablativo, vel etiam cum præpositione importante accusativum, est prædicatio in *sensu obliquo.* Si vero prædicatum ponatur in accusativo absque præpositione, in quonam sensu dicetur prædicatio ? Disputant logici : alii tenent esse in sensu recto ; alii in sensu obliquo, et hoc videtur verius. Dicendo quippe : *Petrus amat Deum,* seu *est amans Deum,* non importatur directe identitas inter subjectum et accusativum *Deum,* sed directe importatur identitas inter subjectum et participium *amans,* quod habet accusativum Deum.

III. — De actibus qui requiruntur ad judioium.

Supponit judicium I0 simplicem apprehensionem subjecti et predicati, cum sit actus cognoscitivus, qui non potest conjungere vel separare ignota (1) ; 2° comparationem praedicati cum subjecto, nam de essentia judicii est duos conceptus comparare inter se, ut hinc determinet ipsos convenire vel non convenire ad invicem ; 3° quia debet affirmare vel negare convenientiam predicati cum subjecto, supponit perceptionem, seu *perspicientiam nexus,* id est convenientiae aut discrepantiae inter prædicatum et subjectum. Posito vero quod intellectus videat convenientiam vel disconvenientiam, requiritur ne alius ac-

(1) « **Entendre les termes est chose qui précède naturellement les assembler: autrement on ne sait ce qu'on assemble.** »

Bossuet, *Connaissance* **de Dieu et de soi-même, chap. Ier, xm.**

tus positivus quo affirmet vel neget ? Quidam auctores, inter quos card. Zigliara , ita sentiunt. Requirunt actum quo intellectus perspicit convenientiam, seu videt conceptus esse associabiles, te alium actum quo de *facto* conceptus associat.

Fatemur in nonnullis casibus ab intellectu addi novum actum quo quasi ratam habet hanc *nexus perceptionem ;* sed hic est actus reflsxus, qui ad essentiam judicii non requiritur. Unde sentimus judicium formaliter consistere in perceptione nexus inter prædicatum et subjectum.

Probatur. Est axioma : *intellectus intelligendo dicit,* quia inteiligendo format verbum quo suum objectum exprimit et dicit. Idem ergo sonat intelligere et dicere. Ergo intelligendo convenientiam, intellectus convenientiam dicit.

Atqui dicere convenientiam est convenientiam affirmare. Ergo intellectus convenientiam perspiciendo illam aflirmat. Sed affirmare est judicare ; ergo judicium consistit in ipsa perspicientia convenientiae vel discrepantiae inter praedicatum et subjectum.

Confirmatur. — Non datur medium inter simplicem apprehensionem et judicium. Atqui actus quo mens perspicit nexum attributi cum subjecto non est simplex apprehensio. Ergo est judicium.

Prob. min. Apprehensio considerat subjectum solum, vel prædicatum solum, aut si ulrumque simul, non tamen ponit copulam. Atqui perspicientia nexus ponit ipsam copulam. Ergo. — Probatur ultima minor. Non concipitur verus nexus inter utrumque extremum sine copula ; ergo actus qui ponit nexum ponit copulam. Sed perspicientia nexus ponit nexum, ergo et copulam ; ergo perspicientia nexus est positio copulæ.

Quocirca idem est actus qui videt ideas esse associabiles et qui ideas associat. Videre enim est dicere, et dicere est affirmare seu conceptus conjungere.

IV. — Judicium qualitas simplex. Certum est judicium esse quid compositum ex parte suæ materiæ, quæ ex duobus con-' captibus conflatur, conceptu nempe subjecti et conceptu praedicati. At quaeritur utrum ipse conceptus internus, seu verbum

mentis illam unionem utriusque extremi representas, sit unicus et simplex an multiplex et compositus.

Esse compositum tenent non pauci auctores ; act secundum communem Thomistarum sententiam, ille conceptus, qui dicitur etiam *propositio mentalis* simplex et unus est.

Probatur. Unius et simplicis actus non potest esse nisi unus et simplex terminus: actio quippe specificatur ex termino, ubi nempe unus est terminus una est actio, et vice versa. Atqui conceptus representans compositionem predicati cum subjecto est terminus unius et simplicis actus. Ergo ille conceptus est unicus et simplex. Declaratur minor. Conceptus ille est terminus actionis qua enunciatur unum de alio ; sicut enim actus *apprehendens* habet pro termino aliquod verbum mentale simplex objectum representaos, ita actus *enuntians* habet pro termino verbum mentale seu conceptum quo representatur ipsa enunciado predicati de subjecto. Atqui actus *enuntians* est unicus et simplex. Requiruntur quidem ad judicium plures actus prævii, ut diximus ; at ipsum judicium formaliter consistit in unica operatione intellectus et exprimitur unico verbo : *est.* Ergo verbum mentale quo judicium repraesentatur simplex qualitas est.

V. — Objicies. — Unum nonpotestrepresentare plura. Atqui conceptus qui dicitur propositio mentalis repræsentat plura. Ergo non est unicus.

Dist. maj. Unum non potest representare multa per modum multorum, concedo, multa per modum unius, nego ; una quippe imago exprimit res multas quæ conveniunt in unica repraesentatione·. Contradist. min. Repræsentat multa per modun? multorum, nego ; per modum unius, concedo: nam subjectum et prepicatum conveniunt in una affirmatione vel negatione.

— Caeterum, ut notat Goudin (1) non est major ratio cur possint unico actu cognosci quam quod possint unico conceptu exprimi. Sed prædicatum et subjectum unico actu judicii cognoscuntur. Ergo ct unico conceptu expresso possunt repraesentari et exprimi.

(1) **Log, Maj. II P. q. unie, art II.**

VI. —Judicii diversa nomina. Vocatur frequenter judicium *compositio* et *divisio,* ratione materiæ, scilicet subjecti et prædicati, quæ actu judicii conjunguntur vel separantur : *affirmatio* vel *negatio,* ratione identatis vel diversitatis quam ponit ; *assensus* et *adhæsio,* ratione veritatis ad quam mens trahitur et in qua quiescit. *Dissensus &Ï dissensio* designant judicium negativum.

VII. — Judicio proprium est continere veritatem vel falsitatem, certitudinem vel probabilitatem, et etiam statum dubii, quando dubium est deliberatum. De his in Logica Majori.

ARTICULUS SECUNDUS

JUDICIORUM PARTITIO

I. — Judicium certum, prudens, etc. Cum ex subjecto et objecto pariatur notitia et judicium, fundamentalis judiciorum divisio desumitur ex parte subjecti et ex parte objecti. — Ex parte quidem subjecti judicium esse potest *certum* vel *incertum, prudens* vel *temerarium. Certum* illud est cui mens adhæret absque ulla errandi formidine ; *incertum,* quod dicitur etiam *opinio,* est adhæsio cum quadam errandi formidine. *Prudens* est quod mens efformat ex solido motivo, secus erit *temerarium.*

II. — Judicum immediatum et mediatum. Ex parte vero objecti est *immediatum* vel *mediatum. Immediatum,* seu intuitivùm, dicitur id in quo convenientia predicati cum subjecto apparet primo intuitu absque ratiocinio : *impossible est idem esse et non esse. Mediatum,* vel discursivum, dicitur, id in quo nexusprædicaticum subjecto manifestandus est ope ratiocinii, V. *g.* : *Anima est forma corporis,*

III. — Judicium analytioum, synthetioum. Celeberrima est divisio in judicia *analytica* et *synthetica. Analytica* sunt, quorum prædicatum includitur in ipsa notione subjecti.

Potest autem includi prædicatum in subjecto tripliciter: **I**e ut genus subjecti; *homo est animal;* 2° ut differentia subjecti : *homo est rationalis,* 3° ut proprietas inseparabilis a subjecto : *homo est risibilis.* Dicuntur analytica, quia sufficit instituere analysim subjecti ut inveniatur prædicatum (si hominis analysim instituam, reperio in ipso *animal, rationale, risibile)* ;

vel saltem, per talem analysim, aperitur ratio cur praedicatum subjecto conveniat.

Hæc est notio judicii analytic! affirmativi. Judicium vero analyticum negativum habetur cum solanotio subjecti prædicatum excludit. *Homo non est angelus. Circulus non esi quadratus* — Analysis *hominis* excludit *angelum* et analysis *circuli* excludit *quadratum.* — Judicium *syntheticum* est, illud in quo notio subjecti prædicatum nec includit nec excludit. *Homo est albus** conceptus hominis albedinem nec exigit nec rejicit. Si autem de facto albedo homini conveniat, id ex experientia dumtaxat deprehenditur.

Judica analytics dicuntur *a priori, pura, rr. nonalia, metaphysica,* quia non pendent ab experientia ; dicuntur etiam *absoluta,* quia sine conditione et sine exceptione sunt. Judicia vero synthetica dicuntur a *posteriori, empirica* sive *experimentalia, contingentia, physica,* quia in sola experentia fundamenta sua habent ; dicuntur etiam *hypothetica,* quia id quod asseritur vel negatur absolute loquendo se habere aliter posset.

IV. — Num sit medium inter judicium syntheticum et analyticum. Kantius putat dari medium inter judicia analytics et judicia synthetica. Animadvertit tres esse conditiones judicii analytici : I0 prædicatum debet includi in notione subjecti ; 2° judicium analyticum debet esse universale ; 3° necessarium. Si desit ipsi una ex tribus, non erit pureanalyticum; aliunde, si habeat duas ultimas, licet prima careat, non erit pure syntheticum. Erit ergo partim syntheticum, partim a priori : recte vocabitur *syntheiteum a priori.* Porro dantur quædam judicia, in quibus deest prima conditio, adsunt vero duæ ultimæ.

Ergo dantur judicia synthetica a priori. Probatur exemplis : *Omnis effectus habet causam; quinque plus septem æquantur duodecim; linea reda est omnium brevissima inter duo puncta.* Hæc judicia sunt necessaria et universalia, qua ex parte sunt a priori. At *effectum habere causam* non includitur in notione *effectus,* quia *causa* non est de essentia *effectus; aequari duodecim* non includitur in notione *quinque plus sep-*

tem ; sed id experientia externa, recurrendo ad digilosvel scriptionem, deprehendimus ; esse *breoissimum iter duo* inter *puncta* non includitur in notione *linæ rectæ,* sed id visione externa compertum est. Ergo ex hac parte illa judicia sunt synlhetica, sicut ex alia parte sunt a priori.

V. — Conclusio. Repugnant judicia synthetica a priori qualia a Kantio adstruuntur. Arg. Iun' — Non fit judicium, nisi intellectus cognoscat convenientiam vel disconvenientiam prædicati cum subjecto. Atqui non sunt nisi duo modi cognoscendi convenientiam vel disconvenientiam prædicati cum subjecto: vel insola notione subjectiindependenterab experientia, vel insola experientia; non datur medium. Ergo judicium non fit nisi duobus modis : uno modo quum mens cognoscit convenientiam vel disconvenientiam prædicati in sola notione subjecti, altero autem modo cum illam deprehendit in sola experientia. Sed quando fit primo modo, est judicium pure analyticum ; quando vero fit altero modo est pure synlhelicum. Ergo inter analytica et synthethica judicia non datur medium.

— Objici nequit convenientiam cognosci partim in notione subjecti, partim in experientia. Si enim non sufficit notio subjecti, dicendum est convenientiam vel disconvenientiam cognosci simpliciter in experientia. Non ergo datur medium. Vel nexus prædicati cognoscitur *simpliciter* in notione subjecti, et tunc non requiritur experientia ct judicium est pure analyticum ; vel *simpliciter* in experientia, et est judicium pure synlheticum.

Arg. IIa,n. — Ex contradictionibus in quas impingit Kantius. Concedit judicia synthetica a priori esse necessaria et universalia. Atqui non possunt esse necessaria et universalia nisi praedicatum includatur in notione subjecti. Ergo contradictoria ponit. Prob. min. — Si prædicatum convenit necessario subjecto, signum est notionem subjecti requirere necessario prædicatum; si convenit universaliter subjecto, signum est notionem subjecti requirere universaliter prædicatum. Ergo judicium non potest esse necessarium et universale nisi prædicatum includatur in notione subjecti.

Arg. Ilµum. — Ex ipsis exemplis a Kantìo allatis.

Inspicialur imprimis principium causalitatis : *omnis effectus habet causam.* Effectus est ens quod incipit. Quod autem incipit non esta seipso, secus esset et non esset, nec a nihilo, ut patet, sedab alio. Ergo non concipitur effectus nisi ut aliquid quod incipit ab alio. Sed incipere ab alio est pendere ab illo tamquam a causa sui esse. Igitur licet causa non ingrediatur ipsam essentiam effectus, includitur in effectus notione (1).

— Quoad secundum exemplum : *quinque plus septem sunt duodecim.* Sic arguimus. Praedicatum includitur in notione subjecti, cum invenitur in ejusanalysi. At si instituaturanalysis *quinque plus septem* impossible est non inveniri *duodecim.* Ergo in hoc exemplo prædicatum includitur in notione subjecti.

— Id quoque de tertio exemplo verificatur. Includitur sane in notione subjecti quod in ejus definitione ponitur.

Atqui non potest definiri linea recta nisi *brevissimum iter inter duo puncta.* Ergo hic praedictum in notione subjecti includitur et a subjecto postulatur.

VI. — Judicium attributionis et judicium existentiæ. Hæc divisio frequentioris est usus apud modernos. Judicium attributionis dicitur quod habet quodcumque prædicatum, judicium vero existentiæ est id cujus prædicatum, idem semper, est existenlia : *Deus existil, ego existo.* At notetur hic adesse verum prædicatum, quod est quoddam universale subjecto majus in extensione. *Existo t ego sum existens, Petrus est existen#* : prædicatum in extensione excedit subjectum *ego* et subjectum *Petrus.*

(1) Gf. Métaphys, Ontol Tract. IV, q. I. Art. 4.

QUÆSTIO SECUNDA

De propositione ejusque partitionibus.

ARTICULUS PRIMUS

DE PROPOSITIONE IN GENERE

I. — Enunoiatio. Enunciatio est verbalis expressio judicii. Pro eodem sumitur *enunciatio* et *propositio* ; est tamen alir quando distinctio rationis, quia propositio supra enunciationem addit quod *proponatur* ad inferendum aliquid in argumentatione. In syllogismo igitur expressio judicii proprie dicitur propositio, in judiciis vero immediatis est enunciatio. At in praxi pro eodem usurpabimus.

II- — Propositionis definitio. Propositionis duplex est definitio : *essentialis* una, *descriptiva* altera. Essentialiter quidem definitur : *Oratio enunciane unum de alio. Oratio* est genus quod dividitur in quinque species ; solavero oratio *enunciativa* pertinet ad Logicam et est differentia quæ propositionem constituit essentialiter. Do essentia enim propositionis est *asserere* aliquid esse vel non esse ; quod fit communiter verbo indicativi modi, vel alio quod ad istud reducatur.

Definitur secundo : *Oratio significans verum vel falsum* (1). Hæc definitio est *descriptiva,* seu per proprietates propositionem declarans. Eo ipso enim quod enunciet unum de alio, sequitur ipsam continere veritatem vel falsità!em ; nam vel resse habet sicut enunciatur, et tunc verum significatur ; vel

(1) « Juger, c'est prononcer au-dedans de soi sur le vrai et sur le faux ; et bien juger, c'est s'y prononcer avec raison et connaissance ». Bos SUBT. **Op. Cit., XVI.**

aliter se habet, etjam immiscetur et adest falsi tas. Hoc autem est propiictas, non essentia propositionis ; nam prius est esse enunciativum quam enunciativum esse veri vel falsi. Observandum est verum vel falsum esse in mente *formaliter* tanquam in subjecto ; in re, seu objecto, tanquam in *causa* (nam ut dicit Philosophus, *ab eo quod res est vel non est oratio vera vel falsa esi)* ; in propositione demun tanquam in signo.

III. — Elementa propositionis. Propositio, sicut judicium cujusipsa est signum, tres includit terminos *'.subjectum* et *prædicatum* quasi materiam, *copulam* vero quasi formam quæ dat esse propositioni. Porro verbum semper se tenet ex parte praedicati. Munus quippe verbi est affirmare vel negare convenientiam praedicati cum subjecto, quo fit ut verbum vi officii sui ad prædidum trahatur.

IV. — Propositio de primo, de secundo, de tertio adjacente Tres termini implicite saltem continentur in omni propositione. *Amo* tres includit : *ego, sum, amans.* Cum duo explicite ponuntur, ut *Deus est,* dicitur propositio de secundo adjacente, quia tunc verbum adjacet nomini in secundo loco propositionis. Si vero tres termini explicite ponuntur, ut *Petrus est doctus*, dicitur de *terlio adjacente,* quia tunc verbum, licet non sit in tertio loco, est tamen tertia dictio quæ adjacet in enunciatione. « Non dicitur *est* esse tertium, quia sit tertium prædicatum sed quia tertia est dictio posita in enuncialione, quæ simul cum nomine predicato facit unum predi catum (i). »

Quivero si solum verbum sit expressum, *AmoV* dicitur a quibusdam propositio de primo *adjacente,* quia tunc verbum est in primo et unico loco. At,si desunt subjectum et prædicatum, non potest verbum alicui adjacere. Sivero nulli adjacet, melius diceretur de nullo adjacente. Reipsa autem hæc propositio est de secundo adjacente, quia verbum est revera in secundo loco et adjacet nomini, quod subauditur esse in primo loco.

Formaliter autem non sunt nisi tres termini, non plures ;

(1)S. Th. II, Peri/ierm, lect. 2.

nam cœteri qui adduntur sunt tantum determinationes subjecti velprædicati. *Alexander, filius Philippi, fuit bellator celeberrimus. Filius Philippi* determinai suhjcclum, quod est materialiter multiplex, formaliter unum ; *celeberrimus* determinat praedicatum, quod est unum formaliter.

V. — Naturalis ordo in terminis propositionis. — Praedicatum majorem debet habere extensionem quam subjectum, ut subjectum, nam ideo praecise subjectum vocatur quia subjicitur predicato ut inferius universaliori *Animal est vivens.* At aliunde subjectum debet majori actualitate majorique comprehensione gaudere sicut *animal* includit *vivens* et quædam alia. Hic est naturalis ordo. Unde, si subjectum est minus extensione quam praedicatum, dicitur propositio *recta* seu *natural : Animalis est vivens.* Si vero praedicatum minus est extensione quam subjectum, dicitur propositio *indirecta, innaturales, violenta.* Dicitur tandem propositio *praeternaturalis, præter ordinem,* cum predicatum convenit subjecto per accidens et materialiter, non autem formaliter et per se : *philosophus cantat ; candidum est frigidum.* Cantare non convenit philosopho, ut sic, sed materialiter ; nec frigidum cand'do nisi materialiter.

VI. — An veritas propositionis sit significatio veri. Definimus propositionem : *oratio significans verum vel falsum,* attamen veritas vel falsitas propositionis non est ipsa significatio veri vel falsi. Significare verum vel falsum est significare rem applicando unum alteri per modum judicabitis ; veritas autem vel falsitas est conformitas vel diflbrmitas cum re significato ex tali significatione proveniens. Significatio igitur veri quam habet proposito antecedit ipsam veritatem propositio nis.

VII. — De interpretatione. Enunciatio, seu propositio, dicitura Philosopho interpretatio ; hinc liber *de interpretatione,* περὶ ἑρμηνείᾳ . De qua hæc adnotat Angelicus : « Dicitur autem interpretatio,secundum Boetium, vox significativa,quæ per se aliquid significat, sive sit complexa sive incomplexa. Unde

conjunctiones et præpositiones et alia hujusmodi non dicuntur interpretationes, quia non per se aliquid significant... Et ideo sola nomina et verba et orationes dicuntur interpretationes... Sed tamen nomen et verbum magis interpretationis principia esse videntur quam interpretationes ; ille enim interpretari videtur qui exponit aliquid esse verum vel falsum. Et ideo orat o enunciativa, in qua verum vel falsum invenitur, interpretatio vocalur(l) «.Itaque interpretatio est ipsa propositio ut significativa veri vel falsi.

Vili — De propositione montali. Propositio mentalis est verbum mentale propositionis oralis, seu conceptus internus repræsentans in mente unionem prædicali cum subjecto. Est qualitas simplex, ut dictum ^st quæst præced. art. I, n° 4.

(1) **II,** *Pcivicrm.,* **led. 3.**

ARTICULUS SECUNDUS

DE PROPOSITIONUM SPECIEBUS

I. — Ad quatuor refertur propositio : **ad** subjectum et prædicatum tanquam materiam ; ad extensionem seu universalitatem ipsorum ut quantitatem ; ad copulam tanquam formam ; ad veritatem vel falsitatem, ut qualitatem. Hinc quadruplex partitio propositionis: exparte materiae dicitur propositio in materia *necessaria* vel *contingente, possibili* vel *impossibili ;* ex parte formæ dividitur in *affirmativam* vel *negativam ; ex* parte qualitatis in *veram vel falsam ;* ex parte quantitatis in *singularem* et *universalem, particularem* et *indefinitam.*

II. — Ratione materise. In propositione distingui potest materia *ex qua,* et materia *circa quam.* Materia *ex qua* sunt termini, materia *circa quam* est diversa habitudo predicati ad subjectum, seu rationes diversæ propter quas predicatum convenit subjecto.

Si predicatum'^*er se* inest subjecto, dicitur propositio in materia *necessaria* vel naturali ; si predicatum per se repugnat subjecto dicitur enunciatio in materia *impossibili* sive remota ; si medio modo se habet, nec per se repugnet, nec per se insit, dicitur enunciatio in materia *possibili* vel *[contingenti.* Notandum estplures auctores distinguere propositionem necessariam a propositione in materia necessaria et propositionem impossibilem a propositione in materia impossibili. Propositio neccessaria dicitur, quum est necessario vera, et in materia necessaria cum prædicatum per se convenit subjecto ; proposto est impossibilis cum est necessario falsa, et in

materia impossibili, cum prædicatum per se excluditur a subjecto.

III. — De modis praedicandi per se. Quo clarius intelligatur quid sit per se convenire subjecto, hic quædam addere juvat de quatuor modis praedicandi *per se.*

Primus modus praedicandi per se est, cum prædicatum est definitio vel pars definitionis subjecti. Unde duplex est : primus modus prædicandi *per se primo,* quum prædicatum est tota definitio subjecti et cum eo convertitur : *homo est rationalis. Omne rationale est homo.* Primus modus prædicandi *per se secundo,* quando prædicatum est pars tantum definitionis nec convertitur cum subjecto : *homo est animal.*

Secundus modus prædicandi per se, cum subjectum ponitur in definitione prædicati, et ipsum prædicatum non est de essentia subjecti, sed aliqua ejus proprietas inseparabilis. Si dicatur : *Corpus superficiatum est coloratum,* erit secundus modus prædicationis per se (1) :quia superficies est præambula ad colorem ;unde ut definiatur color debet poni superficies in ejus definitione ; sed ipse color non est de essentia superficiei.

Hic modus est etiam duplex : primus, quum prædicatum convertitur cum subjecto : *homo est risibilis. Omne risibile est homo ;* secundus, cum prædicatum non convertitur cum subjecto. Card. Zigliara affert hoc exemplum : *Isosceles habet 1res angulos æquales duobus rectis.* Non convertitur : *omne habens tres angulos* æquales duobus rectis est isosceles.

Cujus ratio hæc est : cum summa omnium angulorum in triangulo æquivaleat duobus angulis rectis, verissimum est isosceli competere tres angulos æquales duobus rectis ; at hæc non est proprietas convertibilis cum subjecto, quia etiam scaleno competunt tres anguli æquales duobus angulis rectis.

Tertius modus prædicandi *per se* est quum prædicatum est aliquid substantiale, nam substantia dicitur *per se* **subsistens.** Sed hic est modus existendi potius quam prædicandi.

Quartus modus prædicandi *per se,* quum prædicatum est propria operatio subjecti: v. g. *musicus per se cantat, medicus per se curat.*

(1) I. P. q. 76, art. Ill,

Propositio in primo modo perseitatis dicitur propositio *per se noia,* saltem illi qui cognoscit subjectum.

IV. — Ratione formæ. Dividitur in affirmativam et negati-* vam, et hæc est divisio essentialis, quæ vocatur a D. Th divisio *generis* in species (1).

Sensus *esïpropositionis genus dividi in propositionem affirmativam et negativam tanquam in duas species essentiales.* Probatur. In aliquo genere tot sunt species essentiales quot sunt formæ essentialiter distinctae ; nam differentia et species desumuntur a forma, sicut genus a materia. Atqui in genere propositionis duplex est forma essentialiter distincta. Ergo in genere propositionis duæ sunt species essentialiter distinctae. Prob. min. Forma est copulatio ; sed copulatio negativa essentialiter differt ab affirmativa, nam negatio essentialiter opponitur affirmationi, cum illam totaliter destruat. Ergo in genere propositionis duplex est forma essentialiter distincta, ex qua duplex resultat species.

Proponi potest sub alia ratione (2). Differentia prædicati est differentia formalis. Atqui affirmatio et negatio sunt differentia prædicati: in duplici namque differentia constituitur praedicatum secundum quod affirmatur vel negatur ejus convenientia cum subjecto. Ergo affirmatio et negatio sunt duæ differentiæ formales, ideoque faciunt duas species essentialiter distinctas. Ratio majoris est quia prædicatum est pars formalis propositionis. Propria quidem propositionis forma est copula, seu verbum ; sed, quia verbum tota vi sua fertur ad prædicatum, recte prædicatum dicitur pars *formalis»* Unde differentia prædicati est differentia formalis.

V. — Qua ratione negatio afficere debeat copulam. Cum propositio negativa constet ex copula negata, manifestum est requiri ut n'egatio cadat in ipsam copulam. Si enim negatio afficiat subjectum vel prædicatum, verbum *est* remanet affirmativum, et consequenter ideblitas inter subjectum et prædicatum remanet affirmata.

(1) I *Periherm.,* **lect. 10.**
(2) *Periherm.,* **lect. 10.**

Quum autem negatio afficit subjectum dicitur propositio *indefiniti subjecti : Qui non est mecum contra me est. Non amare Deum summa stultitia est.* Quum vero negatio cadit in prædicatum, propositio est *indefiniti prædicati : Petrus est non imperitus. Vivere in peccato est non vivere.* Potest esse simul indefiniti subjecti et indefiniti prædicati.' *Non facere voluntatem Dei est non amare Deum.*

Notandum est insuper duplicem distingui copulam : aliam *principalem,* quæ unit duo extrema propositionis : *Petrus est doctus ;* aliam *minus principalem,* quæ dicitur etiam copula *implicationis,* et quæ se tenet ex parte alicujus extremi. V.g. *Petrus, qui est doctus, est pius ; qui est doctus* se tenet ex parte subjecti. Copula autem quæ facit propositionem affirmativam vel negativam non est copula *implicationis* sed copula *principalis,* Unde affirmativa est sequens propositio : *Petrus, qui non est doctus, est tamen pius.*

VI. — Ex parte qualitatis. Duplex est qualitas propositionis : I0 affirmatio at negatio dicuntur qualitas essentialis propositionis ; sunt enim differentia essentialis, ut explicatum est n° 4, differentia vero dicitur *quale quid* .2° Veritas et falsitas sunt qualitas propria. Nam diximus proprium esse propositionis *ut significet verum vel falsum.* « Quum enunciatur aliquid esso vel non esse secundum congruentiam rei est oratio vera, alioquin est falsa. Sic igitur quatuor modis potest variari enunciatio. Uno modo quia id quod est in re enunciatur ita esse sicut in re est, quod pertinet ad affirmationem veram, puta *quum Socrates currit et dicimus Socratem currere.* Alio modo quum enunciatur aliquid non esse quum in re non est, quod pertinet ad negationem veram, ut quum dicitur : *Aethiops non èst albus.* Tertio modo quum enunciatur aliquid esse quod in re non est ; quod pertinet ad affirmationem falsam, ut quum dicitur : *corvus est albus.* Quarto modo quum dicitur aliquid non esse quod in re est ; quod pertinet ad negationem falsam, ut quum dicitur : *nix non est alba* (1). »

VI. — Exparte quantitatis. Propositionis quantitas est **ex-**

(i) *Perihem.,* **lect. 9.**

tensio subjecti ad plura vel pauciora. Propositio singularis non est proprie *quanta,* quia convenit uni tantum, et est aliquid indivisibile in genere quantitatis propositionis. Quanlilas autem desumitur ex subjecto : in tantum enim se extendit forma propositionis in quantum permittit subjectum, unde ponitur verbum in singulari vel in plurali secundum quod subjectum est in singulari vel in plurali. Notandum est hanc divisionem ex parte quantitatis non esse essentialem, sed accidentalem. Primo quidem non desumitur ex eo quod est formale in propositione, scilicet ex copula, sed supponit propositionem constitutam. Secundo, tota essentia propositionis invenitur in propositione singulari, quæ proprie loquendo non habet quantitatem. Ergo divisio ex parte quantitatis non est essentialis. Porro ex quantitate dividitur propositio in *generalem, particularem, indeterminatam. Generalis* est cujus subjectum afficitur signo generali, *omnis, nullus;particularis* vero cujus subjectum afficitur termino particulari, *aliquis,* etc. ; *indeterminata* demum seu indefinita cujus subjectum nullo termino afficitur. Quomodo ergo determinari possit hujus propositionis extensio? Hic recolenda est regula quam tradidimus circa suppositionem subjecti.

VII. — Suppositio subjecti in propositione indefinita. In materia necessaria subjectum supponit distributive, in materia vero contingenti supponit particulariter. In materia enim necessaria prædicatum dimanat ex natura subjecti, ideoque ab eo inseparabile est, ei invenitur universaliter ubicumque est natura subjecti : *circulus est rotundus,* æquivalet ; *omnis circulus est rotundus.* In materia vero contingenti praedicatum, cum non dimanet ex subjecii natura, ab eo separabile est, ideoque non invenitur universaliter ubicumque est natura subjecti. *Circulus est ferreus,* importat solum : *aliquis circulus est ferreus,*

VIII. — Triplex universalitas. In suppositione distributiva distinguitur triplex universalitas : *metaphysica, physica,* et *moralis. Metaphysica* fundatur in essentiis rerum, quo fit ut exceplio repugnet ipsi naturæ intrinsecas subjecti ; et, cum ne

Deus quidem possit rerum essentias mutare, nulla omnino datur exceptio in universalitate metaphysics. Igitur a propositione melaphysica universali semper inferre licet propositionem singularem. *Homo constat ex anima et corpore, Ergo Petrus constat ex anima et corpore.*

Universalitas autem *physica* est quæ fundatur in legibus naturae. Unde hoc casu exceptio non repugnat ipsis rerum essentiis, sed tantum rei proprietatibus. Et, quia Deus potest rei proprietates a re separare vel illarum effectum suspendere, exceptiones hic dari possunt.

Hinc a propositione physice universali non potest semper et absolute inferri propositio singularis : *Ignis comburit. Ergo combussit 1res pueros in fornace. Mortui non resurgunt: ergo non surrexit Lazarus.* Attamen communiter loquendo inferri potest propositio singularis, nisi *a posteriori* probetur dari exceptionem.

Universalitas *moralis* est quæ fundatur in hominum consuetudine ; unde hoc casu exceptio nec essenliæ nec proprietatibus subjecti repugnat, sed tantum legibus quæ communiter in humanis moribus observantur. A fortiori non licet ex propositione moraliter universali inferre semper propositionem singularem. *Filii diligunt parentes : ergo Absalom dilexit David.*

Quædam exempla hujus triplicis universalitatis: I0 *homo est rationalis ;* 2° *ignis comburit ;* 3° *matres diligunt filios.* I0 *Angelus est incorruptibilis ;* 2° *homo moritur ;* 3° *avarus non dat eleemosynam.* Ie *Oculus corporis non potest videre essentiam divinam;* 2° *mortui non resurgunt;* 3' *fratres mutuo se juvant,*

IX. — Extensio prædicati. Quoad prædicati extensionem duæ regulæ sunt.

Prima regula. In propositione affirmativa praedicatum non supponit distributive, seu non sumitur in tota sua extensione *vi ipsius affirmationis.* Ut enim verificetur affirmatio : *homo est animal,* sufficit ut homo sit *aliquod* animal, non vero requiritur ut animal conveniat soli homini, cum, contra, subjectum regulariter minorem habeat extensionem quam praedicatum.

Quum dico : *homo est rationalis,* vi propositionis sensus est : *homo est aliquod rationale.* Vi tamen *materiæ.* in definitionibus, prædicatum sumitur secundum totam suam extensionem, et convertitur cum subjecto. Hinc *vi materiæ* hic sensus est. *homo est omne rationale* ; ot *omne rationale est homo.* Idem valet, si prædicatum sit terminus singularis, quia tunc exhauritur a suo subjecto : *Filius Aristonis est Plato.*

Secunda regula. In propositione autem negativa prædicatum supponit distributive, seu negatur in tota sua extensione.

Negatio enim, ut aiunt, *est malignantis naturæ,* destruit quidquid invenit : *homo non est angelus, neque angelus A, neque angelus Ii...*

X. — Prædicati comprehensio. In propositione affirmativa prædicatum sumitur quoad omnes suas notas; quia praecise vi affirmationis importatur identitas comprehensiva inter subjectum et prædicatum. *Homo est animal,* id est, homo habet omnes notas quæ sunt in animali, et *sensum,* et *vitam,* et *substantiam* et ens.

In propositione autem negativa negatur prædicatum convenire subjecto quoad omnes suas notas simul sumptas, non vero seorsim sumptas. Homo non *est angelus,* scilicet non habet omnes notas quæ sunt in angelo, sed potest habere, imo habet, plures ex ipsis. *Lapis non est vivens,* nempe non habet omnes notas viventis, sed bene habet plures ex illis notis, ut substantiam et ens. Ita communiter Logici.

ARTICULUS TERTIUS

DE DIVISIONE PROPOSITIONIS RATIONE UNITATIS

I. — Unitas simplicitatis et compositionis in propositione. Propositio, sicut ens quodlibet, quadam gaudet unitate : ens quippe et unum convertuntur. Duplex porro est unitas : *simplicitatis* nempe et *compositionis.* Propositio ergo potest esse una vel simplicitate vel compositione. Jam vero simplex non dicitur propositio hoc sensu quod non constet partibus, cum necessario tria contineat elementa, sed hoc sensu quod unico prædicato et unico subjecto constituitur. Composita vero est quæ constat duabus vel pluribus propositionibus aliqua particula conjunctis : *si homo currit, movetur.* Propositio simplex vocabatur a scholasticis *categorica,* composita vero dicebatur *hypothetica.*

II. — Divisio in categoriam et hypotheticam est divisio essentialis. Propositiones essentialiter differunt quarum extrema et copulæ essentialiter distinguuntur. Atqui extrema et copula propositionis compositae essentialiter distinguuntur ab extremis et copula propositionis simplicis. Etenim extrema, seu materia, propositionis simplicis sunt subjectum et prædicatum ; extrema vero seu materia propositionis composite sunt propositiones simplices ; forma seu copula propositionis simplicis est verbum, forma autem seu copula propositionis compositæ est particula propositiones simplices conjungens. Ergo essentialiter differunt.

III. — Propositio occulte simplex. Propositionis simplicis divisiones ipsæ sunt quas exposuimus, unde nihil hic addi-

mus, nisi quod propositio possit esse *aperte simplex* et *occulte simplex.* Quid sit aperte simplex ex se manifestum est. *Occulte vero simplex* est ilia quæ constai unico subjecto et unico prædicato, sed subjectum et praedicatum est terminus complexus, vel ipsis adiiectitur alia propositio, unde fit ut subjectum vel prædicatum terminus complexus evadat. Propter hoc dicitur propositio *complexa;* a veteribus dicebatur de *extremo conjuncto,* id est de extremo complexo. Quæ adnectitur est propositio incidens. Adnecli autem potest subjecto, v. g : *Deus, qui condidit mundum, ipsum gubernat ;* vel praedicato : *Deus gubernat mundum quem condidit.*

IV. — Propositio incidens Duplex est: alia *explicativa,* alia *restrictiva. Explicativa* est quæ in soipsa continet saltem virtualiter aliquod judicium quo explicatur sensus propositionis principalis : *Deus, qui te creavit sine te, non te salvabit sine te. Homo, qui est cinis et pulvis, audet contra Omnipotentem insurgere.* Restrictiva non habet per se sensum integrum, sed totum ejus munus est determinare et coarctare vel subjectum propositionis principalis, v. g: *homo qui peccat est hostis animæ suæ;* vel prædicatum : *Deus condemnabit hominem qui decesserit in peccato mortali.* Incidens *explicativa,* cum judicium contineat, veritatem vel falsitatem per se habere potest. *Restrictiva,* utpote non habens sensum integrum, per se nec veritatem nec falsitatem habet ; potest tamen supponere judicium verum vel falsum ex parte subjecti hanc propositionem enunciantis.

Veritas autem propositionis principalis non pendet a propositione incidenti explicativa: *Deus gubernat mundum,* vera est independenter a propositione : *qui creavit mundum;* bene autem pendet ab incidenti restrictiva : *Deus condamnabit hominem,* non est vera nisi dependenter a restrictiva : *qui decesserit in peccatu mortali,*

V. — Propositionis compositae divisiones. Similiter propositio potest esse *aperte composita* vel *occulte composita.* In primo casu compositio ex ipsa orationis structura manifeste apparet : si *Petrus currit, movetur ;* in altero casu, propositio

apparenter est simplex, at, si exponatur, in plures propositiones resolvitur. *Christus solus est Salvator hominum,* ita resolvitur. *Christus est Salvator» nullus alius est Salvator.* Propositiones occulte composite, cum indigeant aliqua expositione, ut appareat compositio, dicuntur *exponibiles,* ille vero in quas resolvuntur sunt *exponentes·* In prædicto exemplo, *Christus solus esi Salvator»* est propositio exponibilis ; *Christus est Salvator» nullus alius est Salvator*, sunt propositiones exponentes.

VI. — Propositionis aperte compositæ præcipuæ species sunt : copulativa, causalis, rationalis, discretiva, relativa, hypothetica.

Copulativa est quæ per particulam copulativam *et» nec»* unit vel plura subjecta : *Petrus et Paulus sunt sancti»* vel plura praedicata: *nemo servit Deo et divitiis.* Forma hujusmodi propositionis est particula copulativa ; unde, si hæc sit affirmativa, propositio erit affirmativa, licet membra copulata sint negativa ; et e converso, propositio erit negativa, si particula est negans, licet membra sint affirmativa.

Regulæ hujus propositionis. Si propositio copulativa est affirmativa, requiritur ad ejus veritatem ut singula membra sint vera ; constat enim ex omnibus membris. Ergo si unum falsum est, falsa propositio. Si est negativa requiritur ad ejus veritatem ut omnia membra non sint simul vera.

Propositio *causalis* est quæ unit plures propositiones simplices particulis *quia» quoniam» eo quod.* Forma hujus propositionis est particula causalis ; unde, si particula non assignet veram causam, falsa erit propositio, licet singulæ propositiones simplices sint in se veræ. Oportet igitur ut antecedens sit causa consequentis : *anima* est *immortalis» quia est spiritualis ;* vera est, quia spiritualitas est causa immortalitatis. Falsa est ista : *angeli vident Deum» quia sunt beati}* beatitudo non est causa visionis divinæ, sed e converso.

Propositio *illativa,* seu *rationalis,* est quæ habet plures propositiones unitas particulis *ergo, igitur. Homo currit ; ergo movetur.* Differt a causali, quia in propositione rationali antecedens non est semper causa consequentis ; *homo ridet,*

ergo est rationalis. Risibilitas infert quidem sed non causât rationabilitatem.

Propositio *discretiva,* seu *adversativa,* dicitur quæ unit propositiones simplices particulis *sed, at.* Forma hujus propositionis est particula importans oppositionem inter membra ; unde si opposita non sint membra, destruitur essentia propositionis discretivæ : *anima est spiritualis, sed immortalis.*

Propositio *relativa* est quæ habet propositiones simplices connexas particulis relativis: *ubi, ibi; is, qui; qualis, talis'*, tum, quum; tantum, quantum; sicut, ita.* Hæc propositio importat quamdam habitudinem inter plura membra, unde veritas propositionis relativæ pendet a veritate ipsius relationis.

VII. — Propositio hypothetica. Dupliciter sumi potest. Apud veteres præsertim, propositio *hypothetica* idem sonat ac propositio composita, *categorica* vero est propositio simplex. Alio vero sensu *categorica* dicitur quæ enunciai absolute vel simpliciter aliquid esse vel non esse : *Deus est justus ; homo non est ælemus ; hypothetica* vero quæ enunciai aliquid esse vel non esse, non absolute, sed modo aliud sit vel non sit : *si decesseris in lelhali culpa, damnaberis in æternum; si Adam non peccasset, non mortuus fuisset.* Hæc propositio non habet veritatem nisi ex suppositione. Componitur ex duabus propositionibus simplicibus, una quæ afficitur particula hypothetica *si, aut* et quæ dicitur *antecedens* seu *hypothesis* vel *conditio ;* altera quæ infertur ex antecedenti et quæ dicitur *consequens,* seu *thesis,* vel *conditionatum.*

VIII. — Triplicem distinguunt propositionem hypotheticam : oonditionalem, disjunctivam et conjunctivam.

Conditionalis, quæ est proprie hypothetica, constat propositionibus catégoriels unitis particula *conditionali si.* Forma hujus propositionis est particula importans nexum inter antecedens et consequens ; unde, si nexus affirmatur, propositio est affirmativa, licet utrumque extremum sit negativum : St *fidem non habes, non consequeris salutem.* Propositio affirmativa, nana affirmatur nexus inter fidem non habere et salutem non consequi. Est negativa, si negatur nexus : *Si sum pauper,*

non tamen sum impius ; hic negatur existere nexum inter esse pauperem elesse impium : propositio negativa. Pariter veritas hujus propositionis pendet a veritate nexus inter antecedens et consequens. Si *immobile currit, immobile movetur :* vera propositio, licet utraque categorica sit falsa. Si *Cartesius est philosophus, est Gallus ;* falsa propositio, licet utraque categorica sit vera.

IX. — Regulae hujus propositionis.

Prima regula. *Affirmata conditione, affirmatur conditionatum, sed non viceversa.* Ut enim vera sit propositio, conditio debet esse causa necessaria conditional!, non quidem causa realis et ontologica, sed causa logica a qua inseparabile est conditionatum. At, si inseparabile est conditionatum, posita conditione, conditionatum eo ipso ponitur: *Si existit mundus, existit Deus.* Sed conditionatum potest habere veritatem aliunde quam a conditione : ergo non licet ex conditionato inferre conditionem. Non licet inferre : *Si existit Deus, existit mundus.*

Secunda regula. *Negato conditionato neganda est conditio, sed non vice versa.* Liquet : conditionatum est inseparabile a conditione. Ergo, nisi detur conditionatum, non dalur conditio. Sed, quia conditionatum potest esse verum independenler a conditione, negata conditione, non licet negaro conditionatum. *Si non est Deus, non existit mundus.* Vera est, sed falso infertur : *Si non existit mundus, non est Deus.*

X. — Disjunctiva. Propositio hypothetica *disjunctiva* est quæ constat ex pluribus simplicibus unitis per particulas *aut, vel: Anima aut est materialis aut est spiritualis.* Duplex hæc distinguitur : *proprie disjunctiva* et *improprie disjunctiva. Improprie dis junctiva,* seu *in sensu præcisivo,* quum adhibita particula *vel* indicatur, sin minus omnia propositionis membra, saltem unum ex illis esse concedendum. *Vel Jacobus vel ejus frater hoc fecit.* Non nego Jacobum id fecisse, sed contendo saltem unum ex duobus id fecisse. *Proprie disjunctiva, seu in sensu exclusivo,* quum adhibita particula *aut* significatur unum membrum accipiendum esse exclusis aliis. *Anima aut est mortalis aut est immortalis.* Si accipio : *est immortalis,* excludo alterum membrum.

XI. — Regulæ propositionis proprie disjunctivae.

Prima. Disjunctio debet esse adæquata, enumerare omnia membra, alioquin daretur medium et falsa esset prOposilio. Aut *sedet aut jacet.* Est medium : *aut stat.*

Secunda. Membra enumerata non debent esse omnia simul vera vel simul falsa ; sed, si vera est propositio, oportet ut unum membrum sit verum, aliud falsum, ut in exemplo allato : *anima aut est materialis* (falsum) *aut est immaterialis* (verum).

XII. — Disjunctiva rosolvi potest in conditionalem. *Si anima non est materialis, est immaterialis;* attamem non semper valet æquipollentia inter utramque. Conditionalis ex una parte negata, ex altera vero parte affirmata, est vera, sive in contradictoriis, sive in contrariis, sive in disparatis, ut cum dicitur: *Si est album, non est nigrum.* Sed disjunctiva est vera solum in tali materia in qua unum omnino ponitur et alterum removetur vel e converso, hinc falsa est propositio : *aut est album, aut est nigrum.*

XIII* —Conjunctiva. Est illa quæ negat duas partes simul esse posse veras, seu enunciai duo prædicata esse incompossibilia : *nemo potest simul amare Deum et peccatum.* Differt a *disjunctiva,* quia in *disjunctiva* indicatur unum ex pluribus praedicatis convenire subjecto, conjunctiva autem tantum asserit duo prædicata esse incompossibilia. Ut communiter notant auctores, conjunctiva resolvi potest in conditionalem : Si *quis amat peccatum non amat Deum ;* si *amat Deum non amat peccatum*

ARTICULUS QUARTUS.

PROPOSITIONES EXPONIBILES

I. — Propositiones exponibiles sunt quæ, ratione alicujus termini importantis sensum explicabilem, pluribus propositionibus necesse habent exponi seu declarari (L).

Quatuor sunt species : *exclusiva, exceptiva, comparativa* et *reduplicativa.* Id omnes commune habent quod debeant esse veræ, non solum in seipsis, sed etiam in sensu expresso per particulas ; ratio est quia particula est forma hujusmodi propositionum.

II. — Exclusiva est vel cujus subjectum afficitur particula exclusiva, quo casu dicitur *exclusivi subjecti,* v. g. : *solus Deus esi infinitus* : sclicet infinitas convenit huic soli subjecto quod est Deus ; vel cujus prædicatum aflicitur particula exclusiva, quo casu dicitur *exclusivi prsedicati.* Subjectum tunc non habet aliud prædicatum : *Beati in coelo non amant nisi quod est bonum* : scilicet amant bonum et extra bonum nihil amant.

III. — Exceptiva est cujus subjectum vel prædicatum afficitur particula exceptiva : *præter, excepto,* etc. *Omnia sunt vanitas præter amare Deum.* Ita exponitur : *omnia sunt vanitas, et amare Deum non est vanitas.* In hoc differt ab exclusiva quod hæc *directe* importat exclusionem, exceptiva autem in *obliquo.* Attamen in exclusivam exceptiva resolvi potest: *omnia præter Deum mutanturinhoc* convertitur: *Solus Deus non mutatur.*

(i) Joan, a **S.** Th. *Log,* **I P. cap. xxiv.**

IV. — Comparativa propositio est **cujus subjectum vel** praedicatum afficitur particula comparativa. *Petrus habet majorem scientiam quam Paulus,* Tres exponentes continet: *Petrus habet scientiam, Paulus habet scientiam, sed scientia Petri est major scientia Pauli,*

V. — Propositio reduplicativa est illa **quæ** afficitur particulis: *quatenus ut, quantum, qua..,,,* quæ subjectum reduplican^ et indicant significationem in qua accipiendum sit : *homo, ut homo, rationalis est.*

Particula sumi potest vel in sensu *reduplicativo* vel in sensu *specificativo. Reduplicative* accipitur, cum assignat rationem propriam cur prædicatum subjecto conveniat. Hoc autem fit cum subjectum est causa *propria, efficiens vel formalis,* prædicati : *Ignis ut ignis comburit.* Ilie ignis est *propria causa efu fidens* combustionis. *Coloratum ut coloratum est visibile.* Color est *causa formalis* cur coloratum sit visibile.

Specificative autem, cum assignatur causa materialis prædicati, seu cum subjectum includit prædicatum, quia est.species vel *subjectum* prædicati. *Homo ut homo sentit ;* homo est subjectum sensationis, unde vera est propositio in sensu specificativo, sed falsa est in sensu reduplicativo. *Homo* enim non sentit *ut homo,* sed *ut animal.* Generatim loquendo, sumere subjectum *reduplicative* est ipsum sumere *secundum differentiam suam constitutivam.*

Hac regula explicantur quædam exempla quæ tradit Goudiu (1) : *Homo ut homo videbit Deum, homo ut homo virtute perficitur.* In quonam sensu hoc accipiendum sit, reduplica tive, an specificative? Primo intuitu videtur accipiendum reduplicative, quia homo videbit Deum et virtute perficitur, non *ut animal* sed *ut homo.* Nihilominus explicanda sunt *specifi· cative.* Nam *videre Deum, virtute perfici* non est differentia constitutiva hominis. Si esset differentia constitutiva, soli homini conveniret ;_nec competeret angelo Deum videre et virtute perfici.

(1) *Log, Min.* **P. II. art II.**

ARTICULUS QUIM US

DE MODALÏBU8

I. -*r* **Notio modi.** Celeberrima est apud Scholasticos divisio in propositiones absolutas, seu de *inesse* et *propositiones modales.* Propositio de *inesseest* illa in qua simpliciter enunciatur prædicatum convenire et inesse subjecto ; proprositio vero *modalis* est in qua denotatur prædicatum inesse subjecto cum modo quo illi inest et convenit. Modus porro est *determinatio adjacens rei,* quæ quidem fit per adjectionem nominis adjectivi quod determinat substantivum, ut cum dicitur : *homo est* albus, vel per adverbium quod determinat verbum : *homo currit bene* (i).

II. — Divisio modi. Triplex est modus : quidam determinat subjectum: *homo velox currit;* quidam determinat prædicatum : *homo currit velociter ;* quidam afficit ipsarn copulam et convenientiam prædicati ad subjectum modificat, et hic solus facit propositionem modalem. Hic modus quadruplex est: *impossibile est hominem currere, possibile est hominem currere; necessarium est hominem currere, contingens est hominem currere.*

Quidam Logici addunt verum et falsum ut modum. Se l, ut recte animadvertit 0. Thomas, verum et falsum nihil addunt supra significationem propositionum de inesse. Idem enim significatui· cum dicitur: Socrates non currit, et Socratem currere est falsum ; et Socrates currit, et Socratem currere est verum.

(1) Quæ hic disserimus ex D. Thoma desumuntur. Opuse. 40

III. — Quid requiritur ad essentiam propositionis modalis. Ad rationem igitur propositionis modalis duo requiruntur : 1° ut afficiciatur aliquo ex his quatuor supra enumeratis ; 2° ut modus sit prædicatum, verbum autem exprimens compositionem sit subjectum. Ratio est, quia modus est determinatio; id vero quod determinat subjectum est prædicatum. Ergo oportet ut modus sit prædicatum. Propositio igitur est modalis si dicitur: *Socratem currere est possibile ; Socratem, currere* est subjectum, *possibile,* prædicatum. E contra desinit esse modaliset fit de inesse si modus iit subjectum : possibile est Socratem currere ; ita ut hic reddatur sensus : *Aliqua res} possibilis est, nempe quod Socrates currat,*

IV. — De re, de dicto. Propositio absoluta, cui additur modus, vocatur *dictum. Socratem currere est possibile.* In hac propositione, *Socratem currere* est dictum, est possibile est MODUS.

Distinguunt auctores propositiones modales *de re* et de *dicto.* Est *de re,* cum modus interponitur dicto : *Socratem possibile est currere* ; vel : *homo necessario est mortalis.* Est de *dicto,* cum modus postponitur: *Socratem currere est possibile ; hominem mortalem esse est necessarium.*

Frequenter occurrunt istæ propositiones : *de re, de dicto*,* in *sensu composito, in sensu diviso*, necessitas consequentiæ, necessitas consequentis ; potentia antecedens, potentia consequens* Breviter hic explicandae sunt quibusdam exemplis. *Omne scitum a Deo necesse est esse.* Si intelligitur *de re* sensus est. Omnis res quam Deus scit est necessaria, et sic falsa est : actum meum liberum Deus scit, et tamen actus meus liber nonest res necessaria. Si intelligitur *de dicto,* vera est, et sensus est: Deum scire aliquam rem esse et de facto rem esse, est neces** sarium, scilicet dictum seu consequentia est necessaria, quam* vis res ipsa necessaria non sit (1).

V. — Necessitas consequentias et consequentis. Hinc inlelligitur quid sit necessitas *consequentiæ,* quid necessitas *consequentis.* Deum præcognoscere aliquid futurum et istud re-

(1) Gì. I. P. q, 14. art XIII, ad 3.

vera evenire, est necessarium necessitate *consequentiæ,* nempe ipsa consequentia necessaria est, fieri enim nequit ut Deus fallatur; non autem necessarium est necessitate *consequentis,* id est, res ipsa quæ consequitur non est necessaria. Si homo sedet, necesse est ipsum sedere, necessitate *consequentiæ,* sed non necessitate *consequentis,* quia scilicet ipsa sessio non est necessaria.

VI. — Sensus compositus et sensus divisus. Sensus *compositus* est qui componit non actum vel actum oppositum cum actu,velprærequisitis prioritate naturæ adactum. Sensus *divisus* est qui dividit actum a non actu vel ab actu opposito. *Sedens potest stare.* Distinguo : in sensu *composito, nego* ; in sensu *diviso, concedo.* Sedens non potest componere *actum* sessionis cum *actu* stationis ; sed sub *actu* sessionis habet veram *potentiam* standi. Ut egregie dicunt Thomistæ cum Biiluart, sensus compositus importat *potentiam simultatis,* sensus vero divisus *simultatem potentiæ.* Qui sedet habet *simul* potentiam sedendi et potentiam standi, sed non habet potentiam sedendi et standi *simul.* Quando ergo dicunt Thomistæ : *Præmotus ad sedendum potest stare in sensu diviso,* non intendunt : *Sedens habebit potentiam standi, cum ablata fuerit prsemotio,* sed sensus est : *Sedens sub ipsa præmotione ad sedendum habet veram potentiam standi,* licet de facto nunquam uniri queat actus standi cum præmotione ad sedendum ; sicut nec actus standi cum actu sedendi componitur, quamvis potentia standi sit simul cum potentia sedendi et cuiu actu sessionis.

VII. — Potentia antecedens et consequens. Potentia *antecedens* est potentia vera, quæ ex suppositione nunquam reducetur ad actum. Potentia autem *consequens* est potentia cum actu conjuncta. Praedestinatus potest damnari, potentia *antecedente,* non autem *potentia consequente.* Reprobus potest salvari, *potentia antecedente,* non autem *consequente.* Absolute loquendo habet veram potentiam ad salutem perveniendi, sed de facto, ex suppositione, hæc potentia nunquam reducetur ad actum. Similiter qui nunc sedet habuit potentiam antere-

dentem nunc standi, sed ex suppositione hæc potentia nunquam reducetur ad actum, nec erit consequens.

VIII. — Modalium quantitas ex parte subjecti. Quantitas modalium attendi potest ex parte subjecti et ex parte modi. Cum autem in modali sint duo : et *dictum* et ipsa *propositio totalis,* duplex consideratur subjectum : unum ipsius dicti, alterum ipsius propositionis totalis. Possibile est Socratem esse album. *Socratem* est subjectum *dicti ; Socratem esse album* est subjectum totius modalis. Si consideratur subjectum propositionis totalis, propositio est semper singularis, quia totum illud dictum tenet locum subjecti singularis, licet habeat signum universale. *Omnem hominem esse mortalem est necesse.* Propositio singularis, quia omnem hominem esse mortalem, seu hoc assertum : omnem hominem esse mortalem, est subjectum singulare. Si vero attenditur subjectum solius dicti, propositio est singularis vel universalis, particularis, indefinita, juxta extensionem ipsius subjecti. *Socratem esse mortalem,* singularis ; omnem *hominem esse mortalem,* universalis.

IX. — Quantitas ex parte modi. Exposito quænam sit quantitas ex parte subjecti, iterum quaerendum est quæ sit quantitas ex parte modi. Regula facilis traditur a S.Thoma (1). *Necessarium* habet similitudinem cum signo *universali affirmativo,* quia quod necesse est esse, semper est ; *impossibile* cum signo *universali negativo,* quia quod est impossibile esse, nunquam est; *contingens* vero et *possibile* similitudinem habent cum *signo particulari,* quia quod est contingens et possibile, quandoque est, quandoque non est.

X. — Quid sit forma in modalibus. **Forma** propositioni modalis, ut modalis, est ipse modus ; unde propositio modalis dicitur affirmativa vel negativa secundum affirmationem modi, non vero dicti. Socratem *non currere* est possibile : in dicto est negatio, sed modus affirmatur; propositio affirmativa. So

(1) Opuse. 40.

cratem currere non est possibile: totum dictum est affirmativum, sed negatur modus» propositio negativa.

XI- — Quadruplex fleri potest dispositio affirmationis et negationis in modalibus. Vel dictum et modus affirmantur, vel dictum et modus negantur ; vel affirmatur dictum et negatur modus, vel negatur dictum et affirmatur modus. Dialectici has dispositiones designarunt quatuor voéalibus : **A. E. I. U.,** sicut fert iste versus :

« E dictum negat, I que modum, nihil A, sed U totum ».


— *A* significat propositionem affirmativam et in modo et in dicto : *Necesse est omnem hominem esse rationalem. E* propositionem de dicto negato et modo affirmato : *hominem non currere est possibile. 1* propositionem de modo negato et de dicto affirmato. *Omnem hominem currere non est possibile. U* propositionem de dicto et de modo negato : *Non necesse est Socratem non currere.*

XII. — Quid sit propositio officiane. Propositio modalis reduci potest ad propositionem de inesse. *Contingens est Socratem currere* hoc modo reducitur ; *hæc propositio : Socrates currit, esi contingens.* Ista propositio dicitur *officians* illius modalis.

XIII. — Schema omnium propositionum (1).

(1) **De propositionibus consuli possunt,** Aristot. *cie Interpretatione,* **D. Th.** *Comm in Aristot.* **et** *Summa Logicæ ;* Joannes a **S.** Thoma, Alamannos. *Log. ;* Liard, *Les Logiciens anglais contemporains ;* Radier, *Logique,* **c. ni, etc.**

XIII. — Schema propositionum



QUÆSTIO TERTIA

De proprietatibus propositionum·

Explicatis natura et speciebus propositionum, loquendum venit de proprietatibus quæ competunt propositionibus ex earum comparatione ad invicem. Tres autem sunt hujusmodi proprietates : *oppositio, conversio* et *æquipollentia.* Quæ hic tradunt Logici, etsi subtilia videantur, utilia tamen sunt ut plena instituatur analysis nostrarum cognitionum, ut omnes aperiantur erroris æquivocationes et ut innotescant divers modi quibus mens veritatem consequitur.

ARTICULUS PRIMUS

DE OPPOSITIONE

I — Quid oppositio. In communi oppositio est *affirmatio et negatio ejusdem de eodem ;* prout vero hic sumitur est *repugnantia inter propositionem affirmativam et negativam ejusdem prædicati* et *ejusdem subjecti.* Ad veram autem oppositionem duarum propositionum triplex requiritur conditio. Prima est ex parte extremorum, nempe quod *utraque constet eodem prædicalo et subjecto,* alioquin essent propositiones disparatae, non oppositae. Secunda, quod *servetur eadem ter·minorum acceptio, eadem suppositio,* eadem *appellatio,* etc., ita ut si vel minimum varietur sensus, tollatur oppositio.

Tedia, quod *una illarum sii affirmativa, altera negativa,* ita ut quod una ponit et affirmat, altera neget et removeat.

II. — Quotuplex oppositio. Propositiones opponi possunt : I0 ratiòne formæ tantum ; et, si sint duæ propositiones generales, quæ sola forma differunt, ut : *omnis homo currit, nullus homo currit,* dicitur oppositio *contraria;* si àutem sint duæ propositiones particulares quæ sola forma differunt : *aliquis homo currit, aliquis homo non currit,* dicitur oppositio *sub contraria.* 2° Ratione quantitatis tantum, ut : *omnis homo esi justus, aliquis homo est justus.* Dicuntur propositiones subalternes; generalis quidem est *subalternans,* particularis vero *subaltérnala.* Hic tamen non est proprie dicta oppositio, cujus ratio consistit in affirmatione et'negatione ejusdem de eodem. 3° Ratione formæ et ratione quantitatis : *Omnis homo est rationalis, aliquis homo non est rationalis ;* et est *oppositio-contradictoria.*

III. — Definiuntur divers® oppositionum species. Igitur oppositio *contradictoria* est inter duas propositiones de eodem subjecto et prædicato quarum una est generalis, altera particularis, una affirmativa, altera negativa; vel inter duas singulares, quarum una est affirmativa, altera negativa : *Petrus currit, Petrus non currit.*

Oppositio *contraria* est repugnantia inter duas propositiones ejusdem prædicati et subjecti quarum una est affirmativa, altera negativa, et ambæ universales.

Oppositio *sub contraria* est repugnantia inter duas propositiones de eodem prædicato et subjecto, quarum una est affirmativa, altera negativa, et ambæ particulares.

Oppositio *subalterna* est repugnantia inter duas propositiones ejusdem prædicati et subjecti, in hoc solum consistens quod una sit universalis, altera particularis.

IV. — Quomodo designantur propositiones. Mos antiquissimus est in Scholis designaro propositionem generalem affirmativam littera A, generalem negativam littera E, particularem affirmativam littera 1, particularem negativam littera 0.

Asserit A, negat E ; verum generaliter ambo.
Asseriti, negat 0 ; sed particulariter ambo.

V. — Oppositionum schema. Schema propositionum oppositarum ab Aristotele jam invectum, postoa a Porphyrio, Boetio, D. Thoma et scholasticis perfectius dispositum, est hujusmodi p. 155.

VI. — Leges propositionum oppositarum.

Prima lex. Contradictoriae in nulla materia possunt esse simul verse vel simul falsae. Probatur. Idem non potest simul esse et non esse. Atqui si contradictoriae forent simul verae vel falsæ, idem simul esset et non esset. Ergo. Prob. min. quoad jam partem. Contradictoriae ita se habent ut idem quod una enuntiat esse altera enunciet non esse : una enunciai omnen? hominem esse justum, altera non omnem hominem esse justum. Ergo si ambæ simul veræ sunt, idem simul erit et non erit.

Prob. min. Quoad IIam partem. Si falsum est omnem hominem esse justum, sequitur non omnem hominem esse jus-

tum ; at rursus, si falsum est non omnem hominem esse justum, sequitur non ommen hominem esse justum. Ergo idem s mul erit et non erit.

Secunda regula. Contrariae in nulla materia possunt esse simul vera? ; falsae vero simul esse possunt in materia contingente, non autem in materia necessaria.

Prob. I* pars. Si hæc vera est : *omnis homo est justus,* verum erit: *aliquis homo est justus;* et, si simul verum est : *nullus homo est justus,* verum erit : *aliquis homo non est justus.* Ergo habebimus quatuor propositiones veras simul : *omnis homo est justus, aliquis homo non est justus ; nullus homo est justus, aliquis homo est justus.* Sed *omnis homo est justus et aliquis homo non est justus, nullus homo est justus, aliquis homo est justus* sunt propositiones contradictoriae. Ergo, si duæ contrariæ verae simul sunt, sequitur duas contradictorias simul esse veras, quod jam deprehendimus esse impossibile.

Prob. IT' pars. Contrarietas est inter duo extrema inter quae datur medium. Dummodo igitur veritas salvetur in medio, nihil repugnat falsitatem inveniri in atroque extremo, quando agitur de materia contingenti. *Omnis homo est justus, nullus homo est justus,* utrumqne extremum est falsum ; sed in medio salvatur veritas : *aliquis homo est justus, aliquis alius homo non est justus.*

Prob. IIIa pars. In materia necessaria praedicatum est inseparabile a subjecto : si cuidam convenit, omnibus convenit. Hinc duae istae contrariae non sunt simul falsae: *omnis homo est rationalis, millus homo est rationalis.*

Tertia lex. Subcontrariæ in nulla materiæ possunt esse simul falsae ; verse autem simul esse possunt in materia contingenti, non tamen in materia necessaria.

Ratio 1‘‘ partis hæc est : si falsum est *aliquem hominem esse justum,* a fortiori falsum est *omnem hominem esse justum;* et si falsum est *aliquem non esse justum,* a fortiori falsum est *nullum hominem esse justum.* Ergo habemus quatuor propositiones simul falsas quarum duae sunt contradictoriae. Duas vero contradictorias esse simul falsas omnino repubuat.

Secunda et tertia pars manifesto sunt. In materia contingenti prædicatum potest convenire quibusdam, non tamen omnibus ; hinc verum est simul dicere : *aliquis homo esi justus, aliquis homo non est justus,* in materia autem necessaria prædicatum non potest convenire quibusdam quin omnibus competat. Hinc asserere non licet : *aliquis homo est rationalis, aliquis homo non est rationalis.*

Quarta lex. In materia necessaria, si subalternaos est vera, vera erit subalternata ; si falsa subalternaos, falsa subaltérnala ; in materia autem contingenti potest esse subalternaos falsa, subalternata vera, ut in exemplo : *omnis homo est justus,* subalternaos falsa; *aliquis homo est justus,* subalternata vera.

VII- — Maxima omnium oppositionum est contradictoria. Nam propositiones contradictoriae non relinquunt medium, sed pugnant in verilate et in falsitute; secundo loco, veniunt contrariæ, quæ relinquunt medium et pugnantia veritate, non autem in falsitele ; tertio loco subconirariæ, quæ non habent stricte dictam rationem oppositionis, cum non constent eodem subjecto. Subalternae minus adhuc habent de oppositionis natura, cum opponantur solum ratione quantitatis,

VIII. — Natura divisionis in oppositione. Divisio oppositionis in contradictoriam, contrariam, subcontrariam et subalternam non est divisio univoca, sicut generis in species, sed analoga.

Oppositio enim invenitur proprie et principaliter in contradictoriis, in caeteris vero secundario et in quantum plus minusve ad contradictorias accedunt.

IX. — Oppositio modalium. Modales etiam sua oppositione gaudent. Necessarium æquivalet termino universali affirmativo, impossibile termino negativo universali. Unde necessarium et impossibile opponuntur contrarie. Possibile æquivalet termino particulari affirmativo, unde impossibile et possibile opponuntur contradictoriae ; contingens æquivalet termino

particulari negativo, unde necessarium et contingens oppo nuntur contradictoriae.

En schema :

ARTICULUS SECUNDUS

DE CONVERSIONE PROPOSITIONUM

I. -- Quid conversio. Conversio est *mutatio unius propositionis in aliam per solam transpositionem praedicati in subjectum et subjecti in prædicatum, servata eadem forma et qualitale propositionis.* Duo ergo ad conversionem requiruntur : primum ut subjectum fiat prædicatum et vice versa, secundum ut, facta inversione, remaneat eadem forma et qualitas, id est, ut propositio sit affirmativa vel negativa, vera vel falsa sicut prius. Notandum est insuper conversionem esse faciendam per illationem seu per deductionem, ita ut legitima sit conversio quotiescumque propositio convertens recte infertur ex conversa. *Nullus homo est lapis. Ergo nullus lapis est homo.*

II. — Quotupiex conversio. Conversio triplex distinguitur: *simpliciter, seu mutua ; per accidens, seu non mutua ;* et per *contrapositionem, mutua quidem, sed mutatis terminis finitis in infinitos.* Unde *conversio simpliciter,* quæ dicitur etiam conversio in totum, definitur: illa in qua transmutatur prædicatum in subjectum, manente eadem quantitate. *Nullus homo est angelus : -ergo nullus angelus est homo. Aliquis homo est albus : ergo aliquod album est homo. — Conversio per accidens,* quæ dicitur etiam conversio in partem, est illa in qua transmutatur prædicatum in subjectum non manente eadem quantitate. *Omnis homo est animal,* non licet inferre.· *ergo omne animal est homo* sed : *aliquod animal est homo.* Duæ illæ conversiones, *simpliciter* et *per accidens* sunt conversiones in terminis ; tertia autem conversio est per *contraposi-*

tionem terminorum, et definitur : illa in qua transmutatur praedicatum in subjectum» servala eadem forma et quantitate propositionis, sed variatis terminis finitis in infinitos, et vice versa. *Homo est animal :* hæc propositio generalis et affirmativa convertitur in istam generalem et affirmativam : *omne non animal est non homo.*

III. — Regulae conversionum. Istis versibus continentur ;

f E o I simpliciter convertitur ; E v A. per aocid. ;
AstO per contrap. ; sic fit conversio tota.

Prima ergo *regula :* propositio generalis negativa E et particularis affirmativa I convertuntur simpliciter. Praedicatum quippe et subjectum in propositione negativa supponunt distributive. Ergo praedicatum conversum fit subjectum generale, ideoque propositio remanet generalis sicut prius. Tn propositione autem affirmativa prædicatum supponit particulariter, ergo in conversione fit subjectum particulare, et prot;ooitio remanet particularis sicut prius.

Secunda regula. Propositio generalis affirmativa, A, convertitur per accidens ; generalis autem negativa, E, quæ convertitur simpliciter, converti etiam potest per accidens.

Katio primæ partis hæc est : prædicatum in propositione affirmativa supponit particulariter ; ergo fit subjectum particulare, et propositio erit particularis. *Omnis homo est substantia ; ergo aliqua substantia est homo.*

Declaratur secunda pars.. Si prædicatum negativa propositionis potest fieri subjectum generale, includit subjectum particulare. Si licet affirmare : *nullus angelus est homo,* verum etiam erit : *aliquis angelus non est homo.*

Tertia regula. Particularis negativa 0 convertitur solum per contrapositionem ; generalis autem affirmativa, A, quæ convertitur per accidens, converti etiam potest per contrapositionem. Ostenditur Ia pars. Particularis negativa non polesl converti simpliciter. Prædicatum enim in negativa supponit distributive ; ergo, si convertitur, erit subjectum generale, jamque mutatur quantitas propositionis, ideoque non est conversio simpliciter. Si autem convertitur per accidens, id est,

si propositio particularis fit generalis, falsa redditur : *aliquis homo non est justus, nullus justus est homo.* Restat solum ut converti possit per contraposit;onem. *Aliquis homo non est justus^ aliquod non justum non est non homo.*

IIa pars etiam constat. Contrapositio præcise inventa estui suppleret conversionem mutuam in his quæ non possunt converti secundum se ; ut accidit in particulari negativa et in generali affirmativa. *Omnis homo est animal.* £rgo recte infertur : *omne non animal est non homo.*

IV. — De conversione propositionis singularis. Regula est : propositio singularis convertitur in particularem affitmativam, singularis negativa in universalem negativam. Exemplis res patebit : *Petrus est sanctus ; aliquis sanctus est Petrus. Petrus non est impius ; nullus impius est Petrus* (1).

(1) « On a souvent dit que cette théorie de la conversion est une subtilité inutile. Cependant un logicien anglais, M. Bain, en fait bien voir l'utilité pratique. La source la plus féconde des sophismes, dit-il, est la tendance de l'esprit à convertir les affirmations universelles sans limitation. Lorsqu'on dit : «Tous les esprits puissants ont de larges cerveaux », l'auditeur passe facilement à la proposition convertie : «Tous les larges cerveaux indiquent de puissants esprits ». Cette erreur de logique est une des plus fréquentes ; il y a donc intérêt à appliquer la forme logique pour se mettre en garde contre elle ». Cf. Paul Janet, ***Logique,*** **chap. iv.**

ARTICULUS TERTIUS

DE ÆQUIPOLLENTIA PROPOSITIONUM

I. — **Definitur æquipollentia.** Æquipollentes in genere dici possent propositiones *quæ habent eamdem significationem ex æquivalentia signorum provenientem.* Hic vero specialiter sumitur æquipollentia pro *reductione duarum pi opositionum oppositarum ad eamdem significationem ope particulae negantis.*

II. — Conditiones æqulpollentlæ. Ut propositiones fiant æquipollentes, debet esse æquivalentia in terminis. Producitur autem æquivalentia terminorum per particulam *non,* quæ est malignantis naturæ et destruit formam et quantitatem signorum quibus præticitur. *Omnis homo est justus, aliquis homo non est justus* opponuntur in forma et quantitate. **Si** præponatur *non* suhjecto prioris popositionis, destruitur ejus forma et quantitas, et prima æquivalet secundæ : *Non omnis homo est justus* ; idem valet ; *aliquis homo non est justus.*

III. — Regulas æquipollentiæ. Tres assignantur.

Prima. Duæ contradictoriæ reddunturæquipollentes sì alteri illarum præponatur negatio. *Nullus homo currit, aliquis homo currit,* praepono negationem : *nonnullus homo currit,* redditur sensus : *aliquis homo currit.* Et vice versa : *Non aliquis currit,* idem est ac : *nullus currit.*

Secunda regula. Duæ propositiones contrariæ redduntur æquipollentes, si negatio postponatur subjecto propositionis aule copulam. *Omnis homo currit, nullus homo currit.* Post

ponamus negationem : *omnis homo non currit,* æquivalet: *nullus homo currit* ; et : *nullus homo non currit* æquivalet : *omnis homo currit.*

Tertia regula. Duæ subalternæ fiunt æquipollentes, si subjecto propositionis praeponatur et postponatur negatio : *omnis homo est justus ; aliquis homo est justus.* Applicetur regula. *Non omnis homo non est justus,* æquivalet : *aliquis homo est justus. Non aliquis non est justus,* æquivalet: *omnis homo est justus.*

Tres regulæ hoc versu comprehenduntur :

Pias contradic, post contra, præ postque subaltern.

IV. — Signa æquipollentiæ. Resumuntur his versibus :

« Non omnis, quidam non ; omnis non quasi nullus.
Non nullus, quidam ; nullus non, valet omnis.
Non aliquis, nullus ; non quidam non, volet omnis.
Non alter, neuter ; neuter non, præstat u lerque. »

V. — Subcontrariæ non sunt capaces æquipollentiæ. Si præponatur negatio, fit propositio universalis et contradictoria : *aliquis homo est justus, non aliquis homo est justus* sonat : *nullus homo est justus.* Si vero postponatur, fit propositio formaliter negativa, non æquipollens : *quidam homo est justus, quidam homo non est justus.* Si præponatur et postponatur est propositio subalternans.

VI. —- De æquipollentia modalium. — Regulæ prædictæ applicantur modalibus. Duæ modales contradictoris redduntur aequipollentes si negatio præponatur modo. *Non necesse est esse* æquipollet huic : *possibile est non esse.* El hæc : *non impossibile est esse* æquipollet huic : *possibile est esse.*


Duæ modales contrariæ redduntur æquipollentes si negatio postponatur modo : *necesse est non esse,* æquipollet huic : *impossibile est esse.* Et : *impossibile est non esse* æquipollet huic : *necesse èst esse.*


Duæ modales subalternæ redduntur æquipollentes, si negatio præponatur et postponatur modo. *Non necesse est non esse* æquipollet : *possibile est esse ;* et : *non impossibile est non e^se* æquipollet huic : *possibile est non esse.*

VII. — Schema modalium æquipollentium. — Omnes dispositiones affirmationis et negationis in modalibus quatuor litteris designantur: A, E, I, L·', ut supra dictum est(1).

Ad designandam æquipolientiam et oppositionem juxta omnes istas dispositiones, inventi sunt quatuor dictiones, seu rotuli, ex prædictis litteris constantes : *Amabimus, Edentuli, llliace, Purpurea.*

En schema.





(1) Q. ii, art. V» de **modal, u. XI**

TRACTATUS TERTIUS

DE RATIOCINIO EJUSQUE SIGNO, NEMPE ARGUMENTATIONE

Tertia mentis operatio est hominis propria el distinctive. Angelis quidem convenit uno simplici intuitu cognitionem veritatis obtinere ; unde dicuntur *intellectuales,* quia interius in ipsa rei essentia veritatem quodam modo legunt. Anima vero, ut ad perfectam veritatis cognitionem perveniat, debet sæpe ex uno in aliud discurrere, et ex cognitis in incognitorum notitiam deducitur. Unde homines dicuntur proprie *rationales,* nam *ratio* discursum quemdam designat quo ex uno in aliud cognoscendam anima pertingit et pervenit (1).

Sicut autem judicium fit ex comparatione duarum idearum, interse, ita ratiocinium fit ex comparatione duorum judicio* rum ad invicem; et sicut signum judicii est propositio, ita signum ratiocinii est argumentatio. Tria judicia sunt in ratiocinio, tres propositiones in argumentatione.

Argumentatio autem præcipua est syllogismus : tractatus ergo noster præcipue circa naturam et species syllogismi versabitur.

(1) Cf. q. 15, *De veritate,* **art. I·**

QUÆSTIO PRIMA

De syllogismo secundum se.

ARTICULUS PRIMUS

DE RATIOCINIO ET ARGUMENTATIONE IN GENERE

I. — Ratiocinii definitio. Ratiocinium definiri potest: *Operatio mentis qua ex uno prius cognito aliud infertur,* seu qua *ex duobus judiciis tertium infertur.*

Ex quo apparet duas ad ratiocinium requiri conditiones : primam ut aliqua veritas prius cognoscatur ; alteram ut veritas prius cognita sit causa cognoscendi veritatem prius ignotam. Nondum scio Deum esse actum purum, sed jam scio Deum esse infinitum ; hujus veritatis cognitio causât veritatem illius, hoc modo : *Deus est infinitus. Atqui quod est infinitum est actus purus. Ergo Deus est actus purus* (1).

(1) « **Que si nous nous servons d'une chose claire pour en rechercher une obscure, cela s'appelle raisonner, et c'est la troisième opération de l'esprit. Raisonner, c'est prouver une chose par une autre. Par exemple, prouver une proposition d'Euclide par une autre ; prouver que Dieu hait le péché, parce qu'il est saint; ou qu'il ne change jamais ses résolutions, parce qu'il est éternel et immuable dans tout ce qu'il est.**

Toutes les fois que nous trouvons dans le discours ces particules, *parce que, car, puisque, donc,* **c'est la marque indubitable du raisonnement ».**

Bossukt, *Connaissance de Dieu et de soi-méme,* **chap.** 1·« χπτ.

II. — In ratiocinio unum cognoscitur ex alio. Ad ratiocinium non sufficit cognoscere aliquid *in aliquo,* sed requiritur ut cognoscatur *aliquid ex aliquc^* Tunc vero dicitur aliquid *ex aliquo* cognosci, quando non est idem motus in utrumque, sed primo movetur intellectus in unum et ex hoc movetur in aliud.

Tria porro in ratiocinio sunt distinguenda: antecedens, consequens et consequentia. Antecedens sunt duo priora judicia, quæ dicuntur etiam *præmissa;* consequens est tertium judicium quod eruitur ex duobus prioribus ; consequentia demum est nexus necessarius inter antecedens et consequens, seu transitus logicus de antecedente ad consequens. Intellectus primo fertur in antecedens et secundario fertur per antecedens in consequens tanquam in causatum (per suam causam). Motus igitur quo fertur in antecedens essentialiter distinguitur a motu quo fertur in consequens, et ita consequens cognoscitur *ex alio,* scilicet antecedente.

III. — Materia et forma ratiooinll. Duplex est materia ratiocinii : proxima et remota. Remota sunt tres notiones seu tres termini ex quibus conflatur ratiocinium. Materia proxima sunt tria judicia, duo scilicet præmissa et consequens.

Forma vero ratiocinii est consequentia, seu nexus inter antecedens et consequens, sicut in judicio forma est nexus inter subjectum et prædicatum. De his longior erit sermo, cum iterum loquemur de materia et forma syllogismi.

IV. — Conditiones ad ratiocinium requisitae.

Prima. Ratiocinium præsupponit cognitionem præmissorum. Ratio liquet. Sicut non fit judicium nisi praecognoscantur subjectum et prædicatum, ita nec fieri potest ratiocinium nisi praecognoscantur præmissa.

Secunda. Omne ratiocinium incipit a quibusdam primis nrincipiis indemonstrabilibus et immediatis. Nam omnis motus debet incipere ab aliquo immobili. Ergo motus qui est ratiocinium debet incipere ab aliquo immobili, scilicet ab aliquo judicio immediato, quod demonstratione non indigeat Si enim principium demonstrationis sit demonstrandum, erit **processus in** infinitum ; et, si primum antecedens est princi-

pium mediatum, non jam est primum antecedens; hinc impossibile evadit ratiocinium. Quare omnis cognitio mediata reducitur ad immediatam sicut in principium. Necesse tamev non est ut principia ista prima et intuitiva sint actu præsenta menti, sed supponuntur semper præcognita (1).

Tertia. Duo judicia præmissa debent esse in se vera. Licet enim ex falso antecedente sequi possit aliquando verum consequens, id fit tantum per accidens. Ut autem ratiocinium sit legitimum, veritas debet sequi non per accidens, sed ex natura præmissorum. Atqui veritas non sequitur ex natura judicii falsi. Ergo, si unum ex judiciis praemissis falsum est, legitimum non erit ratiocinium.

Quarta. Antecedens debet continere implicite consequens. Nam consequens eruitur *logice ex* antecedente. Ergo *logice* in ipso continetur.

Quinta. Antecedens non debet esse minus certum quam consequens; ratio est quia certitudo consequentis a certitudine antecedentis derivatur et causatur.

Sexta. Antecedens debet esse notius consequente. Quia in ratiocinio antecedens est id quod prius cognitum ducit in cognitionem consequentis ignoti.

V. — Divisio ratiocinii. Dividitur ratiocinium sicut argumentatio, quæ est ejus signum. Ut ergo appareat divisio ratiocinii quædam de argumentatione addenda sunt.

Argumentatio definitur : *Oratio in qua uno dato aliud sequitur,* seu oratio *in qua unum ex alio infertur.* Definitio liquet ex dictis de ratiocinio. Dividitur argumentatio in genere *in conditionalem, causalem* et *rationalem.* Est *conditionalis,* cum illatio seu consequentia fit mediante particula *si : si sol lucet, dies esi; causalis,* cum illatio infertur particula, *quia*

(1) « **Il n'est pas toujours nécessaire que ces jugements intuitifs soient actuellement présents à notre pensée. Dans le plus grand nombre des cas nous nous fions à des jugements garantis par la mémoire. Le raisonnement peut être comparé à faction de celui qui monte un escalier. Il ne s'agit que de répéter le mouvement par lequel on a franchi la première marche. » D.** Stbwart, **apud** Paul Janet, ***Psy* etologie,* n. 166.**

aut simili : *quia homo est rationalis, ideo est risibilis; rationalis* domum seu illativa, cum illatio infertur particula *ergo : Petrus est rationalis. Ergo risibilis.*

Hic sermo est de argumentatione *rationali,* et quaeritur quomodo dividatur. Duæ porro sunt species argumentationis rationalis : *syllogismus* et *inductio.*

Syllogismus est *argumentatio qua ex universaliori antecedente eruitur consequens minus universale.*

Inductio est *argumentatio in qua ex singularibus vel particularibus sufficienter enumeratis infertur universale.*

Exemplum est *argumentatio in qua ex antecedente unum vel pauca singularia adducente infertur aliud singulare.*

Deus pepercit Magdalenas pœnitenti, pepercit Petro pcenitenti. Ergo, si poenitueris, tibi parcet.

VI. — Exemplum non differt specie ab inductione, sed solum sicut imperfectum a perfecto. Exemplum non enumerat sufficienter singularia ut concludi possit universale ; et propter illam insufficientem enumerationem, eruitur tantum conclusio singularis. At idem est modus procedendi, nempe a singularibus. Unde exemplum dici potest inductio imperfecta, sicut enthymema imperfectus est syllogismus.

Duæ igitur tantum sunt species argumentationis et ratiocinii : *syllogismus et inductio.* Syllogismi quidem structura objectum est Logicæ Formalis, seu dialectic® ; inductio vero, quia difficiliora problemata involvit, congruentius in Logica Majori expenditur.

ARTICULUS SECUNDUS

DE SYLLOGISMO QUOAD SUAM MATERIAM, SUAM FORMAM SUAQUE PRINCIPIA

I. — Syllogismi definitio. Syllogismus est *argumentatio in qua ex antecedente uniente duo extrema cum medio aliquo infertur consequens uniens illa inter se.* Cum hac definitione coincidit definitio Aristotelis : *Syllogismus est oratio in qua quibusdam positis aliud quidpiam necessario ponitur eo quod hæc sint.* Id est, argumentatio in qua positis duabus propositionibus unientibus duo extrema cum uno medio, sequitur necessario alia propositio uniens eadem extrema inter se. *Eo quod hæc sint,* scilicet propositio illata sequitur vi et positione duarum priorum.

II. — Materia syllogismi. Quo melius innotescat hæc definitio, assignanda est materia et forma syllogismi. Ut dictum est de ratiocinio, materia *remota* sunt tres termini : terminus, seu notio, alicujus subjecti, terminus, seu notio, alicujus praedicati de quo præcise quæritur an conveniat subjecto ; ac demum terminus, seu notio, quacum notiones subjecti et praedicati comparantur. Termini subjecti et praedicati sunt duo extrema ; terminus quidem subjecti est terminus *minor,* seu *minus extremum;* terminus vero praedicati est terminus *major* seu *majus extremum,* utpote habens communiter majorem extensionem ; terminus tandem quocum major et minor conferuntur est terminus *medius,* vel simpliciter dicitur *medium. Omne spirituale est immortale. Anima humana est spiritualis. Ergo est immortalis.* Terminus minor est *anima,* terminus major est *immortalis,* terminus medius est *spiritualis.*

Materia *proxima* sunt tres propositiones : duæ priores dicuntur *præmissæ,* in quibus extrema cum medio conferuntur ; tertia est *conclusio* in qua affirmatur vel negatur convenientia extremorum inter se. Praemissa quidem quæ continet majus extremum est *major* syllogismi, præmissa vero quæ continet minus extremum est *minor.* Unde major et minor stricte loquendo non dicitur a primo vel secundo loco quem tenet in syllogismo, sed ex eo quod majus vel minus extremum exprimat.

Mos tamen invaluit in scholis ut propositio quæ ponitur primo loco dicatur major et quæ ponitur secundo loco dicatur minor. — Notandum est duo extrema semper reperiri in conclusione ; minus ut subjectum, majus vero ut prædicatum ; medium e contra semper a conclusione excludi. Conclusio, quæ dicitur etiam *consequens,* probe distinguenda esta *consequentia.* Hæc enim non est propositio, sed transitus logicus de praemissis ad conclusionem.

III. — Quid sit munus praemissarum et conclusionis.

Munus praemissarum est comparare et unire duo extrema cum medio. Sic in exemplo mox allato, præmissæ comparant et uniunt duo extrema : *anima humana* et *immortalis,* cum medio *spiritualis.* Munus conclusionis est unire duo extrema inter se. Si enim extrema conveniunt cum medio, signum est convenire inter se vi principii : *Quæcumque eadem sunt uni tertio sunt èadem inter se.* Unde, si præmissæ uniunt extrema cum medio, conclusio debet unire extrema inter se. Hæc intelliguntur de syllogismo affirmativo. Si autem extrema non conveniant cum medio, indicium est ea non convenire inter se, vi alterius principii : *Ea quorum unum cum tertio convenit, alterum non convenit, inter se diversa sunt.* Unde, cum hoc casu unio non sit facta in praemissis, munus conclusionis erit separare duo extrema, seu negare unionem et convenientiam extremorum inter se. *Materiale non est immortale. Anima brutorum est materialis. Ergo anima brutorum non est immortalis.* Minus extremum *anima brutorum* convenit cum medio *materiale;* majus extremum *immortalis* non convenit cum medio *materiale.* Ergo *anima brutorum* et *immettali»* **non** conveniunt inter se.

IV. — Syllogismi forma. Forma syllogismi diversimode intelligitur: nam ipsa dispositio ordinans materiam ut rite possit inferre et concludere consuevit vocari forma; dispositio quidem qua ordinatur materia remota, seu termini, dicitur *figura* syllogismi; illa vero qua ordinatur materia proxima, seu propositiones, est *modus.* De his mox loquemur. Sed in præsenti forma syllogismi intelligitur elementum *formale* seu *constitutivum* syllogismi. Hoc autem elementum est *consequentia,* seu nexus inter antecedens uniens duo extrema cum medio, et consequens uniens duo extrema inter se. Quædam ergo hic dicenda sunt de consequentia et de consequentias legibus.

V. — De consequentia. In genere consequentia est transitus logicus de una propositione quæ est antecedens ad alteram quæ est consequens. Duplex imprimis distinguitur consequentia seu illatio : *immediata* et *mediata. Immediata* est, cum consequens educitur ex antecedente absque termini tertii adminiculo. Hujusmodi sunt :

I0 Illationes quæ per æquipollentiam propositionum habentur : *omnis homo est rationalis. Ergo nullus homo non est rationalis.*

2° Illationes quæ ex propositionum conversione proveniunt : *nullus homo est angelus. Ergo nullus angelus est homo. Animal est vivens. Ergo aliquod vivens est animal.*

3° Illationes quæ in propositionum oppositione fundantur. *Falsum est omnia infidelium opera esse peccata. Ergo verum est non omnia infidelium opera esse peccata.*

4° Illationes per subalternationem. *Omnes homines in Adamo peccaverunt. Ergo Petrus in Adamo peccavit.*

3° Illationes a modalitate, scilicet a necessitate adactum ; ab actu ad posse ; a necessitate ad posse ; a defectu possibilitatis ad defectum actus ; a defectu actus ad defectum necessitatis ; a defectu potentiæ ad defectum necessitatis.

6° Illationes ab uno prædicato ad aliud : *homo est animal, ergo est sensitivum;* vel ab uno subjecto ad aliud, propter evidentem identitatem utriusque : *sensitivum est vivens, ergo animal est vivens ; sphaera est rotunda, ergo globus est rotundus.*

Consequentia *mediata* dicitur, quando conclusio infertur ope alicujus termini tertii qui est medius inter duos extremos. Et hæc est consequentia quæ proprie perlinet ad tertiam mentis operationem. Unde consequentia qu® est elementum formale in syllogismo est consequentia mediata. Consequentia immediata non est proprie dicta consequentia seu illatio. De ratione quippe illationis est ut ex noto progrediatur ad ignotum. Atqui progressus de noto ad ignotum fit ope alicujus comparationis, ideoque ope tertii termini. Ergo illatio quæ fit absque tertii termini adminiculo non est proprie dicta illatio. Unde est potius nova et magis explicita terminorum declaratio quam vera consequentia, id est verus transitus de antecedente ad consequens.

Alia divisio consequenti® est in *materialem* et *formalem. Formalis* est quæ vi formæ, id est vi dispositionis terminorum et propositionum concludit, ideoque semper bona est, et in omni materia. *Materialis* est quæ solum ratione alicujus materi® concludit, unde non semper et in omni materia bona est. Ad rationem porro syllogismi requiritur consequentia *formalis :* oportet enim ut vi et dispositione terminorum et præmissarum semper et in omni materia sequatur conclusio.

Ratione qualitatis dividitur consequentia in *òonam* et *malam,* non proprie in *veram* et *falsam.* Nam consequentia non est propositio ad quam pertinet proprie veritas et falsitas, sed est connexio illativa propositionum. Si servatur debita convenientia connexionis, est consequentia bona ; si autem non servatur hæc convenientia, est mala consequentia ; conveniens enim et inconveniens faciunt bonum et malum, nun vero proprie verum vel falsum.

VI. — Leges consequentiae. *Prima.* Si antecedens est verum, etiam consequens ; et, si consequens falsum, etiam antecedens. Nam consequentia est logica et necessaria connexio inter antecedens et consequens. Ergo, si verum est antecedens, vi consequenti® verum est consequens ; si autem vi consequenti® est falsum consequens, necessario falsum est antecedens : non potest quippe dari connexio necessaria inter verum et falsum.

Secunda. Si antecedens est possibile, etiam consequens; et, si consequens est impossibile, etiam antecedens. Sequitur ex prima.

Tertia. Si antecedens est necessarium, etiam consequens est necessarium saltem sub ratione qua infertur ex antece" dente ; et si consequens est contingens, etiam antecedens. Sequitur ex eodem principio. Si enim antecedens est necessarium, semper est verum, ideoque consequens debet esse verum, alioquin dari posset antecedens verum et consequens falsum. Si consequens est contingens, potest esse falsum; ergo, si antecedens esset necessarium, esset semper verum ; et sic dari posset falsum consequens et verum antecedens.

Quarta. Ex quocumque sequitur antecedens sequitur consequens, et quodcumque sequitur ex consequente sequitur ex antecedente. Ratio est, quia consequens logice continetur in antecedente. Ergo, si antecedens complectitur consequens, continere etiam debet quidquid in consequente implicatur.

VII. —Principia syllogismi. Ex hucusque explanatis apparet syllogismum, in quo duo extrema comparantur cum medio, niti principio identitatis : *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem interse,* et principio discrepantiae : *Ea quorum unum est idem tertio, alterum vero non idem, inter se diversa sunt.* Unde ita se habent termini in syllogismo : *substantia spiritualis — immortalis. Anima humana = spiritualis. Ergo anima humana — immortalis.* E contrario in sequenti exemplo : *substantia materialis non = immortalis. Anima brutorum — materialis. Ergo non = immortalis.* Jam vero comparatio cum medio non potest fieri nisi terminus medius supponat generaliter et distributive, juxta regulam mox declarandam :

Aut *semel aut iterum medius generaliter esto.*

Sed comparatio cum medio fit vi hujus principii : *Dictum de omni,* cui corresponde! in syllogismo negativo princl· pium : *Dictum de nullo.* Hinc rectitudo syllogismi nititur hu«

jusmodi principiis.: *Dictum de omni, Dicium de nullo* (1) Sensus principii : *Didum de omni,* est : quidquid generaliter et distributive affirmatur de aliquo subjecto affirmandum est de omnibus contentis sub illo. *Omne animal est sensitivum. Omnis homo est animal. Ergo omnis homo est sensitivus — Homo,* subjectum minus universale, continetur sub *animali,* quod est universalius. Ergo, si *sensitivum* dicitur de *animali,* dicendum etiam est de *homine* sub *animali* contento. Sub hoc respectu definitur syllogismus : *Argumentatio in qua concluditur omnia pvædicata quæ conveniunt subjecto universaliori convenire omnibus particularibus sub ipso contentis.*

Principii *didum de nullo* sensus est : quidquid generaliter et distributive negatur de aliquo subjecto negandum est de omnibus sub eo contentis. *Nullum vivens est lapis. Omnis planta est vivens. Ergo nulla planta est lapis. Planta* continetur sub *vivente* tanquam inferius sub universaliori. Ergo quidquid repugnat *viventi,* repugnat *plantæ.* In hoc casu definitur syllogismus : *Argumentatio in qua concluditur omnia prædicata quæ repugnant subjecto universaliori repugnare omnibus particularibus sub eo contentis.*

Quatuor ergo sunt principia : syllogismus affirmativus nititur principio identitatis et principio : *didum de omni* ; syllogismus negativus nititur principio discrepantiæ et principio : *didum de nullo.* Structura quidem syllogismi nititur principiis identitatis et discrepantiæ ; rectitudo vero syllogismi principiis : *didum de omni, didum de nullo.*

Vili. — De valore syllogismi contra Stuart Mill. Contendit iste syllogismum aristotelicum valore demonstrativo carere, quia major, ut sit certa, supponit conclusionem. *Omnis homo est mortalis. Atqui Socrates est homo. Ergo Socrates est mortalis.* Probata non est major nisi prius constet : *Socrates ed mortalis, Plato est mortalis,* etc. Major itaque supponit conclusionem.

(1) **Euler illa** principia sic **gallice expressit:** « *Tout* **ce qui est dans te contenant est dans le contenu. Tout ce qui est hors du contenant est hors du contenu. »**

Eesp. In huc vehementer decipiuntur empirista^ quod existiment majorem non esse nisi summam singularium expertorum, cum e contra major sit principium universale, abstractum, a priori, per se et independenter ab experientia notum. Tdeæ quidem subjecti et predicati experientia comparantur, at convenientia praedicati cum subjecto independenter ab experientia et in sola subjecti natura deprehenditur. Intellectus nempe, multis singularibus expertis, vi sua abstractiva utitur et hinc elTormat judicium abstractum, universale, a priori, quod judicium est major syllogismi. Progreditur ergo syllogismus ab abstracto ad magis concretum, ab universali ad particulare. Quia ergo major est aliquid universalius, continet sub se minus universale; applicatio vero universalioris ad minus universale fit mediante minore et eruitur in conclusione. Itaque conclusio continetur in majore sicut scientia in suis principiis, sicut planta in semine, sicut minus cognitum et minus universale in notiori et universaliori. Quocirca major, nedum supponat conclusionis notitiam, imo notitiam ipsam causai.

Hinc in exemplo allato : *Omnis homo est mortalis,* convenientia *mortalis* cum *homine,* deprehenditur non ex facto quod Socrates moriatur, sed a priori ex sola hominis natura, quæ utpote contrariis elementis constans corruptioni subjacet. In hac ergo majori de morte Socratis non agitur, sed solum de natura humana in cujus notione reperitur mortalitas. Per minorem autem subsumitur : *Socrates habet naturam humanam.* Recte infertur aliquid cujus cognitio non erat supposita in majori, sed potius ex majori causatur : *Ergo Socrates habet mortalitatem, seu est mortalis.*

In summa, quamvis termini majoris experientia cognoscantur, ipsa tamen major, ut sic, est principium abstractum a singularibus, universale, in quo prædicatum est de natura subjecti. Quod cum ita sit, veritas majoris, convenientia nempe predicati cum subjecto, non expostulat conclusionis notitiam, sed ex sola subjecti natura resultat. Ipsa vero conclusio in majore continetur sicut scientia in principiis, sicut arbor in semine ; et ex majore eruitur mediante minore, quae est propositio subsum pia, subordinata et disposita sub majore

in ordine ad causandam conclusionem. Intellecta igitur genuina majoris natura, principii nempe abstracti in quo conclusio continetur sicut in aliquo universaliori, ruit objectio quam post Stuart Mill urgent empiristæ.

Quæ omnia iterum clarescent ex dicendis infra de Syllogismo, Inductione, Analysi et Synthesi (1).

IX. — De historia et fortuna syllogismi. Quia syllogismus est praecipua species ratiocinii, naturale est homini syllogizare sicut et ratiocinari ; quare syllogismus ubique et semper fuit in usu. Prout vero perfecta gaudet structura et dispositione legislatorem habet Aristotelem. Magno in honore fuit apud Peripateticos, Arabes omnesque Scholasticos. At poslea, decidente Scholastica, plures syllogismo methodisque a priori plus æquo usi sunt. Hinc ex adverso ingens exortum est odium adversus artem syllogisticam, quam Lutherus vocat inanem falkciam ab Apostolo damnatam. Syllogismo bellum præsertim indixere illi omnes qui inductionem solam tamquam veram et legitimam philosophandi methodum conclamant, ut Baco a Verulamio, Lockius, non pauci ex Cartesianis, necnon positivistæ et empiristæ.

Defendendum autem syllogismum susceperunt prestantissimi viri in philosophia etiam moderna, ut Leibnitzius(2),Bossuetius, de Maistre, Cousin, P. Gratry ; imo plures ex Subjectivistaruni castris. Reviviscente vero nostris diebus Scholastica, refloret iterum ars syllogistica. Quæ quidem necessaria omnino est in scientiis, quia ipsa *facit scire* nec sine ipsa vim infallibilem habet inductio, ut ostendetur in Logica Majori (3).

(1) *Log. Maj.* **Tract, nr, q. I, q. II, q. III.**

(2) **« Je tiens que l'invention de la forme des syllogismes est une des plus belles de l'esprit humain et même des plus considérables. C'est une espèce de mathématique universelle, dont l'importance n'est pas assez reconnue, et l'on peut dire qu'un art d'infaillibilité y est renfermé. »** Leibnitz, *Nouveaux essais,* **1. IV, ch. xvr.**

(3) **Consuli possunt** Aristoteles, *Analyt. priora',* **D.** Thomas. *Comm. in Aristot.* **et** *Summa Totius Logices* ; **et extra Scholasticos** Leibnitzius, *Nouveaux essais;* Rollin ; *Traite des études,* **livr. V;** Euler, **Legres** *à une princesse d'Allemagne;* Ravaisson, *Essais sur la Métaphysique* ci*Aristote* ;Lague-Uer, *De natura syllogismi;* Cousin, *Hist, de la phil.,* **2maleçon** ; **JANET,flevua** *philosophique,* **t. XII** ; **P.** Gratry, *Logique,* **etc.**

ARTICULUS TERTIUS

DE REGULIS SYLLOGISMI

I. — Enumerantur syllogismi regules. Octo communiter recensentur : quatuor spectant materiam remolam, nempe terminos : quatuor vero materiam proximam seu propositiones.

Regulæ terminorum:

Terminus esto triplex: major, mediusque minorane·
Latius hos, quam præmissæ, conclusio non vult.
Nequaquam medium capiat conclusio fas est.
Aut semel aut iterum medius generaliter esto.

Regulæ propositionum :

Utraque si præmissa neget, nil inde sequetur.
Âmbæ affirmantes nequeunt generare negantem.
Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.
Pejorem sequitur semper conclusio partem.

II. — Prima regula. *Tum return sensu terminus debet esse triplex.* De natura quippe syllogismi est ut duo extrema comparentur cum uno eodemque tertio. Quod si sint duo vel quatuor termini non fit comparatio duorum cum uno eodemque tertio. Ergo, nisi terminus sit triplex, destruitur ratio syllogismi (1). Contra hanc regulam peccatur si varietur supposi-

ti) « Celte règle résulte de la définition même du syllogisme, qui se compose de trois termes : le *ÿ^and,* **lé** *petit* **et le** *moyen. »* **P.** Janet, *Logique,* **n° 345.**

tío ; si medius terminus æquivoce sumatur. *Mus est syllaba. Sed syllaba caseum non rodit. Ergo mus non rodit caseum. Omnes milites sunt exercitus. Sed Ajax est miles. Ergo Ajax est exercitus.*

III. — Seounda regula. *Conclusio non debet habere majorem extensionem quam præmissæ,* seu aliis verbis : nullus terminus latiorem habere debet extensionem in conclusione quam in præmissis.

Totum munus conclusionis est affirmare comparationem prout facta est in præmissis. Ergo, si comparatio facta est in præmissis, particulariter, non polest fieri generaliter in con* clusione. Conclusio enim contineturin præmissis ut in causa. Sed nihil excedit suam causam. Ergo extensio conclusionis non debet excedere extensionem præmissarum. *Omnis circulus est rotundus. Sed omnis circulus est figura. Ergo omnis figura est rotunda.* Falsa conclusio : solum inferre licet : ali qua figura est rotunda.

IV. — Tertia regula. *Medius terminus conclusionem ingredi non debel.* Conclusio enim est id quod sequitur ex comparatione extremorum cum medio, et ipse terminus medius est id vi cujus sequitur conclusio. Sed, si medium est id vi *cujus* sequitur conclusio, non potest esse ipsa conclusio. Ergo terminus medius est a conclusione omnino excludendus.

V. — Quarta regula. *Medium debet supponere generaliter et distributive saltem in una præmissarum.* Terminus bis acceptus particulariter est verbotenus unus, re autem duplex; accipitur enim in majori secundum unam partem suæ extensionis, in minori vero secundum aliam partem. Aderunt ergo duo medii termini, et duo termini in præmissis : quatuor termini. *Uomo est substantia. Sed lapis est substantia.* Ergo *homo est lapis.* Quatuor termini : *homo, lapis, aliqua substantia* et *aliqua alia substantia.* Aliquando tamen medium potest bis accipi particulariter, dummodo constet ipsum accipi pro eodem in utraque præmissa. Quo casu ejus suppositio æquipollet suppositioni universali. Pariter terminus medius potest bis esse singularis, si pro eodem acci-

pilin' in utraque præmissa, quia est æquivalenter universalis.

Valet sequens syllogismus. *Aliquis apostolus est Judas. Sed aliquis proditor est Judas. Ergo aliquis proditor est apostolus.*

VI. — Quinta regula. Ex se liquet. Syllogismus consistit in comparatione extremorum cum medio. Sed si duæ praemissae sunt negantes, comparatio non est facta. Ergo nullus syllogismus. Notandum est hic agi de præmissis negativis et quoad voces et quoad sensum. Valet enim syllogismus si sensus est affirmativus, ut in hoc exemplo : *Qui non habet fidem, non placet Deo. Sed ethnici non habent fidem. Ergo non placent Deo.* Æquivalet isti : *Qui est sine fide non placet Deo. Atqui ethnici sunt sine fide.* Ergo.

VII. — Sexta regula. *Ex duabus affirmativis sequitur necessario conclusio affirmativa.* Si ambæ præmissœ affirmant, indicium est comparationem extremorum cum medio esse perfectam. Sed conclusionis munus est referre comparationem factam in præmissis. Ergo, si ambæ asserunt comparationem in præmissis, in conclusione etiam affirmanda est comparatio.

VIII. — Septima.regula. *Nulla conclusio legitima inferri potest ex geminis particularibus.*

Vel utraque præmissa est negativa, et tunc nihil inde sequetur ; vel utraque est affirmativa, et tunc terminus bis sumitur particulariter, et adsunt quatuor termini ; vel una est affirmativa, altera negativa, et tunc latius patet conclusio quam præmissæ. Quod sic ostenditur. Si una est negativa, conclusio erit negativa juxta regulam octavam mox declarandam, fn propositione vero negativa prædicatum supponit distributive. Sed in altera ex præmissis prædicatum supponit particulariter. Ergo major erit extensio in conclusione quam in præmissis. *Aliquod animal non est rationale. Sed aliquod rationale est homo. Ergo aliquis homo non est animal. Animal* supponebat particulariter in majori, supponit vero distributive in conclusione.

IX. — Octava regula. Duo præcipit: *Si una ex præmissis est negativa, conclusio debet esse negativa; si una est particularis, conclusio particularis esse debet.*

Duo extrema sunt in conclusione comparanda inter se eodem modo quo sunt comparata cum medio in præmissis. Sed, si unum extremorum convenit cum medio in præmissis, seu affirmatur, alterum vero non convenit, seu negatur, liquet extrema non convenire interse, juxta illud : *quorum unum convenit cum tertio, alterum non convenit, inter se diversa sunt.* Ergo, si una præmissa est negativa, extrema in conclusione non debent convenire inter se, ideoque conclusio debet esse negativa.

— Si autem una ex præmissis est particularis, signum est comparationem fieri in præmissis non *generaliter,* sed *particulariter.* Atqui conclusio, ut dictum est, refert tantum comparationem factam in præmissis. Ergo, si una præmissa est particularis, conclusio particularis esse debet.

X — Reductio regularum ad unam. Plures recentiores ad unam regulam conantur omnes regulas reducere. Auctor Libri *De arte cogitandi* hanc statuit: *Una praemissarum conclusionem contineat, altera contentam declaret.*

Id quidem verum est ; sed est potius principium cui veritas syllogismi innititur quam regula explicans quid sit faciendum, quidve vitandum ut legitima sit connexio inter antecedens et consequens.

P. Gralry aliam ponit: *Tres unum sint!*

Convertitur cum principio : *Ea quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se.* Est igitur principium, sed assignandæ sunt insuper regulæ indicantes quo pacto hoc principium recte applicari possit. Unde utiliter ponuntur explicite octo regulæ ad detegenda singula vitia quæ in syllogismo subrepere possunt. Prima quidem et tertia negligi possent (1), quia in ipsa syllogismi notione implicantur, at opportune ponuntur, quippe quæ id commodi habent quod veram et completam syllogismi naturam liquido exprimant et in mentem subito revocent.

(t) Et de facto a Logica *Portus Regalis* **tamquam inutiles rejiciuntur.**

ARTICULUS QUARTUS

DE SYLLOGISMO IN ORDINE AD FORMAM PROUT DISPONIT TERMINOS, SEU DE FIGURIS

L — Figurae definitio. Monuimus formam quæ disponit materiam remotam syllogismi, seu terminos, *vocari figuram ;* quæ vero disponit materiam proximam,seu propositiones, dici *modum* syllogismi.

Figura delinitur : *Dispositio extremorum cum medio per modum subjecti et prædicati ex qua necessario sequitur conclusio.* Dicitur *figura** metaphora desumpta ex similitudine figura triangularis. Nam, sicut triangulus est clausio trium linearum in tribus angulis, ita syllogismus est concursus trium propositionum in tribus terminis (1).

II. — Triplex figura. Scholastici tres figuras admittebant, nec plures nec pauciores. Vel enim medium subjicitur in una et prædicatur in altera ; vel subjicitur in utraque, vel prædicaturin utraque. Si subjicitur in una et prædicatur ia altera, dicitur prima figura. Et merito, quia tunc medium est verum medium sapiens naturam utriusque extremi, scilicet subjecti et prædicati. Si prædicatur in utraque, est minus perfecta figura, quia medium non sapit utriusque naturam ; cum tamen dignius sit prædicari quam subjici, ideo hæc figura secundum locum tenet. Si tandem medium subjicitur in utraque, est tertia figura. Tres figuræ ita designantur : *sub præ* præ præ* sub sub.*

Sub præ pri na, sed altera bis præ, tertia bis sub.

Exemplum sit pro unaquaque figura;

(1) S. Th. opuse. 47

PRIMA FIGURA

Omne *animal* est sensibile. — Major generalis.
At qui omnis homo est *animal.* — Minor affirmans.
Ergo omnis homo est sensibilis.

SECUNDA FIGURA

Omne sensitivum est *animal.* — Major generalis.
Atqui nullus lapis est *animal.* — Minor negans.
Ergo nullus lapis est sensitivas.

TERTIA FIGURA

Omne *animal* est sensibile.
Atqui omne *animal* est substantia. — Minor affirmans.
Ergo aliqua substantia est sensibilis. — Conclusio particularis.

III. — Non datur quarta figura reallter distincta a prima. Quidam Logici, post Eudemum et Galenum, quartam inducunt figuram, quæ dicitur *galenica,* in qua medium prædicatur in majore et subjicitur in minore : *præ sub :*

Omnis homo est *animal.* — Major affirmans.
Sed omne *animal* est substantia. — Minor generalis.
Ergo aliqua substantia est homo. — Concinno particularis.

At. dici nequit nova figura nisi addat novam habitudinem medii cum extremis. Sed figura galenica non addit novam habitudinem medii cum extremis. Ergo non est nova figura.

Sive enim medium primo subjiciatur et secundo prædicetur, sive primo prædicetur et secundo subjiciatur, dummodo sit semel subjectum et semel prædicatum, semper verum est ipsum sapere naturam utriusque extremi ; quocirca in utroque casu habetur prima figura. Solummodo inferri potest primam figuram habere duo schemata : unum in quo medium subjicitur in majori et prædicatur in minori ; alterum in quo medium prædicatur in majori et subjicitur in minori. Secundum schema est tantum metathesis et transpositio primi (1). Hæc

(i) « Cette quatrième figure, qui est assez peu naturelle, ne serait suivant la plupart des logiciens qu'un renversement des modes de la première figure, au moyen de la conversion. » Paul Janet, **n° 347,**

porro metathesis habet quid violenti et insueti. Principium enim *dictum de omni,* vi cujus minus extremum continetur sub majori extremo, postulat ut primo loco medium comparetur cum majori extremo ; quod fit, si medium subjicitur in majore ; et secundo loco medium comparetur cum minori extremo, quod fit, si medium prædicatur in minore. Si econtra prædicatur in majore et subjicitur in minore, pervertitur naturalis ordo, et sequitur aliquid violenti. Melius itaque esset admittere unum dumtaxat schema *sub-præ* ; et, ad supplendum secundum schema, addere in primo syllogismos indirecte concludentes. Dicitur porro syllogismus concludere directe quando in conclusione majus extremum prædicatur de minori extremo ; indirecte autem concludere, quando e con verso in conclusione minus extremum prædicatur de majori. Ad primam figuram indirectam reducitur galenica :

Galenica :

Omnis homo est animal.
Sed.omne animal est substantia.
Ergo aliqua substantia est homo.

Prima indirecta :

Omne animal est substantia.
Sed omnis homo est animal.
Ergo aliqua substantia est homo.

Id ergo commodi habet prima figura indirecta quod suppleat fìguram galenicam et naturalem servet ordinem in dispositione terminorum.

Quia tamen falsa non est figura galenica, legitime quis eam defendere potest. Res tanti non est ut in ea amplius immoremur.

Qui quatuor admittunt figuras hunc versum habent :

Sub-pra?, *tum præ-præ, tum sub-sub, denique præ-sub.*

IV. — Leges primee figurae :

Sit minor affirmans, major vero generedis.

Ratio primæ partis. Si minor est negativa, inferet conclusionem negativam. Ergo prædicatum supponet distributive in conclusione, et tamen supponebat particulariter in majore quæ debet esse affirmativa, cum minor jam sit negativa. Ergo violatur regula: *Latius hos.·. Omnis homo est animal. Sed nullus equus est homo. Ergo nullus equus est animal.* (Lator conclusio quam præmiseæ).

Ratio sècundæ partis. Si major est particularis, medium erit particulare, quia medium subjicitur in majori. Aliunde medium, utpote praedicatum propositionis affirmativæ, erit etiam particulare in minori. Ergo violatur regula : *Aut semel aut iterum medius generaliter esto.*

V. — Leges seoundee ligurae ⁸

Una *negails esto, nec major sit specialis.*

Ratio primæ partis. Cum medium in utraque præmissa debeat esset prædicatum, si utraque est affirmativa, medium non distribuitur, nam in affirmativis prædicatum supponit particulariter.

Omne sensibile est animal (aliquod animal).
Atqui omnis homo est animal (aliquod animal).
Ergo omne sensibile est homo.

Ratio secundæ partis. In secunda figura subjectum majoris est prædicatum in conclusione. Sed, cum conclusio sit negativa, ejus prædicatum supponit distributive. Si ergo major est particularis, aliquis terminus latior erit in conclusione quam in prsemissis. *Aliquod animal est homo. Sed nullus equus est homo. Ergo nullus equus est animal* (latior conclusio quam præmissæ).

VI. — Leges tertiæ figures :

Sit minor affirmans, conclusio particularis.

Ratio primæ partis. Si minor est negativa, major erit affirmativa, cum ambæ non possint esse negantes; adeoque

suppositio predicati erit particularis. Aliunde, si minor est negativa, conclusio erit negativa ; et tunc prædicatum supponet distributive in conclusione, cum tamen supponeret particulariter in premissa. *Omnis planta est vivens, aliquod vivens. Sed nulla planta est animal. Ergo aliquod animal non est vivens* (latior conclusio).

Ratio secundae partis. Si conclusio est generalis, subjectum sumitur in ea distributive. Sed idem sumebatur particulariter in minori, utpote prædicatum propositionis affirmativae. Ergo latior conclusio quam præmissæ. *Nullum animal est lapis. Atqui omne animal est substantia, aliqua substantia. Ergo nulla substantia est lapis* (conclusio latior).

VII — Leges iiguræ galenicæ. Figura galenica tres regulas habet :

Prima est :

Major ubi affirmat, generalis tum minor esto.

Medium est prædicatum in majori ; si ergo major affirmat, medium sumitur particulariter. Medium est subjectum in minori : si ergo minor est particularis, medium erit iterum particulare, contra regulam quartam terminorum.

Secunda :

Si minor affirmet, conclusio sit specialis.

Si minor est affirmativa, minus extremum, quod est ejus prædicatum, supponit particulariter. Ergo in conclusione minus extremum, quod est ejus subjectum, debet supponere particulariter, et, subjecto supponente particulariter, conclusio est particularis.

Tertia :

Si *una negat, major generalis postulat esse.*

Si major est particularis, majus extremum, quod est ejus subjectum, debet esse particulare. Aliunde, cum una neget, conclusio erit negativa; ideoque majus extremum, quod est ejus prædicatum, sumitur distributive, contra regulum ; *Latius hos..,*

ARTICULUS QUINTUS

DE SYLLOGISMO IN ORDINE AD FORMAM PROUT DISPONIT PROPOSITIONES SEU DE MODIS

I. — Definitio modi. Modus syllogismi est *dispositio propositionum inter se secundum affirmationem et negationem, generalitatem et particularitatem.* Tot ergo erunt modi quot sunt dispositiones harum propositionum ; generalis afffrmativæ A, generalis negativae E ; particularis affirmativae I, pericularis negativæ 0.

II. — Quot modi possibiles. Dispositiones omnes possibiles hoc schemate exhibentur :

	Minor *a*	Minor *e*	Minor i	Minor *0*
Major : A. . . .	aaa aae aai aao	aea aee aei aeo	aia aie aii aio	aoa aoe aoi aoo
Major : E. . . .	eaa eae eai eao	eea eee eei eeo	eia. eie eii eio	eoa eoe eoi eoo
Major : I . . , .	iaa iae iai iao	iea iee iei ieo	iia iie iii iio	ioà ioe ioi ioo
Major : 0. . . .	oaa oae oai oao	oea oee oei oeo	oia oie oii oio	ooa ooe ooi ooo

Schema exhibet sexaginta quatuor dispositiones. Cum vero sint quatuor liguræ quibus possunt hœ dispositiones convenire, numerus sexaginta quatuor numero quatuor est multiplicandus : (64 X 4 — 256). Sunt igitur ducenti quinquaginta sex modi possibiles.

III. — Quot vero legitimi sint. Nunc expendamus.

a a a, nullam offendit regulam ; a a e, contra regulam : *ambæ affirmantes...* a a i, legitimus ; aao, contra regulam : *ambæ affirmantes...* Aea contra regulam : *pejorem sequitur...* a e e, legitimus, ae i, contra regulam *pejorem...* a e o, continetur in a e e ; non falsus ; a i a, contra regulam : *pejorem...* a i e, contra regulam: *ambæ affirmantes...* et *'pejorem...&* i. legitimus, a i o, contra regulam : *ambæ affirmantes ;* a o a, contra regulam : *pejorem...* a o e, contra eamdem, a o i, contra eamdem, a o o, legitimus.

Eaa, contra regulam : /jc/orem, eae, legitimus, eai, contra regulam : *pejorem...* *q &q,* ligilimus, e e a, e e i, contra regulam : *pejorem...* et : *utraque si præmissa neget...*

Eoe, e eo, contra regulam : *utraque si præmissa neget...* eia, contra regulam: *pejorem...* eie, eii, contra eamdem, ei o, legitimus.

Eoa,eoe,eoi,eoo, contra regulam: *utraque si præmissa...* laa, contra regulam : *pejorem...* iae, contraeamdem regulam et insuper : *ambæ affirmantes...* i a i, legitimus ; i a o, contra regulam : *ambæ affirmantes...* i e a, iee, i e i, contra regula n : *pejorem...* leo non potest concludere directe, quia in majore affirmativa majus extremum supponit particulariter, si ergo esset prædicatum in conclusione negativa, supponeret distributive et offenderet regulam : *Latius hos...* Indirecte autem, id est, si majus extremum fiat subjectum conclusionis, poterit concludere. Nam tunc subjectum erit particulare, et majus extremum habebit eamdem suppositionem quam habet in majori. Sit exemplum :

i. **Aliquod animal est substantia (aliqua substantia).**
e. **Sed nullus lapis est animal.**
o. **Ergo aliqua substantia non est lapis.**

. lia, iie, iii, iio, ioa, i oe, ioi, ioo, praeter alia vitia, violant regulam : *Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.* Oaa, oae, oai, contra regulam : *Pejorem...* oao, legitimus ; oea, oee, oei, oeo, contra regulam : *utraque si præmissa...* oda, oie, o i i, o i o, o o a, ooe, ooi, o o o, praeter alia vitia, violant regulam : *Nil sequitur geminis..·*

Expunctis igitur falsis modis, remanent decem modi directe concludentes. Quatuor affirmativi : aaa, aai, a i i, i ai; sex vero negantes : eae, a e e, e io, aoo, eao, oao.

Adjici possunt aeo, ieo qui possunt concludere indirecte.

IV. — Non omnes ex his modis in se legitimis conveniunt singulis figuris. A prima figura, quæ vult majorem generalem et minorem affirmativam, excluduntur.* aee, aoo, i a i, oao. — Aai, eao non excluduntur, sed, quia continentur in aaa, eae, possunt negligi ut non necessarii. Remanent ergo quatuor directe concludentes in prima figura :

aaa, eae, aii, eio.
Barbara, Celarent, Darii, Ferio.

A secunda figura, quæ vult unam praemissam negantem et majorem generalem, excluduntur : aaa, aaij aii, iai, oao. — Eao non peccat conira regulam, sed, quia continetur in eae, potest negligi ut non necessarius. Remanent ergo quatuor modi directe concludentes in secunda figura :

Eae, aee, eio, aoo,
Cesare, Cainestres, Festino, Baroco.

A tertia figura, quæ vult minorem affirmativam et conclusionem particularem, excluduntur : aee, aoo, aaa, eae. Remanent sex modi directe concludentes in teitiafiguia :

Aai, eao, iai, aii, oao, eio.
Darapti, Felapton, Disamis, Datisi', Bocardo, Ferison.

Figura galenica vi primæ suæ regulæ :

Major ubi affirmat, generalis tum minor esto,

excludit : a i i, a o o. Vi secundæ regulae :

St *minor affirmat, sii conclusio particularis,*

excludit: aaa, eae. Vi tertiæ regulæ :

Si una negat, major generalis postulat esse,

excludit oao. Remanent ergo quinque modi in figura galenica :

Aai, aee, iai, eao, eio.
Bamalipton, Comentes, Dimatis, Fresapno, Fresisonorum.

V. — Novem decim modi. Quatuor modi in prima, quatuor in secunda, sex in tertia, quinque in galenica: novem decim habentur modi legitimi, qui his recensentur versiculis :

(**1* flg.**) *Barbara, Celarent, Darii, Ferio,'* (**galen**) *Bafáalípton, Camentes, Dimatis, Fresapno, Fresisonorum.'*
(**2* flg.**) *Cesare, Camestres, Festino, Baroco.* (**3* flg.**) *Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*

At vero diximus figuram galenicam, quæ est tantum novum schema primæ figurae, habere aliquid violenti, et melius esse si suppleatur per syllogismos indirecte concludentes in *sub præ.*

Oportet ergo invenire quinque modos indirectos in prima figura, ad supplendos quinque modos figuræ galenicæ. Quinam ergo modi possunt indirecte concludere in *sub præ ?* Regulas primæ figuræ non lædit aai : minor est affirmans, major generalis. Cur vero conclusio sit particularis facile intelligitur. In modis indirectis majus extremum, quod est prædicatum in majori, est subjectum in conclusione. Jam vero prædicatum in affirmativa supponit particulariter. Ergo in conclusione subjectum erit particulare.

Eae, e ai, nullatenus lædunt regulam primæ figuræ ; aeo offendit quidem regulam : *sit minor affirmans,..,* sed hæc regula valet solum pro modis directis; aeo potest concludere indirecte. Semper enim recolendum est in modis indirectis prædicatum majoris fieri subjectum conclusionis. Sed prædi-

calum est particulare. Ergo fiet subjectum particulare in conclusione et recta erit illatio. Sit exempiuta :

a **Omne animal est substantia (aliqua substantia).**
e **Nullus lapis est animal.**
o **Aliqua substantia non est lapis.**

Jam explicatum est quo pacto ieo possit concludere indirecte.

Invenimus ergo quinque modos indirectos in *sub-præ,* ad supplendos quinque modos in *præ-sub.* Quia vero, ut jam ostensum est, modi, in *præ-sub* sunt violenti et modi in *sub-præ,* naturales, recte Scholastici veteres suppresserunt omnes modos in *præ-sub,* et, eorum loco suffecerunt modos indirectos : a ai, *Baralipton,* loco *Bamalipton* ; eae, *Celantes,* loco *Camentes ;* a ii, *Dabitis,* loco *Dimatis,* aeo, *Fapesmo,* loco *Fresapno ;* ieo, *Frisesomorum,* loco *Fresisonorum.*

Hujusmodi ergo sunt versus antiquorum Scholasticorum .

(1* fig.) *Barbara, Celarent, Darii, Ferio ;* **(1° ind.)** *Baralipton, Celantes,Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,*
(21 fig.) *Cesare, Camestres, Festino, Baroco.* **(3a fig.)** *Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Ferîson.*

Quinque ex prædictis modis sunt generales ; septem con eludunt affirmative, duodecim negative.

VI. — Tabula omnium modorum legitimorum :

PRIMA FIGURA :

a *Bar-* *Omnis virtus* **est habitus bonus.**
es *ba-* **Omnis justitia** *est virtus.*
tt *τα.* **Omnis justitia est habitus bonus.-**

e *Ce-* *Nullum sensitivum* **est planta.**
ti *la-* **Omne animal est** *fensitioum.*
e *rent.* **Nullus animal est planta***

a *Da-* *Omnis superbia* **est mala.**
t *ri-* **Aliqua scientia e&t** *superbia.*
i **I.** **Aliqua scientia est mala.**

e íe- **Nullum** *vitium* **est amabile.**
i *ri-* **Aliquis amor est** *vitium.*
0 *o.* **Aliquis amor non est amabilis.**

I» fig. *in sub-præ* **indirecta.**

a Ba- *Omne animal* **est sensi* tivum.**
a va- **Omnis homo est** *animai.*
i lipton. *Aliquod sensitivum* **est homo.**

e Ce· *Nullum animai* **est pianta.**
a lan· **Omnis homo est** *animai.*
e tes. *Nulla pianta* **est homo.**

a Da- *Omne animai* **est vivens.**
i *bi-* **Aliqua substantia est** *animai.*
i tis. **Aliquod vivens est substantia.**

a Fa- *Omne animai* **est substantia.**
e pes· **Nullus lapis est** *animai.*
o mo. **Aliqua substantia non. est lapis.**

i *Fri-* **Aliqui** *sapientes* **sunt di* vites.**
e *se* **Nullus avarus est** *sapiens.*
o som **Aliqui divites non sunt avari.**

I" **fig.** *in prie-sub* **galenica.**

a Ba- **Omnis homo est** *animai.*
a ma· **Omne** *animai* **est sensitivum.**
i lipton. **Aliquodsensitivumest homo.**

a Ca· **Omnis homo est** *animai.*
e men- *Nullum animai* **est planta.**
e tes. **Nulla pianta est homo.**

i Di·. **Aliqua substantia est** *animai.*
a ma- **Omne** *animai* **est vivens.**
i **tis.** **Aliquod vivens est substantia.**

e Fre- **Nullus lapis est** *animai,*
a sap- *Omne animai* **est substantia.**
o no. **Aliqua substantia non est lapis.**

e Fre- **Nullus avarus estsapient**
si *Aliqui sapientes* **sunt divites.**
o *son* **Aliqui divites non sunt avari.**

SECUNDA FIGURA

a Ca· **Omnis planta est** *vivens.*
e mes· **Nullus lapis est** *vivens.*
e tres. **Nullus lapis est planta.**

e Ce- **Nullum malum** *est faciendum.*
a sa- **Omne mandatu m Ecclesia*** *est aciendum.*
e re. **Nullum mandatum Ecclesias est malum.**

e Fes- **Nulla virtus esi** *culpa»*
i *ii-* **Aliqua ira est** *culpa.*
o no. **Aliqua ira non est virtus.**

a Ba- **Omnis virtus** *placet Deo.*
o ro- **Aliqua indulgentia non** *placet Deo.*
ti co. **Aliqua indulgentia non est virtus·**

TERTIA FIGURA

a Da- **Omnis** *homo* **est risibijis**
ti ra- **Omnis** *homo* **est animal.**
i pii. **Aliquod animal est risibile.**

e Fe- **Nullum** *rationale* **est lapis.**
a la- **Omne** *rationale* **est substantia.**
o pton. **Aliqua substantia non est lapis·**

i Di- **Aliquod** *animal* **est rationale.**
et 8a- **Omne** *animal* **est substantia.**
i mis. **Aliqua substantia est rationales.**

a Da- **Omne** *animal* **est sensitivum.**
i ti- **Aliquod** *animal* **est alatum.**
i si. **Aliquod alatum est sensitivum.**

o Bo- **Aliquis** *amor* **non est malus.**
a car- **Omnis** *amor* **est passio.**
o do. **Aliqua passio non est mala.**

e Fe- **Nullus** *superbus* **placet Deo.**
» *ri-* **Aliquis** *superbus* **est magister.**
o son. **Aliquis magister non placet Deo**

VIX. — Soholion. De quantiflcatione predicati. Nonnulli philosophi angli, ut Hamilton, contendunt doctrinam peripa teticam de syllogismo esse incompletam, eo quod negligat quantiiicationom prædicati. Volant enim propositionem esse dividendam non solum ex parte subjecti, sed etiam ex parte prædicati ; hinc non quatuor tantum propositionum species (A, E, 1.0»), sed octo esse admittendas; quo fit ut multiplicandi sint modi in singulis figuris.

Dicunt autem propositionem evadere adæquationem perfectam si quanlificetur prædicatum sicut et subjectum.

Reponimus prædicatum non esse quantificandum, quia ex natura sua est indeterminatum, nec determinatur nisi fiat aliquatenus subjectum, imo subjectum particulare ; *Homo est vivens. Aliquod tale vivens est homo. Homo non est planta. Tale non planta est homo.* At, si fit particulare, propositio desinit esse generalis ; si autem propositio amittit suam universalitatem, quomodo fiet syllogismus ?

Aliunde, si prædicatum quantificetur, et inducatur perfecta adæquatio, ut volunt adversarii, nonjam erit major, minor et medius terminus, sed omnes termini erunt æquales, quod est contra syllogismi notionem (Vid. art. II, et art. HI). Igitur theoria de quantificatione predicati pessumdat veram syllogismi naturam.

Aliquo tamen sensu legitimo admitti potest quantificatio. predicati juxta ea quæ alibi tradidimus de extensione predicati (1). « II est très vrai que le prédicat a une quantité, mais l'ancienne logique avait connu ce principe avant Hamilton. L'ancienne logique avait sagement entendu ce principe et l'avait sagement exprimé, en disant que : dans toute affirmation, le prédicat est pris particulièrement, et dans toute négation, universellement (2). »

(1) *Log. Min.* Tract. II, q. II, a. n, n. IX,
(2) p. Janbt, *Logi<pwt* n· 324.

ARTICULUS SEXTUS

DE *REDUCTIONE MODORUM*

I. — Ratio articuli. Quatuor primi modi primæ figuræ sunt omnium perfectissimi,quia in ipsis perfectissime salvantur principia *dictum de omni, dictum de nullo* ; in ipsis etiam inveniuntur omnes propositiones interibiles : *universalis affirmativa* perfectissime infertur in Barbara, *universalis negativa* in Celarent, *particularis affirmativa* in Darii, *particularis negativa* in Ferio.

Incæteris autem modis non tam liquido apparet conclusionis valor. Quo ergo melius probetur hæc legitimitas, resolvendi sunt in quatuor modos directos primæ figuræ (1).

ZI. — Quid sit reductio· *Hæc operatio qua casieri modi resolvuntur in quatuor primos ut probetur ipsorum legitimitas,* vocatur *reductio.* Duplex est : *directa* seu *ostensiva** indirecta seu *per impossibile. Directa* est revocatio syllogismi imperfecti ad perfectum per solani propositionum conversionem, aut etiam per transpositionem.

Dupliciter ergo fieri potest, vel per solam conversionem alicujus propositionis, in qua operatione servandae sunt leges de conversione propositionum; vel etiam per transpositionem, ut scilicet major ponatur lofio minoris, aut e contra. Hæc re-

fi) Diximus : *quo* melius *probetur,* quia isti modi in se legitimi non indigent forte reductione, sed in se ipsis absolute probari possent, ut autumant quidam Logici. Unde singulis figuris propria principia assignant, quibus demonstratur legitimitas modi, quin recurratur ad reductionem. Ita Lachelier, Études sur *le syllogisme, Revue philosophy* t; I, p. 476 et seqq.

ductio *ostensiva* nititur principio : *quidquid sequitur ad consequens sequitur ad antecedens.*

III. — Conditiones reductionis directes. Ut recte fiat duo scienda sunt : i° ad quem modum perfectum imperfectus reducatur; 2° quænam propositiones sint convertendae aut transponendas. — Circa primum est regula : Singuli modi imperfecti reducuntur ad modum perfectum qui incipit per eamdem consonantem, V. gr. *Baralipton* ad *Barbara, Camestres* ad *Celarent, Felapton* ad *Ferio, Disamis ad Darii.* — Quoad secundum : Quæ sint propositiones convertendae aut transponendae, indicatur quibusdam consonantibus in medio vocabulorum inclusis, scilicet S» *P, M.* — *S* reperta post vocalem aliquam in modis imperfectis denotat propositionem illi vocali antecedenti correspondentem esse convertendam *simpliciter : Datisi* reducitur ad *Darii,* minore *i* simpliciter conversa, id est retinente eamdem quantitatem quam habebat prius,

P denotat propositionem correspondentem vocali antecedenti convertendam esse per accidens : *Felapton* reducitur ad *Ferio, minore a* conversa per accidens in *i* seu non retinente eamdem quantitatem.

M indicat propositiones esse transponendas, majorem in minorem et e converso ; sic *Disamis* reducitur ad *Darii,* minore *Digamis* facta majore, et majore facta minore. *C* in medio dictionum *Baroco* et *Bocardo* denotat illos modos non posse reduci ostensive, sed indirecte seu per impossibile, de qua reductione mox loquemur. En versus :

S vult simpliciter verti, *P* vero per accid.
***M* vult transponi, *C* per impossibile duci·**

Exemplis res patebit.

i Dis- Aliquod animal ost rationale.
***a* e- Omne animal est substantia,**
i *inis-* Aliqua substantia est rationalis.

Argumentum in *Disamis, D* indicat reducendum esse ad *Darii, m* indicat minorem *a* mutandam esse in majorem et e

converso, S nos monet majorem *Disamis* convertendam esse simpliciter.

a	*Da·*	**Omne animal est substantia.**
i	*ri-*	**Aliquod rationale est animal.**
i	**».**	**Aliquod rationale est substantia.**

Habetur eadem quantitas quæ prius, sed ordo pia.missarum est mutatus : *i ai, ai i.*

a	**Fa-**	**Omne animal est vivens.**
e	**pes-**	**Nullus lapis est animal.**
o	**mo.**	**Aliquod vivens non est lapis.**

F monet reducendum esse modum ad *Ferio, p* indicat majorem *a* esse convertendam per accidens, juxta regulam *Eva per accid., s* minorem *e* convertendam esse simpliciter, *m* transponendam majorem in minorem et e converso·

e	*Fe-*	**Nullum animal est lapis,**
t	*ri-*	**Aliquod vivens est anima).**
o	*o-*	**Aliquod vivens non est lapis.**

In *Baralipton* est aliquid peculiare attendendum. Nec major nec minor mutatur, sedp indicat fieri conversionem per accidens circa conclusionem. Id autem fit non per transmutationem *Baralipton in Barbara,* sed per transmutationem *ex Barbara,* cujus conclusio generalis *a* convertitur in particularem**.

Bocardo et *Baroco* non possunt reduci directe. *A,* quæ est major in Baroco et minor in Bocardo convertitur per accidens, id est, non servat suam quantitatem, sed fit particularis, Facta autem conversione, haberemus *a o o* mutatum in *i o o* et *o ao* mutatum in o *io,* contra regulam : *Nil sequitur geminis...* Possunt tamen probari secundo reductionis modo, qui est ad impossibile.

IV. — De reductione ad impossibile. Si quis eo protervia vel ignorantiae devenerit ut, concessis praemissis, neget con* clusionem, modus ipsum redarguendi est deducere ad duas contradictorias simul veras, quod est impossibile. Haec reductio ad impossibile definitur : *Revocatio syllogismiimperfectiad perfectum, inferendo contradictoriam conclusionis negatæ, et*

ex illa contradictoria et una praemissarum concessa deducendo contradictoriam alterius concessae praemissae. Aliis verbis : quando adversarius negat conclusionem, statirn sume contradictoriam, et pone ipsam ut unam ex præmissis cum altera concessa, et infer contradictoriam vel contrariam alterius præmissæ concessæ. Sic coges adversarium admittere impossibile, nempe duas contradictorias vel duas contrarias simul veras.

V. — Conditiones reductionis indirectae. Quod ut recte **fiat** duo sunt attendenda : primum, quænam ex præmissis servanda sit, et quo loco, majoris scilicet an minoris, sit ponenda contradictoria conclusionis negatæ ; secundum, ad quemnam ex modis perfectis singuli imperfecti hoc reductionis genere revocandi sint.

VI. — Prima conditio. Circa primum sequentes sunt **regulæ.**

Prima minorem adimit, facit e majore minorem.
Excipe *Celantes* **in quo convertitur ordo.**
Majorem servat, variatque secunda minorem.
Tertia majorem variat, servatque minorem.

Tα prima figura contradictoria conclusionis negatæ poni* tur ut major novi syllogismi, major prioris syllogismi fit minor, et ita eruitur conclusio reducens adversarium ad contradictionem.

Sit exemplum :

a	*Da-*	**Omne animal est vivens.**
i	*bi~*	**Aliqua substantia est animal.**
i	*tis.*	**Aliquod vivens est substantia.**

Adversarius negat conclusionem. Repono :

e	*Ce-*	**Igitur nullum vivens est substantia,**
a	*la-*	**Sed omne animal est vivens.**
e	*rent.*	**Ergo nullum animal est substantia.**

Et tamen concesserat : *aliqua substantia est animal.*

Si argumentum est in *Celantes,* minor ejus fit major novi syllogismi, contradictoria conclusionis negatæ fit minor.

e *Ce-* **Nullam animal est planta.**
α *lan-* **Omnis homo est animal.**
e *tes.* **Nulla planta est homo.**

Si negatur conclusio, statini replico :

a *Da-* **Omnis homo est animal.**
i *ri-* **Aliqua planta est homo.**
i **t.** **Aliqua planta est animal.**

Et tamen fuerat concessum : *nullum animal est planta.*

Si argumentum est in secunda figura, major conservatur et fit major novi syllogismi, contradictoria vero conclusionis fit minor.

e *Fes-* **Nulla virtus est culpa.**
i *&* **Aliqua ira est culpa.**
o *no.* **Aliqua ira non est virtas.**

Si negatur conclusio, hoc modo probatur.

e *Ce-* **Nulla virtus est culpa.**
a *la-* **Omnis ira est virtus.**
e *rent.* **Nulla ira est culpa.**

Concessum fuerat : *aliqua ira est culpa.*

Si argumentum est in tertia figura, contradictoria conclusionis fit major novi syllogismi, minor prioris remanet minor.

o **Bo-** **Aliquis amor non est malus.**
a *car-* **Omnis amor est passio.**
o *do.* **Aliqua passio non est mala.**

Ita probatur :

a *Bar-* **Omnis passio est mala.**
a *ba-* **Omnis amor est passio.**
a *ra.* **Omnis amor est malus.**

Concessum fuerat : *aliquis amor non est malus.*

VII. — Secunda Cq iniitio. Quoad secundum, sciendum est *Baroco* et *Bocardo* reduci semper ad *Barbara.* Cæteri autem modi imperfecti non reducuntur ad singulos modos perfectos incipientes per eamdem consonantem. At, si serventur re-

gulæ prius tradita?, ipso solo exercitio, modi imperfecti ad suum modum perfectum correspondentem reducentur.

Si quis tamen velit proprias nosse regulas, illas refert hic versus :

Febiferaxis obit terras spheramque quotannis.

Quinque vocales *Febiferaxis, e, i, e, a, i,* correspondent quinque modis indirectis primæ figuræ. Indicant : primum modum, *Baralipton,* reduci ad modum perfectum cujus conclusio este, scilicet *Celarent ;* secundum modum *Celantes* reduci ad modum perfectum cujus conclusio est t, *Darii ;* tertium modum, *Dabitis,* ad syllogismum perfectum, cujus conclusio est e, *Celarent ;* quartum, *Fapesmo,* ad modum perfectum cujus conclusio est *a, Barbara ;* quintum, *Frisesomorum,* ad modum perfectum cujus conclusio est i, *Darii.*

Obit terras, habet quatuor vocales correspondentes quatuor modis secundæfiguræ. Primus modus secundæ, scilicet *Cesare,* reducitur ad modum perfectum cujus conclusio est o, *Ferio ;* secundus modus, *Camestres,* ad modum perfectum cujus conclusio *est i, Darii;* tertius, *Festino,* ad modum perfectum cujus conclusio *est e, Celarent ;* quartus *Baroco,* ad modum perfectum cujus conclusio *est a, Barbara.*

Spheramque quotannis, habet sex vocales pro sex modis tertiæ figuræ. Unde primus modus tertiæ, *Darapti,* reducitur ad modum perfectum cujus conclusio est *e, Celarent;* secundus, *Felapton,* admodum perfectum cujus conclusio est a, *Barbara* ; tertius, *Disamis,* ad modum perfectum cujus conclusio *est e, Celarent ;* quartus, *Datisi,* ad modum perfectum cujus conclusio est *o, Ferio;* quintus, *Bocardo,* ad modum perfectum cujus conclusio *est a, Barbara ;* sextus, *Ferison,* ad modum perfectum cujus conclusio *est i, Darà.*

ARTICULUS SEPTIMUS

DE INVENTIONE MEDII

I. — Ratio articuli. Celeberrima oHm fuit quaestio de modo inveniendi medium, quæ .difRcillima reputabatur. Clare et perfecte callere regulas quæ huc spectant acutissimi erat ingenii. Licet autem quaestio maximi non sit momenti, utile est recolere faciliores regulas quæ a scholasticis traduntur.

II. — Prima regula. Ad inferendam universalem affirmativam, sumendus est pro medio aliquis terminus qui consequatur ad subjectum conclusionis, et contineatur sub ejus predicato. Potest autem sequi ad subjectum conclusionis, sive ut ^enwssive ut *differentia. Omne animal esi vivens. Omnis homo est animal. Omnis homo est vivens. Animal* consequitur ad *subjectum* conclusionis, ut genus, et continetur sub *vivente, prsedicato.* Ergo est medium.

Omne *risibile* est animal. Omnis homo est *risibilis. Omnis homo est animal. — Risibile* consequitur ad *subjectum* conclusionis *homo* ut proprietas, et continetur sub predicato conclusionis *animal.* Ergo est medium.

III. —Secundaregula. Ad inferendam universalem negativam, sumendus est pro medio terminus qui sequatur ad subiectum et repugnet prædicàto. V. gr : Nullum *sensitivum* est *planta. Omne animal est sensitivum. Nullum animal est planta. Sensitivum* consequitur ad *animal,* subjectum conclusionis, et repugnat ejus predicato, *planta.* Ergo *sensitivum* eat medium.

IV. — Tertia regula. Ad inferendam particularem affirma-* tivam in prima figura, sumitur pro medio terminus qui sequitur ab subjectum et antecedit prædicatum.

Omne sensibile est animal. Aliqua substantia est sensibilis. Aliqua substantia est animal.

Sensibile infertur ex *animali* et infert *substantiam.*

V. — Quarta regula. Ad inferendam particularem affirmativam in tertia figura (nam in secunda non datur particularis affirmativa), medium est terminus qui est inferior ad subjectum et prædicatum. Ratio est quia medium subjicitur in utraque præmissa. Subjici autem est inferioris.

VI. — Quinta regula. Ad inferendam particularem negativam, in prima figura, pro medio sumendus est terminus qui sequatur ad subjectum et repugnet prædicato. Exemplum : *Nullum animal est lapis. Aliquis homo est animal. Aliquis homo non est lapis. — Animal* sequitur ad *hominem* et repugnat *lapidi.* — Eadem regula pro *Festino.*

VII. — Sexta regula. In *Baroco* medium est terminus qui repugnat subjecto et consequitur ad prædicatum. V. gr : *Omnis homo est animal. Aliquis lapis non est animal. Aliquis lapis non est homo. —Animal* repugnat subjecto, scilicet *lapidi,* et consequitur ad *hominem,* prædicatum.

Vili. — Septima regula. In tertia figura medium est terminus qui est inferior ad subjectum et repugnans prædicato. V. gr : *Nullus lapis est rationalis. Aliquis lapis est substantia. Aliqua substantia non est rationalis.*

Lapis, medius terminus, est aliquid inferius ad substantiam, (nam substantia prædicutur de lapide sicut de interiori) et repugnat prædicato, *rationalis.*

QUÆSTIO SEGUNDA

De partitionibus syllogismi.

ARTICULUS PRIMUS

DE DIVISIONE SYLLOGISMI EX PARTE FORMÆ

I. — Syllogismus formatus et informis. Divisio syllogismi attenditur ex parte formae et exparte n: a! criæ. Ex parte quidem formæ dividitur primo per figuras et modos, de quibus Tuse disseruimus. Insuper dividitur in *formatum* et *informem,* seu, ut alii dicunt, in *scholasticum* et *oratorium. Formatus* est in quo servatur structura artificiosa, dispositioque terminorum et propositionum ad apices legum dialectic*. Hoc uti convenit in disputationibus scholasticis. *Informis* est qui relinet quidem vim argumenti, sed structuram externam implicite tantum refert. Hoc homines quotidie utuntur, non solum oratores in concionando, sed universaliter omnes quibuscumque naturale est argumentari (1). Adhibetur in disputationibus quæ dicuntur *extra formam.*

II. — **Divisio syllogismi formati.** Formatus dividitur in^er-*feclum* et *imperfectum. Perfectus* dicitur in quo ponuntur

(1) « Nous ne nous astreignons guère à construire le raisonnement de cette sorte (en forme), parce que cela rendrait le discours trop long, et que d'ailleurs un raisonnement s'entend très bien sano cela. »

Bossuet, *Connaissance de Dieu el de soi-même.* **chap. 1er, XIII.**

expresse et distincte singula quæ requirantur ad completam syllogismi structuram : major, minor, conclusio. *Imperfecti* species sunt *Enthymema, Sorites, Epicherema, Dilemma* et *Polysyllogismus.*

III. — Enthymema In sensu veterum. Enthymema a **ve**teribus dicebatur argumentatio quæ ex *verisimilibus, probabilibus* et *signis* conclusionem probabilem educit. V. g. : *Quorum vultus pallet timent.* Sed *Petri vultus pallet.* Ergo *timet Petrus.* Hoc pacto differt enthymema a syllogismo, non solum ratione formae sed et ratione materiae.

IV*. — In sensu reoentiorum. Alia prorsus significatione sumitur a recentioribus pro syllogismo decurtato in quo subauditur una ex praemissis. *Petrus est rationalis. Ergo Petrus est risibilis.* — Definiri potest : *argumentatio in qua infertur consequens uniens duo extrema inter se ex antecedente uniente alterum dumtaxat cum medio.*

V. — Qusenam sit praemissa subaudita in enthymemate. Duo extrema exprimuntur in conclusione, sed alterum dumtaxat illorum exprimitur in antecedente. Hinc habetur facilis regula ad inveniendam propositionem suppressam. Si majus extremum exprimitur in antecedente, praemissa suppressa est minor. Si autem minus extremum exprimitur in antecedente, praemissa suppressa est major. In praecedenti exemplo : Petrus *est rationalis,* ergo *risibilis,* majus extremum, *risibile,* non enunciatur in antecedente. Ergo supplenda est major : *omne rationale est risibile.* In isto : *Omne spirituale est immortale,* ergo *anima humana est immortalis,* minus extremum non exprimitur in antecedente. Ergo supplenda esi minor : *anima humana est spiritualis.*

VI. — Epicherema. Est syllogismus *abundans* in quo vel alterutri vel utrique praemissae adjicitur probatio, ideoque una vel utraque praemissa est propositio causalis : *Omnis facultas cognoscitur ex actu suo, quia facultates specificantur ex acti~bus. Atqui actus intellectus est spiritualis, quia versatur circa objecta spiritualia.* Ergo *intellectus est facultas spiritualis.*

Quaelibet causalis resolvitur in alium syllogismum integrum. Major ita explicanda est : *facultas cognoscitur ex eo a quo specificatur.* Sed *facultas specificatur ab actibus. Ergo cognoscitur ex actibus.* Minor similiter : *actus qui versatur circa objectum spirituale est spirituale.* Atqui actus iritellectus versatur circa objectum spirituale. Ergo. — Apud Aristotelem vero epicherema opponitur syllogismo demonstrativo et designat *argumentum quo- mens conatur ad aliquid probabili dumtaxat probatione ostendendum.*

VII. — Dilemma, seu *argumentum cornutum,* est syllogismus constans ex antecedente ita bifariam vel trifariam diviso ut quodcumque membrum accipiatur, semper aliquid contra adversarium sequatur. Major dilemmatis est propositio disjunctiva habens duo saltem membra ; si tria, vel quatuor, argumentum dicitur *trilemma,* vel *quadrilemma,* et, modo generali *polylemma.* In majore igitur enumerantur omnia membra vel omnes hypotheses. In minore vero ostenditur singula membra, singulasque hypotheses esse adversario contrarias, ac demum eruitur conclusio generalis confutans totam adversarii sententiam.

Sequenti dilemmate probari potest repugnare materiam improductam : Vel *materia æterna esset ex natura sua in quiete,* vel *esset ex natura sua in motu. Si esset ex natura sua in quiete, nunquam posset sibi dare motum ; si esset ex natura sua in motu, vi legis inertiæ nunquam posset esse in quiete;* et *tamen constat materiam esse aliquando in motu, aliquando in quiete.* Ergo *repugnat materia improducla,*

VIII. — Dilemmatis regulæ. Prima. *Enumeratio membrorum in praemissa disjunctiva debet esse completa,* alioquin erit medium, et effugium adversario relinquetur, ut in hoc exemplo : *Vel propheta prædicit possibile vel prædicit impossibile.* Si *prædicit impossibile, prædicit falsum ;* si *prædicit possibile, nihil eveniet.* Ergo *propheta nihil praedicere potest.* Respondetur facile: inter impossibile et merum possibile datur medium, *scilicet futurum* (1).

(Q « **Le danger du dilemme, ainsi que des raisonnements disjonctifs**

Secunda. *Cavendum est ne conira arguentem retorqueri possit dilemma.*

Tertia. *Conclusiones partium necessariam habere debent connexionem cum praemissis,* et *conclusio generalis necessariam connexionem cum singulis conclusionibus partium.* Hinc non concludit illud pervulgatum dilemma :

Aut benè aut male rempublicam administrabo. Si male placebo hominibus; si bene, placebo Deo. Ergo regimen reipublicæ est suscipiendum.

Primo quidem non est connexio necessaria inter male administrare et hominibus placere ; secundo non licet hominibus placere, offenso Deo.

IX. — Sorites aristotélicas, seu *acervalis oratio,* est argumentatio in qua plures propositiones ita connectuntur, ut prædicatum primæ flat subjectum secundæ, prædicatum vero secundæ subjectum tertiæ, et ita porro, donec eruatur conclusio in qua subjectum primæ cum prædicato ultimæ conjungatur. *Deus esi actus purus. Actus purus est actus infinitus. Actus infinitus est actus subsistens. Actus subsistens est unus. Ergo Deus est unus.*

Gum in longiori argumentatione facillime subrepere possit error, maxime curandum est : I0 ut omnes ac singulæ propositiones in se veræ sint, et inter se connexae ; 2° ut retineatur eadem suppositio terminorum ; 3° ut serventur regulæ syllogismorum circa qualitatem et quantitatem propositionum.

Tandem modus probandi veritatem soritis est ipsum resolvere in plures syllogismos simplices. Tot vero erunt syllogismi simplices quot præmissæ, una dempta.

X, _ Sorites gooleuius. Præter hanc speciem soritis qui dicitur *aristotélicas,* distinguitur sorites *goclenius,* seu inversus. In isto subjectum prioris propositionis ôt prædicatum secundæ, et ita porro quoadusque eruatur conclusio quæ cons-

est que la disjonction posée ne soit pas complète. C'est ce qui fait que ce raisonnement est rarement probant. Il y a presque toujours un milieu que Ton a négligé. » P. Janbt, **n. 358.**

tet ex *subjecto* ultimæ et *prædicato* primæ. Hic legitimus est, difficilior tamen sorite aristotelico.

XI. — Sorites Chrysippeus. Reprobandus omnino est sorites *Chrysippeus*, seu sophisticus, in quo quis per insidiosam interrogationem gradatim, aliquid addendo vel demendo, ex propositione vera adducit aliquem ad evidenter falsum. V. g. : Sumo 20 grana, et interrogo : Nonne 20 sunt pauca ? Si respondetur affirmative, prosequor : nonne 21 sunt pauca? nonne 22 sunt pauca? et ita minutatim, quoadusque cogatur interrogatus vocare pauca ea quæ evidenter multa sunt. Si respondetur : 20 sunt multa, prosequor : nonne 19 sunt multa? nonne 18 sunt multa? et ita minutatim, quoadusque cogatur interrogatus vocare multa ea quæ sunt evidenter pauca.

XII. — Polysyllogismus. Est syllogismus concatenatus, seu argumentatio plures syllogismos ita complectens ut conclusio prions fiat praemissa sequentis.

Quod est independerá a corpore in esse et operari est spirituale. Sed anima nostra est independeos a corpore in esse et operari. Ergo anima nostra est spiritualis. Sed quod est spirituale est immortale. Ergo anima est immortalis.

In hoc observandas sunt omnes regulœ syllogismorum, et insuper hoc notandum est: polysyllogismus qui incipit in prima vel secunda figura continuari in prima vel tertia ; qui vero incipit in tertia continuari in tertia. In sola secunda figura non potest confici polysyllogismus. Potest autem contingere qt incipiat syllogismus in secunda figura, continuetur in prima et terminetur in tertia, ut in sequenti exemplo : (2a fig.) *Omne rationale est spirituale. Sed nullus equus est spiritualis. Ergo nullus equus est rationalis.* (Ia fig.) *Sed omne rationale est immortale. Ergo nullus equus est immortalis.* (3a fig.) *Sed omnis equus esi animal. Ergo aliquod animal non est immortale.*

ARTICULUS SECUNDUS

DR CÆ1ERIS SYLLOGISMI DIVISIONIBUS

I. — De divisione syllogismi ratione materiae.

Ex parte materiae *circa quam* versatur dividitur syllogismus in *demonstrativum, probabilem, sophisticum, erroneum.* De hac divisione postea erit sermo (1). Ex parte materiae *ex qua* constat (silicet ex parte propositionum) dividitur in *simplicem* et *compositum,*

II. — S mplex. Est cujus utraque praemissa est propositio simplex, v. gr. : *Spirituale est incorruptibile. Angelus est spiritualis. Ergo angelus est incorruptibilis.*

Quia' propositio simplex potest esse complexa vel incomplexa, dividitur syllogismus simplex in *incomplexum* et *complexum.* Sit exemplum syllogismi simplicis complexi: *Doctrina quæ tenet B. Virginem fuisse immaculatam a primo suæ conceptionis instanti est ab Ecclesia definita. Atqui doctrina ab Ecclesia definita est ab omnibus fidelibus credenda. Ergo.*

III. — Syllogismus compositus. Est ille cujus vel alterutra vel utraque præmissa est propositio composita.

Apud veteres syllogismus simplex dicitur *absolutus, categóricas ;* compositus vero dicitur *hypotheticus.* Quia triplex est propositio hypothetica: *conditionalis, disjunctiva* et *conjunctiva* (2) triplex, etiam distinguitur syllogismus hypotheticus : *conditionalis, disjunctivus, conjunctivus.*

(1) Log. Maj. Traot. III, q. Ï.
(2) Tract. II, q. II, art. 3, ŋ. VIII.

IV. — Gonditionalis. Est cujus major est propositio condìtionalis. Recolendum est autem propositionis conditionalis duas esse leges (I) : *posita conditione ponitur conditionatum, sed non vice-versa,* et: *negato condiiionalo negatur conditio, sed non vice-versa.* Hinc sequitur duas esse figuras syllogismi conditionalis, quarum utraque habet duos modos.

In prima figura conditio ponitur in minori et conditionatum in conclusione ; et, siquidem affirmatur conditio in minore et conditionatum in conclusione, est modus *ponens* et syllogismus legitimus ; si vero negatur conditio in minore et conditionatum in conclusione, est modus *tollens* et syllogismus sophisticus.

Sint exempla utriusque :

Si Deus creat, existit. *Atqui Deus creat.* *Ergo Deus existit.*	*Modus ponens.* *Conclusio legitima.*
Si Deus creat, exislit. *Atqui Deus non creat.* *Ergo non exislit.*	*Modus tollens.* *Conclusio sophistica.*

In primo exemplo servatur regula : *posito conditionato ponitur conditio ;* in secundo vero exemplo peccatur contra regulam : *negada conditione, non necessario negatur conditionatum.*

In secunda figura, conditionatum ponitur in minore et conditio in conclusione ; et, siquidem negatur conditionatum in minore et conditio in conclusione, est modus *tollens* et legitima conclusio ; si vero affirmatur conditionatum in minori et conditio in conclusione, est modus *ponens* et sophistica conclusio.

Si aliquid est planta, vivit, *Atqui lapis non vivit,* *Ergo lapis non est planta.*	*Modus tollens,* *Conclusio legitima.*
.St aliquid est planta vivit, *Sed bos vivit,* *Ergo bos est planta.*	*Modus ponens,* *Conclusio sophistica.*

In primo exemplo servatur regula : *negato conditionaio, ne-*

ti) **Tract. II, q. II, art 3, n. IX.**

gatur conditio, in secundo vero exemplo peccatur contra regulam : *posito conditionato, non necessario ponitur conditio.*

— Ut paucis hæc omnia resumantur : In prima figura legitima, modus est ponens et conclusio affirmativa, vi regulæ : *affirmata conditione affirmatur conditionalum.* In secunda figura legitima, modus est tollens et conclusio negativa, vi regulæ : *negato conditionato, negatur conditio.*

— In prima figura sophistica, modus est tollens et conclusio negativa; in secunda autem figura sophistica, modus est ponens et conclusio affirmativa.

— Prima figura conditionalis reduci potest ad syllogismum categoricum primæ figuræ, minore immutata et majore conversa in propositionem absolutam universalem.

Omnis qui creat existit.
Atqui Deus creat.
Ergo Deus existit.

Secunda figura conditionalis reducitur ad *Camestres.*

a Omne quod est planta vivit.
e Nullus lapis vivit.
e Nullus lapis est planta.

V, — Syllogismus disjunctivus. Dicitur ille cujus major est propositio disjunctiva. Minor est affirmatio vel negatio unius vel plurium membrorum ; conclusio est negatio vel affirmatio membrorum quæ ex affirmatione vel negatione minoris supersunt.

Duplex in hoc syllogismo est modus : primus, quando unum membrum affirmatur in minori ut alterum negetur in conclusione, et sic dicitur modus *ponendo-tollerís.* V. gr. : *Anima humana aut est materialis aut est spiritualis. Atqui est spiritualis. Ergo non est materialis.*

Secundus, qui dicitur *tollendo-ponens,* cum unum membrum negatur in minori ut aliud affirmetur in conclusione. V. gr. : *Anima humana aut est materialis aut est spiritualis. Atqui non esi materialis. Ergo est spiritualis.*

Si membra sint duo tantum, ex affirmatione unius infertur negatio alterius et e converso. Si sint plora quam duo, nega-

tis omnibus præterunum, hoc affirmatur ; vel affirmatis omnibus pruder unum, hoc negatur.

Sì vero, uno negalo, de aliis non constet, tunc ista sunt in conclusione sub disjunctione affirmanda. — *Peti us est vel in Europa, vel in Asia, vel in Africa, vel in America, vel in Oceania. Atqui non est in Oceania.* Ergo *vel in Europa,* vel in Λ$ια, etc. — Syllogismus disjunctivus confundendus non est cum dilemnate (1). In dilemmate quippe omnia membra assumuntur ad concludendum, in syllogismo vero disjunctivo, unum saltem membrum relinquitur.

Disjunctivus facile resolvitur in conditionalem : Si *anima est spiritualis, non est materialis. Atqui est spiritualis.* Ergo.

Tandem resolvitur in syllogismum absolutum : *omne quod si spirituale non est materiale.*

VI. — Syllogismus conjunctivus. Est ille cujus major est propositio conjunctiva, quæ negat duas partes simul esse posse veras. Duos habet etiam modos : vel in minori affirmatur unum ut negetur alterum in conclusione : *Nemo amat simul peccatum et Deum. Atqui Judas amat peccatum. Ergo non amat Deum.* Hic est modus *ponendo-tollens* qui semper legi* timus est : nam, cum duo contraria non possint esse simul vera, affirmato uno ut vero, negatur aliud ut falsum. Secundus modus *tollendo-ponens,* cum negatur unum in minori ut ponatur aliud in conclusione. Hic modus per se non valet, quia duo contraria possunt esse simul falsa; unde, negato uno ut falso, non ponitur necessario aliud ut verum. *Nemo simul amat et odio habet.* Atqui *Petrus odio non habet Paulum. Ergo illum amat.* — Illegitima conclusio, potest enim contingere ut quis nec odio habeat nec amet aliquem. Per accidens tamen et ratione materiae potest esse legitimus, si non datur medium. *Nemo est simul in statu gratiæ et in statu peccati. Atqui Petrus non est in statu peccati. Ergo est in statu gratiæ.*

Syllogismus conjunctivus resolvi potest in conditionalem. *Si quis est in statu gratiæ non est in statu peccati. Atqui Petrus*

(1) Quæ confusio apud oratores præsertim invaluit. « Enfermer quelqu'un dans un dilemme » sœpius audit : aliquem syllogismo disjunctivo includere.

esi in statu gratiæ. Ergo non est in statu Beccati. Resolvitur etiam in absolutum. *Omnis qui èst in statu gratiæ non est in statu peccati. Atqui Petrus... Ergo.*

VII. — De syllogismo modali. Syllogismus modalis est ille in quo vel utraque præmîssa est modalis, vel una est modalis, altera de *inesse.* Præcipui syllogismi modales sunt syllogismi de *necessai io,* ad quos reduci possunt syllogismi de *impossibili,* et syllogismi de *contingenti* **ad** quos reducuntur syllogismi de *possibili.*

Si utraque præmîssa est de necessario, conclusio erit necessaria. Si utraque præmîssa est de contingenti, conclusio erit contingens in prima et tertia figura, non autem in secunda. Huius exceptionis ratio exemplo patebit. *Contingit nullum hominem esse album. Contingit omne risibile esse album. Ergo contingit omne risibile esse hominem.* Falsa conclusio.

Vili. — Crux Logicorum. Si vero una præmîssa sit modalis, altera de *in esse,* vel si miscentur propositiones de necessario et propositiones de contingenti, quæ erit conclusio?

Regulæ adeo sunt intricatae ut hic locus appellatus sit.eruar *Logicorum.* Ab illis evolvendis abstinemus ; quædam tamen dicemus de prima figura, quæ est omnium perfectissima et ad quas cæteræ reducuntur.

In prima figura si major est de necessario et minor de inesse, conclusio erit de necessario. V. gr. : *Necesse est omnem hominem esse animal. Sed omne risibile est homo. Ergo necesse est omne risibile esse animal.*

Si major est de inesse et minor necessaria, conclusio non erit necessaria. Si autem major est de contingenti et minor de inesse, conclusio est de contingenti ; si demum major est de inesse et minor de contingente, non semper sequitur conclusio de contingenti. *Omne sanum est animal. Contingit omnem equum esse sanum.* Non sequitur : *Ergo contingit omnem equum esse animal.*

In prima figura, quantum ad modos affirmativos, si major est de contingenti et minor de necessario, sequitur conclusio contingens. *Contingit omne animal esse album. Ne-*

cesse est omnem hominem esse animal. Contingit omnem ho·minem esse album. Si major est de necessario et minor de contingenti, nullus fiet syllogismus. In modis autem negativis. Bi propositio affirmativa est de necessario et negativa de contingenti, sequitur conclusio de contingenti. *Contingit nullum hominem esse album. Necesse est omne risibile esse hominem. Contingit nullum risibile esse album.* Si negativa sit de necessario, affirmativa de contingenti, sequuntur duæ conclusiones, scilicet aliquando de contingenti, aliquando de inesse.

IX. — Syllogismus exposltorius. Est ille qui habet pro medio terminum singularem. *Petrus est Papa. Sed Petrus est filius Jonæ. Ergo filius Jonæ est Papa.* Dicitur exposilorius juxta D. Thomam, quia est quædam sensibilis resolutio quæ quasi rem sensibus exponit.

Syllogismi expositorii convenientius fiunt in tertia figura. In hac enim medium in utraque præmissa subjicitur. Porro terminus singularis convenientius subjicitur quam prædicatur : convenientius quippe est dicere: *Petrus est Papa,* quam: *Papa est Petrus.* Potest fieri etiam in aliis figuris. Nititur etiam principio : *dictum de omni, dictum de nullo.* Quidquid nempe affirmatur vel negatur de aliquo singulari affirmatur vel negatur de omni quod est ipsum.

X. — Syllogismus ex obliquis. Est ille cujus extrema vel medium prædicantur in obliquo (1). *Omnis entis est scientia. Accidens est ens. Ergo accidentis est scientia.* Sequentes sunt regulæ. *Prima.* Si extremum est obliquum in præmissis, remanet obliquum in conclusione. *Omnis baptizatus esi Christi. Petrus est baptizatus. Ergo Petrus est Christi.*

Secunda. Si præmissa negativa est de obliquo et affirmativa de recto, conclusio est de obliquo. *Nulli insensibili est dolor. Planta est insensibilis. Ergo plantæ non est dolor.*

Tertia. Si medium est in obliquo in altera præmissarum, extremum quod cum illo copulatur ponitur in recto in conclusione, alterum vero extremum ponitur in obliquo in con-

ti) Tract. II, q. I. art. 1, n° II.

elusions, licet fuerit rectum in praemissa. Exemplum jam attulimus : *Omnis entis est scientia. Accidens est ens. Ergo accidentis est scientia. Accidens* erat rectum in præmissa, et est obliquum in conclusione.

Quarta. Si medium est obliquum in utraque præmissa, utrumque extremum erit rectum in conclusione sicut in praemissis. *Non est pax impiis. Divitiae sunt impiis. Ergo diviliæ non sunt pax.*

XI. — Utilitas omnium hucusque expositorum. Singula quæ in Logica Formali circa conceptus, propositiones, syllogismos exponuntur, utilitatem suam præ se ferunt. Ordinantur enim ad singulos erroris sinus detegendos, ad omnes pos sibiles vias quibus ad veritatem pervenitur manifestandas, ad analysim mentis humanæ perfecte instituendam, ad rationem nostram excolendam et roborandam. Logica disciplina et syllogistica arte formatur juvenum intellectus. « On leur fait remarquer, ait Rollin (1), comment quelquefois l'omission d'un mot, le changement d'un terme, un double sens,une équivoque rend un raisonnement vicieux. On leur demande à se tenir fermes sur leur principe, à y ramener tout, à ne s'en point laisser écarter, et à y trouver la solution des difficultés qu'on leur oppose. Par cot exercice journalier et cette application continuelle des règles, leur esprit s'ouvre et se forme peu à peu, se développe de plus en plus chaque jour, s'accoutume à sentir le faux, acquiert une facilité de s'exprimer et devient capable d'entrer dans les questions les plus difficiles et les plus abstruses. »

EXPLICIT LOGICA MINO

(1) *Traité des Etudes,* **liv. V, art. 2.**

LOGICA MAJOB, SEU CBITICA

ORDO TRACTATIONIS

Dum Logica Minor in *exponendo* præcipue consistit, Logica Major in *inquirendo et solvendo* maxime versatur ; unde aggreditur difficiliora problemata quibus enodandis adeo insùdavit humana ratio. Illa vero problemata reduci omnia possunt ad aliquam ex tribus mentis operationibus. Quapropter dividi potest Logica Major, æque ac Minor, in triplicem tractatum juxta triplicem mentis operationem.

In primo tractatu expenduntur ea quæ spectant simplicem apprehensionem, unde consideratio de universalium natura et existentia ; in secundo, quæstiones quæ spectant judicium, igitur de veritatis et certitudinis natura, existentia, fundamentis, seu criteriis ; in tertio demum quæstiones quæ spectent argumentationem, hinc de syllogismo demonstrativo, probabili, sophistico ; de inductione, de scientia, de methodo in scientiis adhibenda.

TRACTATUS PRIMUS

DE PROBLEMATIBUS QUÆ SPECTANT PRIMAM MENTIS OPERATIONEM

Simplex apprehensio est cognoscitiva quidditatum universalium, quæ sunt objectum intellectus humani. De Universalibus vero in Logica Minori ea expendimus quæ sunt magis necessaria et frequentioris usus.

Quædam remanent nunc enucleanda de natura et existentia universalium.

QUÆSTIO UNICA

De Universalibus·

ARTICULUS PRIMUS

DENATURA UNIVERSALIUM

l. — Multiplex acceptio universalis. Universale opponitur ¡singolari, quod est incommunicabile pluribus ; universale igitur dici potest id omne quod habet respectum ad plura. Triplicem autem respectum aliquid potest habere ad plura, ut signum, ut causa, ut essentia pluribus communis. Hinc triplex universale : *in significando, in causando^ in essendo.*

Universale in *significando* est aliquod signum quod potest pluribus universaliter applicari, sicut nomen commune plura significans. Huc refertur universale *in repræsentando,* seu unum in quo multa quasi in una imagine exprimuntur; sic idea artificis plura ædificia exhibens, essentia divina, quæ omira exprimit, sunt universalia in repræsentando. Universale *in causando* est unum quod virtute sua potest attingere plures effectus, vel quoad rationes universales, vel etiam quoad individuales rationes et differentias. Universale *in essendo* est unum aptum inesse pluribus, sicut *animal* invenitur in omnibus animalibus. At eo ipso quod aliquid sit in pluribus, potest de pluribus affirmari vel prædicari ; sub quo respectu dicitur universale in *predicando.* De universali in essendo et praedicando hic agitur.

II. — Duo sunt de conceptu universalis in essendo. Cum universale hoc modo acceptum sit *unum in multis,* duo in ejus conceptu includuntur : I° unitas in se, 2° aptitudo essendi in multis. Requiritur unitas non in nomine solum, sed etiam in ratione significata. Quare æquivoca et analoga dici non possunt universalia in essendo : æquivoca enim habent solum unitatem nominis ; in analogis vero, licet ratio significata non sit simpliciter diversa, quia tamen non est simpliciter eadem, deest unitas proprie dicta, et idcirco analoga inter universalia computari nequaquam possunt. Requiritur secundo aptitudo essendi in multis per identitatem cum illis, ita nempe ut universale per suam communicationen ad inferiora fiat idem cum ipsis. Oportet ergo ut tota et integra ratio nomine universalis significata ita sit in singulis, ut singula sub universali contenta multiplicent naturam et tamen unumquodque habeat totam naturam. Sic *bos, equust mulus* ita naturam animalis multiplicant ut unumquodque sit vere animal et sint plura animalia realiter distincta.

III. — Triplex status naturæ. Recolenda est iterum differentia inter universale logicum et universale metaphysicum. Universale logicum designat intentionem, seu formam qua aliquid denominatur universale; est ipsa communicabilitas ad plura, ipsa ratio essendi in pluribus, ipsa universalitas formaliter sumpta. Universale autem metaphysicum est ipsa natura. Jam vero triplex status in natura considerari potest. Primus est status naturæ secundum se, quoad prædicata essentialia considerate ; ut si attendatur in homine animal rationale ; secundus est status naturæ secundum esse quod habet in singularibus, seu status singularitatis. Tertius est status naturæ secundum esse immateriale quod habet in abstractione intellectus, prout nempe consideratur abstracta ab omnibus singularibus et ab omnibus conditionibus individuantibus.

Porro natura, prout est in singularibus, eo ipso quod subjiciatur principiis individuantibus, dici nequit universalis proprie loquendo, sed solum fundamentaliter, potentialiter et remote. Natura vero secundum se, seu quoad rem concep-

tam, proprie loquendo non est universalis neque singularis. Quod enim convenit naturae secundum se convenit universaliter et semper. Ergo si natura secundum se esset universalis, nunquam concipi posset singularis, cum tamen inveniatur singularis in Petro ; si secundum se esset singularis, nunquam concipi posset universalis. Tnsuper, quæ conveniunt naturæ secundum se sunt predicata essentialia. Sed esse singulare vel universale, non est prædicatum essentiale quod ponatur in definitione nature ; sic in definitione hominis ponitur solum animal rationale, non vero quod sit species vel individuum. Ergo natura secundum se non est singularis, neque universalis, sed est capax utriusque ; fieri potest singularis per receptionem in individuis, universalis vero per operationem intellectus. Dici ergo potest universalis *fundamentaliter* et *potentialiter proxime.*

In tertio statu, natura eo ipso quod abstrahatur ab individuis et conditionibus individuantibus,. desinit esse singularis et fit universalis præcisive.

Licet ergo triplex distingui possit universale metaphysicum, universale nempe metaphysicum prout est *in singularibus,* universale metaphysicum *quoad rem conceptam,* seu natura secundum se, et universale metaphysicum *in sensu præcisivo,* proprie tamen et simpliciter loquendo, universale quoad modum concipiendi, seu in sensu præcisivo, dicitur universale metaphysicum. Hinc plures auctores definiunt universale metaphysicum : *Unum abstractum a multis·*

IV. — **Comparatur universale metaphysicum in sensu præcisivo cum universali logico.** Universale precisivum et universale logicum aliquid commune habent nempe quod actu non existant nisi in mente, sed aliunde maxime inter se differunt. Metaphysicum respicit naturam ut denudatam a singularibus, non considerando ordinem universalis ad inferiora ; logicum e contra ordinem universalis ad inferiora proprie attendit; metaphysicum est unum abstractum a multis; logicum est unum relatum ad multa.

V. — Ad efformandun universale metaphysicum sufficit abstractio ; ad efformandum vero universale logicam requiritur insuper comparatio.

Abstractio est actio qua intellectus separat naturam a suis individuis. Sed natura separata a suis individuis est universale metaphysicum, ut constat ex prænotatis. Ergo ad efformandum universale metaphysicum sufficit abstractio. Confirmatur. Universale duo importat : unitatem in se, et aptitudinem essendi in mullis. Atqui per abstractionem habentur hæc duo. Ergo. Prob. min. I0 Per abstractionem natura reddilur una unitate praecisionis, 2° natura sic considerata habet convenientiam cum illis a quibus fuit abstracta; licet enim actu non ordinetur ad illa, tamen, quia fit extracta ab illis, non potest habere repugnantiam ad essendum in illis multis, et consequenter dicit aptiludinem radicalcm essendi in pluribus. Ergo per abstractionem habentur elementa constitutiva universalis metaphysici. Universale autem logicum requirit actum comparativum quo cognoscitur natura cum ordine et respectu ad inferiora.

Probatur. Universale logicum est relatio essendi m mullis et prædicandi de multis. Atqui relatio naturæ ad multa requirit actum quo comparatur natura cum ordine et respectu ad plura. Ergo. Declaratur major, scilicet, universale logi* cum consistere in relatione. Universale metaphysicum importat quidem aptitudinem, seu non repugnantiam essendi in multis, at respicit illa multa non ut terminum ad quem tendit, sed ut terminum a quo separatur; econtra universale logicum -respicit multa inferiora ut terminum ad quem tendit ; siquidem dicit naturam reduplicative ut communicabilem inferioribus. Porro id quod constituit relationem non est terminus a quo, sed est terminus ad quem. Ergo universale metaphysicum, quod respicit inferiora ut terminum a quo separatur, non accipitur relative, sed præcisive ; at vero universale logicum, quod respicit inferiora ut terminum ad quem, accipiendum est relative, seu debet esse aliqua relatio naturæ ad sua inferiora. Hinc est quod universale logicum vocetur etiam universale relativum.

Minor constat. Ut enim cognoscatur hæc relatio et hic respectus, requiritur actus comparativus referens naturam ad inferiora. Illa autem comparatio non est judicium,-sed simplex apprehensio qua natura cognoscitur cum suo ordine ad individua.

Universale logicum supponit igitur abstractionem et ei addit novum actum comparationis. Quapropter universale metaphysicum est fundamentum proximum universalis logici; universale autem ut est in singularibus est fundamentum remotum.

Hic est igitur processus mentis : intellectus per abstractionem spoliat naturam a conditionibus individuantibus, et ita habetur universale metaphysicum, seu directum, cum sit directum mentis objectum; deinde abstraction! additur actus comparativus, quo habito, constituitur universale logicum, seu indirectum, reflexum, relativum. Universale metaphysicum potest *concrete* vel *abstracte* sumi : concrete, si exprimitur forma cum subjecto : *homo* ; abstracte, si exprimitur forma absque subjecto, *humanitas.* Universale logicum sumitur semper *relative.*

VI. — Quæ sit autem ista relatio quæ constituit universale logicum. Jam compertum est universale logicum consistere in relatione, seu respectu, ad inferiora. Triplex autem concipitur respectus ad inferiora : 1° relatio aptitudinisad essendum in inferioribus; 2° relatio aptitudinis ad praedicandum de illis, seu prædicabilitas ; 3° relatio praedicationis actualis, qua fit ut universale non solum sit praedicabile, sed etiam praedicatum. Et secundum tres istos respectus tres reperiuntur sententiae.

Porro veriorem sententiam existimamus quæ tenet universale logicum consistere in secunda relatione, nempe in aptitudine ad praedicandum de inferioribus, seu in praedicabililate.

Primo quidem, aptiludo ad essendum in multis est potius conditio fundamentalis ad rationem universalis prerequisite, sed non est proprie relatio constituens formaliter rem universalem, quia non dicit rem ut positive comparatam cum inferioribus.

Aliunde praedicatio actualis non est de essentia universalis. Nam praedicari actu de singularibus est includi actu in illis. Sed universale secundum se non includitur actu in singularibus.

Restat ergo ut universale logicum sit prædicabilitas, seu

aptitudo ad prœdicandum de multis, ut respiciens positive inferiora.

Hinc est quod universale dicatur prædicabile et definiatur : *Unum aptum prædicari de pluribus univoce.*

VII. — Quid sit prædicari. In definitione igitur universalis ponitur aptitude ad prædicandum de pluribus. Quid ergo ad praedicationem requiritur? Praedicatio est attributio unius ad alterum, affirmando vel negando. Praedicatio itaque est quaedam relatio, siquidem est conjunctio plurium ad invicem. Fundamentum hujus relationis est convenientia extremorum, si praedicatio sit affirmativa ; vel disconvenientia, si praedicatio sit negativa.

Hæc autem convenientia attenditur non solum ex parte rei significatae, sed etiam ex parte modi significandi. Quocirca tria notanda sunt. Primum : concretum bene prædicatur de concreto tam in substantiis quam in accidentibus : *Homo est animala homo est coloratus.* Quando enim utrumque est concretum, utrumque significatur ut totum, et ita identifican possunt per praedicationem : hinc valet hæc prædicatio : *Petrus est homo.*

Secundum : vi modi significandi abstracta non praedicantur de concretis/ nec concreta de abstractis. Hatio est quia abstractum se habet ad concretum sicut pars. Quare non potest fieri prædicatio inter utrumque ; hinc dici nequit : *Petrus est humanitas.*

Tertium : in accidentibus praedicata superiora praedicantur de inferioribus in abstracto. Cum enim tota essentia accidentis sit forma, accidentia in abstracto dicunt totam essentiam et totam rationem quæ in accidentibus reperitur, et ita praedicari possunt per modum totius ; hinc valet prædicatio : *Albedo est qualitas; scientia est cognitio ; virtus est habitus...*

VIII. — Quid requiritur ut aliquid ait prædicabile do multis.

Ut aliquid sit prædicabile de multis non requiritur ut habeat multa individua actu existentia ; imo nec requiritur ut habeat multa individua possibilia. Sufficit ut juxta nostrum modum intelligendi concipiatur ut pluribus commune et exprimatur

termino communi. Quapropter in Logica Minori (1) diximus naturam-angelicam, quamvis habere non possit plura individua, esse universalem et praedicabilem de pluribus, quia, quantum est de se concipitur ut pluribus communicabitis.

IX. — Universalium proprietates. Universalia sunt *perpetita, immutabilia, ætemæ veritatis, priora singularibus, prædicabilia. De prædicabilitate* modo actum est.

Ad *perpetuitatem* quod attinet, animadvertatur universalia nullatenus esse æterna quoad existentiam, ut mox probabimus contra Platonem. Quoad essentiam vero sunt perpetua *negative,* at non *positive.* Perpetuum positive dicitur quod exigit realem entitatem et durationem aeternam vi cujus vere et positive ambit omne tempus, praeteritum, præsens et futurum, et est mensura omnis alterius durationis ; perpetuum autem negative, quod non exigit realem durationem, sed abstrahit a determinato tempore. Atqui essentiae universalium, quamvis non exigant realem durationem ab æterno, abstrahunt ab omni determinato tempore. Ergo universalia quoad essentiam sunt perpetua negative, non autem positive. Eadem ratione dicuntur esse *ubique,* negative, quatenus abstrahunt a determinato loco.

Sunt *immutabilia,* duplici sensu : I0 quia non potest ab ipsis demi aliquod prædicatum quidditativum nisi pereat essentia ; 2° quia sunt ingenerabilia et incorruptibilia secundum se; causae enim generationis et corruptionis sunt dispositiones materiales, quæ non conveniunt universali secundum se, sed solum individuis.

Sunt *ætemæ veritatis,* quatenus in propositionibus quæ de universalibus efformantur connexio inter subjectum et prædicatum, v.g.: *animal est sensibile,* abstrahit ab omni tempore. Non tamen sunt ætemæ veritatis *positive,* quia, cum subjectum et prædicatum non existant realiter ab æterno, connexio inter utrumque non potest esse positive æterna.

Hinc colligitur differentia inter propositiones de universalibus et propositiones de contingentibus. Propositiones contingentes, v.g. *Anlichristus nascetur,* sunt æternæ veritatis

(t) Tract. I, q. I, art. 4, n. <0.

per accidens, quatenus ab æterno Deus libere decrevit rem ita fore, non autem per se, quia necessaria non est connexio inter subjectum et prædicatum; propositiones autem de universalibus sunt æternæ veritatis etiam per se, nam independenter a lìbero Dei decreto, infallibilis et necessaria est connexio inter subjectum etprædicatum, *v.g.* inter *animal* et *sensibile.* Demum universalia sunt *priora singularibus,* non tamen sub omni respectu. Sunt priora dupliciter : 1° quia universale est exemplar cui conformatur singulare, et quod a singulari participatur, et idcirco est singulari prius, sicut exemplar prius est exemplato. 2° Quia intellectus prius attingit universale quam singulare : cognoscit enim universale directe, singulare autem indirecte et per quamdam reflexionem, ut explicabitur in Psychologie.

At sub alio duplici respectu universalia sunt posteriora singularibus : 1° quia universalia non existunt nisi in singularibus et ratione singularium, sicut homo existit ratione hujus hominis, quod inira ostendemus ; 2° quia universalia non abstrahuntur nisi ex 'singularibus. Licet enim objectum intellectus directum et proprium sit universale, præsupponuntur tamen singularia tamquam materia ex qua intellectus agens universale colligit et abstrahit.

ARTICULUS SECUNDUS

SYSTEMATA QUÆ OMNEM REALITATEM DENEGANT UNIVERSALIBUS

I. — Referuntur sententias. Tradita notione universalium, movetur insignis quæstio utrum universalia habeant valorem aliquem objectivum, id est utrum vocibus et conceptibus universalium aliqua respondeat entilas, seu natura. Quatuor hac de re extiterunt systemata : *Nominalismus, Conceptualiemus, Realismus absolutus* et *Realismus temperatus,* Nonnnalismus tenet universalia existere tantum in nominibus, seu esse meros vocis flatus ; Conceptualismus vult existere solum in mente, seu esse meros conceptus ; Realismus absolutus contendit universalia existere formaliter in rebus ; Realismus demum temperatus docet universale logicum et etiam universale metaphysicum quoad modum concipiendi existere solum in mente, universale autem metaphysicum quoad rem conceptam, seu universale significans naturam quoad praedicata essentialia, existere a parte rei, sed in singularibus tantum. Singula expendemus systemata.

II. — Nominalismus. Fuit antiquissima opinio Materialistaruni Heracliti, Democriti, qui nihil supra sensum admittentes, dixerunt nullam posse dari scientiam de sensibilibus, quia sunt in perpetuo fluxu ; imo Cratylus « in tantam devenit dementiam, ait Aristoteles (1), ut opinatus sit oportere nihil verbo dicere, eo quod veritas rei transibat priusquam finiretur oratio ». Hi omnes implicite admittebant universalia

(t) Cf. *MelaphysiG,* **lib. IV, text. 22.**

esse mera nomina. Quam opinionem novo apparatu instaurarunt Nominales sæculi XII, Roscelinus et alii, postea Guillelmus Okam. His adliærent plus minusve Hobbes, Hume, Sensistæ reccniiores, Condillac et casieri, Taine et Positivista.

III. — Conclusio : Falsus et absurdus est Nominalismus absolutus.

Arg, K,. Non datur verbum orale sine verbo mentali. Atqui datur verbum orale universalium. Ergo datur verbum mentale universalium, ideoque universalia existunt saltem in mente, ut verba seu conceptus mentis.

Major haud ægre intelligitur. Verbum orale dicitur quod aliquem sensum exhibet, ideoque exprimit aliquem conceptum. Quod si nullum conceptum refert, potest esse vox, sed non verbum. Liquet igitur verbo orali præsupponi aliquem conceptum, seu aliquod verbum mentale. Minor est manifesta. Nominales de universalibus disputando intendunt sane aliquid significare. Ergo agnoscunt dari nomen orale universalium. Ex quo sic arguimus :

In nominibus universalium agnoscitis aliquam significationem. At nisi universalia sint saltem conceptus mentales, nihil omnino significant. Ergo si universalia sunt mera nomina, absurdum inducitis.

Probatur minor : Si nomina universalium non exhibent rem universalem, restat ut significent vel aliquod singulare vel singularium collectionem. Atqui non significant aliquod singulare, siquidem applicantur pluribus ; non significant singularium collectionem. Etenim nomina universalium singulis individuis applicantur. Sed nomina collectiva non possunt singulis applicari, non enim quilibet miles dicitur exercitus. Cæterum, si nomina universalium designant collectionem individuorum, cum dicitur : *Petrus est homo,* sensus erit : *Petrus est collectio hominum,* quod absonum est. Ergo, si nomina universalium non significant aliquam rem universalem, seu aliquem conceptum mentalem, nihil omnino menti exhibent (1).

(i) « Le nominalisme absolu se contredit lui-même en admettant des signes qui ne signifient rien. » Janet, *Traité de Philos.,* **n. 160.**

Tnsuper, nominales de universalibus disputant non solum voce, non solum imaginatione, sed praesertim mente. Sed mens disputare nequit de his quæ penitus ipsam latent. Ergo ipso actu quo existenliam universalium inficiantur ponunt universalia a mente cognosci. Quidquid autem a mente cognoscitur, in mente exislit. Ergo negando universalia esse in mente, eo ipso ponunt universalia in mente existere, quod est contradictio in actu exercito.

Arg. 11um Cum universalia sint objecta scientiæ, si sunt mera nomina, tota nostra scientia intra pura sensibilia vocabula inanesque vocis flatus concluditur. Sed non potest dari vera et firma scientia de sensibilibus, quæ in perpetuo sunt fluxu. Ergo nominalismus omnem veram scientiam pessumdat (1).

XV. — Conosptualismus. Nominalismus absolutus paulatim cum Roscelino evanuit, et ei successit nominalismus temperatus quem *Conceplualismum* vocarunt. Concedit iste universalia non esse mera nomina, sed veros mentis conceptus ; at aliunde contendit nihil aliud esse quam figmenta seu subjectivas intellectus formas quibus nulla propria realitas respondet. Hæc opinio Abailardo communiter attribuitur, at forte absque fundamento, non enim clare constat de vera Abailardi sententia (2). Huic adslipulati sunt Buridanus, Petrus Alliacensis, Gabriel Biel, Gregorius Ariminensis, cæterique Nominales moderatiores. Generatim Conceptualismo adhærent illi Philosophi qui admittunt ideas innatas, sicut Cartesius ejusque discipuli omnesque idealistæ ; Kantius qui duodecim formas universales ponit esse in intellectu a priori (3).

V. — Gonolusio : Etiam Nominalismus temperatus,seu Conoeptualismus, est omnino rejiciendus.

(1) « **Le nominalisme absolu est incompréhensible. S'il était vrai, nos idées ne seraient que des mots. Le nominalisme ainsi entendu ne serait qu'un** *psittacisme* **(expression de Leibnitz pour exprimer la parole vide, semblable à celle du perroquet), et réduirait l'esprit & un rôle purement automatique.** » **P.** Janett *Traité de Philosophie,* **n. 160.**

(2) **Consuli possunt Gard.** Gonzalez, *Hist, de la Philosophic ;* Cousin, CEuures *inédites d'Abélard, introduci.*

(3) **Cf.** *Met. Psych.* **Tract. I, q. Il, a. 2.**

Conceptualises ultro concedimus universale formale aut in sensu præcisivo non existere actu a parte rei ; at negamus alterum assertum, scilicet universalia non existere in rebus fundamentaliter et quoad rem conceptam.

Arg. Ium. Universalia sunt veri conceptus exprimentes unum aptum inesse pluribus. Atqui falsi et absurdi erunt isti conceptus, nisi illis respondeat tanquam fundamentum aliqua entitas, seu natura a parte rei. Ergo universalia non sunt solum figmenta intellectus, sed illis respondet ut fundamentum aliqua entitas a parte rei. Prob. min. Sicut nomina sunt signa conceptuum, ita conceptus sunt signa rerum. Porro nihil est in signo nisi sit aliquatenus in re significata. Ergo, sicut nomina non sunt vera nomina nisi illis respondeat aliquis conceptus, ita conceptus non sunt veri conceptus nisi illis respondeat aliqua res, seu aliquid a parte rei.

Arg. II Quod aliqua ratione convenit individuis independenter a mentis conceptu non est purus conceptus. Atqui universale aliqua ratione convenit individuis, independenter a mentis conceptu. Ergo non est purus conceptus. Prob. min. In hac praedicatione : *Socrates est homo, Plato est homo, homo* convenit individuis *Socrati* et *Platoni* independenter a meo conceptu. Sed *homo* est universale. Ergo'universale convenit individuis independenter a mente. Declaratur ultima min. : *Homo* in hac praedicatione non est nomen singulare, ut patet ; non est nomen collectivum, quia tunc sensus esset : *Socrates est collectio hominum ;* sed designat naturam definitione expressam. Porro natura definitione expressa est universale metaphysicum quoad rem conceptam. Ergo.

Arg. 1II"ıŋ· Universalia, ut sæpe dictum est, sunt objecta scientiæ. Atqui scientia non est do puris conceptibus, sed proprie de rebus ; nam sciens non proprie appetit cognoscere quæ sint formae subjectivae nostri intellectus, sed quæ sit intrinseca ratio rerum. Ergo universalia non debent esse puri conceptus, sed realia in natura habere fundamenta.

VI. — Solvuntur difficultates.

I0 Universale est collectio individuorum, sicut species humana designat collectionem hominum. Sed huic collectioni non

respondent a parte rei nisi individua. Ergo universale est conceptus cui nihil respondet a parte rei, nisi individua.

Omissis cæteris, respondeo negando majorem. Nominalist® et Conceptualist® nomina et conceptus universalium confundunt cum nominibus et conceptibus collectivis, quæ confusio cavenda est quam maxime. Quantum vero a collectivis differant distributivi conceptus plus semel ostendimus, et evidentissime liquet. Cum enim dicimus : *Petrus est homo, Paulus est homo,* nullatenus illo vocabulo significamus hominum collectionem, sed naturam ipsam humanam. Porro hæc natura existit realiler in Petro et Paulo, et cæteris hominibus, nec solum in mente.

2° Omnis natura quæ existit realiter est singularis et individua. Sed, si omnis naiura quæ existit realiler est singularis, jam liquet universale non nisi in mente existere. Ergo.

Resp. Dist. maj. Omnis natura quæ realiter existit est singularis secundum se et essentialiter, nego ; per accidens et ratione adjuncti, concedo. Contradist. min. : Si omnis natura quæ realiter existit est singularis essentialiter et secundum se, universale non existit nisi in intellectu, concedo ; si natura est singularis ratione adjuncti solum, universalia sunt solum in intellectu, nego.

Explico. Nulla natura existit nisi recipiatur in aliquo subjecto individuo et singulari. At, quamvis subsistat in singulari, non inde sequitur ipsam esse singularem secundum se. Natura enim quatenus est de se dicit solum prædicata essentialia, esse autem singulare est prædicatum accidentale. Quare, si natura existit in statu singularitatis, id fit ratione adjuncti, seu ratione subjecti in quo recipitur ; at secundum seipsam singularitate non contrahitur. Age vero. Si natura secundum se et essentialiter esset singularis, universalia forent solum in intellectu, ut liquet ; at, si natura secundum se a statu singularitatis abstrahit, præbere potest universalitatis fundamentum ; et hac ratione dicimus universalia existere fundamentaliter in rebus.

3° Universale dicit communicabilitatem ad plura, vel abstractionem a pluribus. Atqui status communicabilitatis vel

abstractionis non est in rebus, sed in intellectu. Ergo universalia non sunt in rebus, sed in intellectu.

3lesp... Dieting. maj. : Universale *logicum* dicit communicabilitatem, et universale metaphysicum *quoad modum concipiendi* dicit abstractionem a mullis, concedo : universale metaphysicum *quoad rem conceptam* dicit conimunicabilitatem vel abstractionem, nego. Concedo minorem et distinguo conclusionem : Ergo universale *logicum* et metaphysicum *quoad modum concipiendi* non sunt nisi in intellectu, concedo ; universale *quoad rem conceptam* non est nisi in intellectu, nego.

Responsio patet ex dictis de notione universalium. Tria possunt in universalibus considerari : I0 natura rei secundum se ; 2° abstractio hujus naturæ ab individuis ; 3° universalitas, seucommunicabilitas ad plura. Abstractio et intentio universalitatis opus sunt intellectus, at natura cui accidit abstractio vel intentio universalitatis, existit a parlerei. Quæ quidem natura est universale quoad rem conceptam.

4° Instabis. Atqui natura secundum se non est universalis. Ergo concedi nequit aliquod universale existere a parte rei.

Resp. Natura secundum se non est universalis proprie, actu, formaliter, concedo; non praebet fundamentum universalitatis, nego. Natura secundum se exhibet praedicata essentialia, quæ sunt uniformia et similia in omnibus individuis ejusdem speciei; ex quo habetur fundamentum ut intellectus concipiat aliquid omnibus individuis commune, et universalitatis intentionem ipsi naturæ attribuat.

Distinguo consequens : Universalia non existunt proprie, actu, formaliter, concedo; non existunt fundamentaliter extra intellectum, nego.

Quo plenius intelligatur responsio, expendendum est systema Realistarum.

ARTICULUS TERTIUS

DE FALSO REALISMO

I. — Diverses formæ realismi. Qui tenuerunt universalia actu existere in rerum natura in diversas abierunt sententias. Plato (1), cum negaret posse dari veram scientiam de singularibus, quæ sunt in perpetuo fluxu, et tamen vellet errorem vitare sensistarum, finxit dari quasdam naturas universales a singularibus separatas, quas ideas nominavit, et de quibus est scientia. Universalia igitur sunt aliquæ formæ separata a singularibus, in se et per se subsistentes, quarum participatione constituuntur singularia. Nonnulli tenent Platonem per suas formas subsistentes intellexisse ideas divinas ; ex quo Ontologistæ occasionem sumpserunt concipiendi universalia ceu ideas divinas quæ a mente nostra intuitive videntur. Igitur universalia essent maximæ realitotes, non quidem in rebus, sed in mente divina existentes.

Alii, concedentes non posse existere universalia separata ab individuis, asserunt in ipsis individuis reperivi universalia, formaliter, actu ante montis conceptum. Hæc opinio defensorem habuit Gilbertum Porretanum (2) ; tribuitur etiam Guillelmo Campellensi, licet forte is auctor potius in modo loquendi quam in ipsa re excesserit.

Scotus affinem huic propugnat opinionem, dicens naturam extra intellectum et in singularibus habere quamdam communitatem negativam ratione cujus dici potest universalis ante mentis considerationem.

(1) **Cf.** Henri Martin, *Études trur le Timée ;* Cousin, **t. II, lee. 7 et 8.**

(2) **De Gilberto Porretano consuli potest** Abbé Bertaud, *Gilbert de la Ferrée,* **Lib. Oudin.**

Realismum tandem plores ad ipsum pantheismum usque deduxerunt, sicut David de Dinando in medio ævo, et nostris diebus Critici transcendentales, de quibus I. P. Phil. Nat. disseritur.

II. — Prima conclusio i Realismus platónicas omnino repugnat. Arg. 1°“ Universale platouicum simul esset **in** singularibus et extra singularia.Id autem est manifesta contradictio. Ergo fictilium et impossibile est universale platouicum. Esset extra singularia, ut supponitur a Platone, et tamen esset intra singularia, quodsic ostenditur : Constitutivum rei esi intra rem. Sed universalia sunt constitutiva singularium ; *humanitas* enim est constitutivum essentiale *Socratis,* cum Socrates dicatur et sit essentialiter homo. Ergo debent esse intra singularia.

Arg. 11"“ Ideo admittit Plato ideas separatas, ut salvet perpetuitatem scientia. Atqui admisso universali platonico, destruitur vera scientiæ. Ergo contradictoria Plato inducit. Proh. min. Vera scientia perficitur per cognitionem propri® substantiæ, non vero per cognitionem substantiæ separatee et extrinsecæ. Sed universale platonicum supponitur substantia separata et extrínseca rebus quæ nos circumstant. Ergo non posset haberi vera scientia de rebus quæ nos circumstant. Sed deficiente scientia de rebus quæ nos circumstant, evanescit omnis alia scientia, quia non possumus spiritualia et immaterialia cognoscere, nisi per materialia et sensibilia manuducamur. Ergo admissa Platonis opinione destruitur omnis vera sciontia.

Arg. IIIum-Si Plato est sibi consentiens, debet admittere non solum species subsistentes, sed etiam genera et accidentia subsistentia, cum de generibus et de accidentibus v. g. de virtute, sapientia, detur scientia. Atqui absonum est concipere accidentia per se subsistentia, absurdum est concipere genus subsistens et separatum, v. g. aliquod animal in genere quod nec rationale nec irrationale esset et tamen existeret reali ter, Ergo absurdum et impossibile est universale platonicum.

III. — Secunda conclusio. Realismus ontologisticus aut

punctum difficultatis non attingit, aut incidit inpantheismum. Probatur. Dicendo : Universalia sunt ideæ divinæ, Ontologistæ vel loquuntur de universali in repraesentando et causando, vel de universali in essendo. Si primum, verum quidem dicunt, nam ideæ divinæ repræsentant omnia, et insuper sunt exemplaria et causæ rerum ; sed hoc est quaestionem eludere, cum hic agatur de universalibus in essendo.

Si vero secundum eligunt, pantheismum inducunt. Universalia enim in essendo constituunt intrinsece essentiam singularium. Ergo si ideæ divinæ sunt universalia in essendo, constituunt intrinsece singularium naturam. Sedideæ divinæ sunt ipsum esse divinum. Ergo esse divinum intrinsece constituit essentiam singularium. Porro quod constituit essentiam alicujus, prædicatur essentialiter de ipso. Ergo esse divinum poterit prædicari essentialiter de singularibus, et verum erit dicere : *singularia sunt essentialiter esse divinum,* quod est purus*putusque pantheismus.

IV. — Objicies. Univereale est necessarium, immutabile, œternum. Atqui ens hujusmodi non est nisi Deus. Ergo universalia non sunt nisi in Deo. Ita Joannes Sans-Fiel (1).

Resp. Dieting. Universale est necessarium etc., quoad existentiam. nego; quoad essentiam, subdist: necessitate et immutabilitate participata, et æternitate negativa, concedo ; immutabilitate et necessitate imparlicipata et æternitate positiva, nego. Gontradist. min. et nego conclus. Solutio constat ex dictis art. 1, de universalium proprietatibus.

Universalia, seu rerum essentiæ, sunt necessaria et immutabilia hoc sensu quod non possit demi aliquod prædicatum essentiale, nisi Lollalur essentia ; perit natura hominis si demitur animalitas vel rationalitas ; sed hæc est necessitas' *secundum quid.* Dicuntur æterna quia abstrahunt ab hoc vel illo tempore. Non autem sunt æterna positive, siquidem existentia eis contingenter et accidentalitertantum convenit. Manifestum est igitur essentias hujusmodi non esse Deum, qui est ens necessarium absolute, et æternum positive.

(1) **Cf, etiam** Gbhdil, *Défense du sentiment du P. Malebranche,* **lee. 6.**

V. — Tertia conclusio : Natura non est actu universalis ante operationem intellectus, Ideoque repugnat realisxnus empiricus Gilbert! et ejus scholæ. Quidquid convenit naturæ vel convenit ipsi secundum se, vel secundum quod est in singularibus, vol secundum quod est in intellectu. Atqui universale actu non convenit naturæ secundum se neque secundum quod est in singularibus. Ergo convenit illi tanlum secundum operationem intellectus, ideoque ante operationem intellectus natura non est universalis actu. Prob. min. Universale actu vel est communicabilitas ad plura vel abstractioa multis. Atqui communicabilitasad multa vel abstractio a multis non conveniunt naturæ nec secundum se nec secundum quod esi in singularibus. Ergo. Non secundum se,utjam sæpe ostensum est. Nam quod convenit naturæ secundum se ponitur in ejus de* finitione.Sed in definitione naturæ non ponitur hæc abstractio, vel hæc communicabilitas ; definitur quippe homo : *Animai rationale,* non vero : *unum communicabile mullis* vel : *unum abstractum a mullis.* Insuper, si natura secundum se òssei communis, nunquam inveniri posset singularis ; si secundum se importaret praecisionem et exclusionem ab individuis, nun· quam posset inveniri in individuis ; nam quod convenit alicui secundum se, semper et invariabiliter ei convenit.

A fortiori communicabilitas vel abstractio a multis non conveniunt naturæ secundum quod est in singularibus. Natura in singularibus est divisa et distincta a cæteris, et talis habet principia individuantia ut sit omnino sui juris. Sed natura distincta ab aliis, natura quæ est sui juris, non est communis cæteris, nec cæteris communicabilis. Ergo repugnat ut communicabilitas conveniat naturæ secundum quod est in singularibus. Natura vero abstracta est indivisa et indeterminata. Sed omnis natura singularis eo ipso quod ponatur a parte rei, fit determinata, concreta, distincta a cæteris. Ergo repugnat ut universale abstractum conveniat naturæ secundum quod est in singularibus. Ergo natura non dicitur universalis actu nisi secundum quod est in intellectu. Hinc axioma arislotelicum : *Universale* (actu) *aut nihil est aut posterius esi,* scilicet in intellectu.

VI. — Quarta conclusio : Licet natura secundum se dici

possit communie negative, tamen ut est in re et extra intellectum, nullatenus dici potest communis, neo positive neo negative ; ideoque repugnat realismos Scotistarum (1).

Id dicitur commune negative quod secundum se non est singulare. Natura vero secundum se non est universalis, et propter hoc dici nequit communis positive; aliunde non est secundum se singularis, et propter hoc dici potest communis negative. Sed statim ac natura ponitur a parte rei amittit hanc communitatem negativam. Quod breviter ostenditur :

Esse commune negative est non esse divisum et multiplicatum in pluribus. Atqui natura statim ac ponitur a parte rei in singularibus, dividitur in multis, vere et positive multiplicatur in pluribus; sic natura humana multiplicatur in Petro et Paulo. Ergo non amplius remanet communis negative. Sicut aer, ait Joannes a S. Thoma, posita luce non manet negative tenebrosus, quia ipsa illuminatio expellit negationem lucis; ita singularisâtio naturæ a parte rei expellit negationem singularitatis quam natura habebat secundum se.

VII. — Solvuntur dlttlcultates. I0 Natura quæ est in Petro et Paulo existit realiter. Atqui natura quæ est in Petro et Paulo est una et communis. Ergo existit a parte rei aliqua natura una et communis pluribus, ideoque universalis.

Resp. Disting. min. Natura in Petro et Paulo est una et communis, unitate et communilate *similitudinis,* concedo; unitate et communitate *reali,* nego. Et nego conclus.

Natura Petri et natura Pauli habent prædicata conformia et similia, et hoc est sufficiens ut intellectus ex illis efformet speciem unam. Nihilominus natura Petri est realiter divisa et distincta a natura Pauli, ideoque duæ istæ naturæ non habent unitatem realem.

— Instabis. Atqui ad universale sufficit unitas similitudinis. Ergo remanet difficultas.

Resp. Nego antecedens : Sicut ad universale in causando requiritur una realiter causa respiciens multos effectus, ita ad universale in essendo requiritur una realiter essentia rcspi-

(1) Cf. Scows *¡Aetaph.,* vir, q. *18 ;* et II Sent. disi. 3, q. 1 ; Frassbn, *J)e universalibus,* q. 2.

ciens multa individua. Ergo non sufficit unitas similitudinis, sed requiritur unitas realis.

2° Objecta scientiarum sunt universalia. Atqui objecta scientiarum existunt a parte rei. Ergo universalia existunt realiter.

Resp. Disting. maj. Objecta scientiarum sunt universalia fundamentaliter et quoad rem conceptam, concedo ; sunt universalia formaliter et quoad statum abstractionis et universalitatis, nego. Distinguo minorem. Objecta scientiarum dantur a parte rei, secundum realitatem suæ entitatis, concedo ; secundum statum universalitatis, nego ; et negoconseq.

VIII. — Quæstio : Ut tandem plene solvatur hæc difficultas de existentia universalis a parte rei, quaeritur an aptitudo et indifferentia ad multa conveniat rebus ante operationem intellectus. Hæc aptitudo, ut notat Joannes a S. Thoma, potest considerari formaliter et positive in quantum respicit inferiora, vel fundamentaliter pro ipsa capacitate seu non repugnantia ad respiciendum inferiora et ad descendendum ad illa. Si consideratur primo modo, liquet non convenire ante operationem intellectus, siquidem est ipsa universalitas in actu. Difficultas est de secundo modo. Jam dictum est naturam secundum se communem esse negative. Quæritur itaque au ratione hujus communitatis negativæ inveniatur in natura secundum se sumpta aliqua non repugnantia seu capacitas ut sit in pluribus et praedicetur de illis.

IX. — Quinta conclusio: Ista aptitudo seu non repugnantia, quæ est fundamentum proximum universalitatis, nullo modo invenitur in natura secundum se, neque ut contracta in individuis, sed solum in natura præcisa per intellectum.

Itaque illa non repugnantia ad essendum in multis sequitur naturam ratione status, non ratione quidditatis. Hæc conclusio est S. Thomæ et communis Thomistarum. Ita Joan, a S. Thoma (I).

Probatur. Aptitudo ad essendum in pluribus est capacitas ut natura una existens multiplicetur in plura, seu aliis verbis, sup* ponit aliquid unum multiplicabile in plura. Atqui nec natura

(1) *Log.* **II, P. Q. III, art,**

secundum se, nec natura ut contrada in singularibus est unum multiplicabile in plura. Ergo aptìtudo ad essendum in pluribus non competit naturæ ante operationem intellectus.

Prob. min. Natura contrada in singularibus nedum sit unum multiplicabile in plura, imo habet repugnantiam ad istam multiplicationem, individuum quippe est aliquid indivisibile et immulliplicabile. Natura vero secundum se nec unitatem nec multiplicabilitatem importat, sed solum dicit prædicata quidditativa, inter quæ non ponitur unitas multiplicabilis in plura.

Igitur aptiludo esscndi in pluribus convenit naturæ abstraetæ. Per abstractionem quippe natura fit una unitate præcisionis, et, quia supponitur abstracta a pluribus, concipi potest ut multiplicabilis in illa plura.

X. Quæ unitas competat naturæ a parte rei in singularibus esistenti. Natura in singularibus exislens duplicem habet unitatem, formalem scilicet et numericam. Probatur. (Initas formalis est illa quæ sequitur principia formalia et essentialia quibus res in sua specie constituitur ; unitas autem numerica est illa quæ sequitur principia materialia et individuantia quibus res constituitur singularis. Atqui natura a parte rei, in Petro existens, habet sua principia formalia quibus in sua specie constituilur, et principia individuantia quibus constituitur singularis. Ergo habet unitatem formalem et numericam.

Porro hæc unitas non est quid pluribus commune, sed tot sunt unitates formales a parte rei quot sunt individua. Unitas quippe sequitur ad naturam ; ergo, si in quolibet individuo natura est realiter distincta a natura quæ est in alio, etiam unitas secuta erit realiter distincta. Atqui in quolibet individuo natura est realiter distincta a natura quæ est in alio, sicut natura in Socrate realiter distinguitur a natura in Platone. Ergo unitas formalis quæ est in uno realiter distinguitur ab unitate formali quæ est in alio ; ergo tot sunt unitates formales quot sunt individua.

Hinc confutatio brevis et efficax totius realismi. Non existit aliquid unum commune pluribus. Porro universale formaliter

dictum est unum commune pluribus ; duo quippe sunt in conceptu universali : unitas et communitas, unitas nempe in se et communitas in pluribus. Ergo nullum universale formaliter dictum existit in singularibus.

XI. — Qnænam prædicata conveniant natures a parta rei exìstenti. Objiciunt realistœ. Omnia prædicata realia conveniunt naturæ a parte rei existeuti. Atqui aptiludo essendi in multis est prædicatum reale. Ergo aptitudo essendi in multis convenit naturæ a parte rei existent].

Resp. Nego min. Ad cujus intelligentiam notandum est prædicata quæ alicui naturæ tribui possunt triplicis esse generis. Alia sunt *quiddilatwa,* sive positiva sive negativa, quæ in essentia fundantur; alia sunt *accidentalia realia¡* ut homini convenit esse doctum ; alia demum sunt *logica* seu ficta, ut homini competit esse speciem. Primi quidem generis prædicata debent naturæ adscribí in quocumque statu : secundum se, in singularibus et in.intellectu. Secundi autem generis praedicata competunt naturæ etiam in singularibus existent! ; sic homini a parte rei convenit esse doctum vel virtuosum, etc. Tertii demum generis prædicata nonnisi naturæ in intellectu existent] conveniunt, siquidem sunt entia rationis. Porro aptitudo essendi in multis est hujusmodi : non est prædicatum reale quidditativum, quia quidditas secundum se neque universalis neque singularis est ; nec etiam est prædicatum accidentale reale, nam accidentia realia subjectum individuant, nedum reddant aptum inesse pluribus. Itaque aptitudo essendi in multis est prædicatum logicum, seu lictum, quod naturæ competit solum per operationem intellectus.

Prædicata igitur quæ naturæ a parte rei existenti conveniunt duplicis tantum sunt generis : prædicata scilicet quidditativa, sive positiva sive negativa, ut homini in rerum natura existenti tribuitur esse rationale et non esse hinnibile ; et prædicata accidentalia realia, ut homini existenti convenit esse sapientem, doctum, virtuosum, etc.

ARTICULUS QUARTUS

SYSTEMA ASSERENS UNIVERSALIA ESSE PARTÎM IN REBUS PARTIMIN INTELLECTU, SEU REALISMES TEMPERATUS

I. — Tria asserta realismi temperati. Quid sit rcalismus temperatus clare colligitur ex opinionibus jam refutatis. Est doctrina asserens universalia esse partira in intellectu, partira in rebus.

Hæc est Aristotelis, D. Thomæ et generatim Scholasticorum sententia. Tria sunt ejus asserta : I0 universale reflexum esse actu in mente tantum, habere tamen fundamentum in natura; 2° universale directum esse in rebus *quoad rem quæ inietti-giiur*; 3° universale directum esse in mente tantum *quoad modum quo res inlelligiiur.* Porro hæc tria asserta verissima esse facile ostenditur.

II. — Ostenditur primum assertum. Primum assertum in præcedenti articulo probavimus. Universale logicum est communicabilitas naturæ ad plura, vel natura rcdup'icative ut communicabitis. Atqui communicabilitas non convenit naturæ, nec secundum se, nec ut est in singularibus, sed solum ut est in intellectu. Ergo universale est solum in intellectu. Habet tamen fundamentum in natura. Nam in individuis existent!bus a parte rei adsunt prædicata similia et conformia inter se, et independenter a mentis conceptu. Sic ante mentis operationem animalitas et rationalitas in Socrate sunt omnino similes animalitati et rationalitati in Platone. Igitur duo sunt in rebus : similitudo inter prædicata essentialia et distinctio inter ea quæ assimilanlur. Potest autem intellectus considerare solam conformitatem inter plura,

non considerata ooriim distinctione, et ita sibi efformat conceptum alicujus naturæ uniformis in pluribus, communis pluribus et aptæ prædicari de pluribus. Igitur universale logicum non est pura mentis fictio, sed habet suum fundamentum in rebus, licet actu non existât extra animam. Ad rem D. Th. (1). « Eorum quæ signifîcantur nominibus invenitur triplex diversitas : quædam enim sunt quæ secundum esse completum sunt extra animam, et hujusmodi sunt entia completa, sicut *homo, lapis.* Quædam autem sunt quæ nihil habent extra animam, sicut somnia et imaginatio chimæræ. Quædam autem sunt quæ habent fundamentum extra animam, sed complementum rationis eorum, quantum ad id quod est foimale, est per operationem animæ, ut patet in universali. *Humanitas* enim est aliquid in re, non tamen ibi habet rationem universalitatis, cum non sit extra animam aliqua humanitas inultis communis, sed secundum quod accipitur in intellectu, adjungitur ei per operationem intellectus intentio secundum quam dicitur species, »

III. — Ostenditur seoundum assertum. Secundum assertum, licet aliquatenus constet, iterum probatur. Universale directum quoad rem conceptam est natura secundum se considerata. Atqui natura secundum se considerata existit a parte rei in singularibus. Ergo universale directum existit in rebus quoad rem quæ in elligit ir. Prob. min. Id existit rcaliter in singularibus quod præmcatur de ipsis ante mentis conceptum, et est constitutivum ipsorum. Atqui natura secundum se praedicatur de singularibus ante mantis conceptum, et est constitutivum singularium. Ergo. Prob. ultima minor, quoad Iam partem. Natura quæ tribuitur individuis non est natura secundum quod est in singularibus, vel in intellectu, sed natura secundum se. Etenim dicendo : *Plato est homo,* Platoni assigno id quod convenit homini, ut *homo* est, nec plus, nec minus tribuo. Atqui homini, ut homo est, convenit solum esse animal rationale (quod est natura secundum se) non vero convenit esse in singularibus vel in intellectu. Ergo natura quæ tribuitur

(i) I Disi-, 13, q. 15. art. 1.

individuis est natura secundum se, non vero secundum quod est in singularibus vel in intellectu. Hæc autem natura convenit individuis ante mentis operationem, non enim pendet ab intellectu nostro quod Plato sit animal rationale. Igitur natura secundum se prædicatur de singularibus ante mentis conceptum. — Quoad IIam partem : Natura secundum se considerata est constitutivum singularium. Facile ostenditur. Plato constituitur *essentialiter* homo, non ex eo quod habeat principia individuantia, sed ex eo quod habet naturam humanam definitione expressam. Sed natura per definitionem expressa est natura secundum se, natura absolute considerata, seu universale quoad rem conceptam. Ergo natura secundum se est singularium constitutiva.

IV. — De tertio asserto. Tertium assertum etiam constat, nempe rem quæ intelligitur non existere secundum modum quo intelligitur. Res enim quæ existit est aliquid concretum et determinatum. Sed intelligitur abstracte, indeterminate. Ergo non existit secundum modum quo intelligitur, seu habet diversum essendi modum in intellectu et in rebus.

V. — **Solvuntur difficultates.** 1° Vel natura invenitur tota in quolibet individuo, vel una pars in uno, et alia in alio invenitur. Si hoc ultimum dicitur, Plato non erit integre homo, sed pars hominis ; si primum, habetur mysterium SS. Trinitatis in creaturis, quod natura una existens tota communicetur uni et tota alteri. Ergo absurdus est Scholasticorum realismos.

Respondet Joannes a S. Thoma : « Communicatio naturæ universalis ad singularia non est sicut communicatio totius integralis ad partes integrantes, sed sicut totius praedicabilis ad partes subjectivas, in quo non fît divisio per partes, sed diversa multiplicatio naturæ in diversis individuis. Unde in divisione integrali quœlibet pars non adœquat totum, in communicatione vero universalis ad particularia, quælibet pars subjectiva adæquat totum, quantum ad naturam communicatam, sed non quantum ad extensionem et multiplicationem illius. Quod longe distat a mysterio Trinitatis, in quo non fît communicatio rei universalis per multiplicationem **naturæ,**

sed per identitatem naturæ singularis cum tribus personis realiter distinctis (i). »

2° Objectum præcedit actum, quia specificai actum et actus tendit ad objectum. Atqui objectum intellectus est universale. Ergo universale præcedit actum intellectus, seu existit a parte rei independenter ab intellectu. Ergo falsus est realismus temperatus qui ponit universalia esse partira in rebus, partira in intellectu.

Resp. Dist. min : Objectum intellectus est universale, materiale et potentiale, concedo ; formale et actuale, nego. Dist. conclus. Ergo universale existit in rebus, independenter ab intellectu, potentialiler et materialiter, concedo ; actu et formaliter, nego, et nego ultimam sequelam. Objectum quod præcedit operationem intellectus est natura quoad rem conceptam, quæ quidem non est intelligibilis nisi in potentia ; fit autem intelligibilis actu post et per operationem intellectus agentis. Quod vero non est intelligibile actu nec etiam est universale actu. Igitur universale quod præcedit actum intellectus est universale in potentia. Unde hæc objectio non impetit, sed potias corroborat realismuin temperatum. Ex una quidem parte ostendit aliquid præcedere actum intellectus, scilicet naturam quoad rem conceptam ; aliunde vero evincit statum abstractionis et praecisionis et intentionem universalitatis esse operatione intellectus posteriores. Hæc autem tria sunt ipsissima realismi temperati asserta : natura quoad rem conceptam est a parte rei independenter ab intellectu ; status, praecisionis, seu universale quoad modum concipiendi, est solum in intellectu ; intentio universalitatis, seu universale formale et logicum, est per operationem intellectus.

VX. — Praecedentium recapitulatio. Restat ut totam hanc quaestionem paucis resumamus.

Triplex est universale : in repræsentendo aut significando, in causando, in essendo. Universale in essendo est unum aptum inesse pluribus et praedicari de illis univoce. Universale logicum, seu reflexum, est forma qua aliquid denomina-

ii) *Log.* II. P. Q- IH, art. 2, *infine.* **Vide etiam dicenda,** *infra,* **art S, ii3 s.**

tur universale, seu ipsa communicabilitas ad plura. Universale autem metaphysicum, seu directum, est ipsa natura, quæ potest considerari in triplici statu : secundum seipsam absolute, secundum quod est in singularibus, secundum quod est in intellectu per abstractionem ab individuis. Universalia porro non sunt pura nomina nec puri conceptus ; aliunde non sunt formaliter et actu in rebus, sed existunt partim in rebus, partim in intellectu. Vera doctrina de existentia universalium ad sequentia capita reducitur :

1° Natura secundum quod est in singularibus nullatenus dici potest universalis. 2° Natura secundum se non est universalis nec singularis ; dici tamen potest communis negative. 3° Natura secundum se non habet aptitudinem ut communicetur, sed fit apta inesse pluribus per operationem intellectus. 4° Natura per definitionem expressa existit in singularibus. Itaque universale logicum existit actu in mente tantum, fundamentaliter tamen in rebus; universale vero directum.existit in rebus quoad rem quæ intelligitur, non vero quoad modum intelligendi. 5° Ad efformandum universale quoad modum concipiendi sufficit abstractio ; ad efformandum autem universale logicum requiritur insuper comparatio*

articulus quintus

DE UTILITATE TRAOTATUS UNIVERSALIUM

I. — Ratio articuli. Non desunt qui putent quœstionem de Universalibus esse penitus antiquatam atque inter vanas ac futiles disputationes amandandam. Operæ ergo pretium erit paucis exponere quo pacto hujus quæstionis solutio maximae sit utilitatis ad illa solvenda problemata quæ nostris etiam' diebus inter philosophos versantur.

II. — Praecipua hodierna systemata ad queestionem Universalium reducuntur. Omnia praesentis temporis systemata ad ista revocari commode possunt : subjectivismum et criticismum, materialismum, ontologismum, pantheismum, ac intellectualismum. Porro singula ab Universalium quæstione logice pendent aut derivantur, ut per singula discurrenti liquido constabit.

IП. — Subjectiviemus et criticiemus oum doctrina Universalium comparantur. Juxta subjectivismi placita cognitio attingit immediate solas affectiones et impressiones subjecti cognoscentis, non autem objectivam et externam realitatem. Criticismus autem Trancendentalium Germanorum totam cognitionem revocat ad formas a priori mere subjectivas, quibus utrum respondeat objectiva realitas nescimus. Porro utrumque systema verum erit, si Universalia nonnisi subjectivi sunt mentis conceptus. Etenim Universalia sunt objecta et terminus cognitionis humanæ. Ergo, si universalia sunt subjectivi mentis conceptus, verissimum est cognitionem pro immediato objecto habere subjecti affectiones et ad sub-

jectum ipsum immediate terminari. Quod si ostenditur econtra universalia objectiva quadam realitate gaudere, illico ruit subjectivismus et criticismus.

Aliquid tamen veri in subjeclivismo latet, quatenus asserit dari elementum subjectivum in omni cognitione. Requidem vera non fit cognitio nisi cognitum sit in cognoscente et cognoscenti applicetur et proportionetur ; hinc sequitur duplex esse cognitionis elementum : vim nempe objectivam veritatis cognoscibilis vimque subjectivam intellectus cognoscentis. Quod quidem optime salvatur in doctrina realismi temperati, quæ statuit universale esse partim objectivum partim subjectivum, partim in rebus et partim in intellectu. Quæ ad pressens sufficiant, nam de subjeclivismo alibi disseritur (i).

IV. — Materialismus comparatur cum doctrina Universalium. Statuit materialismus omnem cognitionem humanam intra ordinem sensibilem concludi nec ullum dari objectum ordinis spiritualis. Quæ assertio est ipsissimus nominalismus. Objecta quippe scientiarum sunt universalia ; quare, si universalia sunt mera ordinis sensibilis vocabula, tota scientia intra ordinem sensibilem necessario coarctatur. Hinc est quod omnes materialist® nominalismo adhæreant. At, si absurdus deprehenditur nominalismus, eo ipso nutant materialismi asserta.

V. — Ontologismus et doctrina Universalium.

Est ontologismus systema asserens Deum, qui est primum ontologicum, id est primum in ordine entis, esse quoque primum logicum, seu in ordine cognitionis, nempe esse primum objectum quod mens nostra intuetur.

Qui error ex falso realismo derivatur. Universalia enim, ut plus semel dictum est, sunt immediata cognitionis nostræ ohiecla. Porro, si universalia sunt prima realitas, nempe ideæ divinæ aut esse divinum, liquet ideas divinas et esse divinum,

(1) **Log. Major. Tract. II. q. Ill, art. 2, nu. v. et seqq; et Π. P. Phil. Nat. Tract III, q. Ill, art. 2, n. vin, — de criticismo vero Metapbys. ïjychol. Tract. I, q, II, art. 2, et Metaphys. Ontol. Tract. Ill, in promano.**

esse primuin et immediatum objectum quod intuemur. Statuta autem vera doctrina circa universalium existenliam, impossibilis evincitur ontologismus. — Confutatio ontologismi habetur in Metaphys. Psychol. (Tract. I, q. IL art. 3).

VI. — Pantheismus et doctrina Universalium. Asserit pantheismus omnia in mundo, corpus et spiritum, subjectum et objectum, reale et ideale, idem prorsus esse cum Deo. Qui error quoque est forma falsi realismi. Ex realismo quippe absoluto sequitur universale esse in mundo propriam et maximam realitatem; aliunde universale est in intellectu sicut objectum cognitum, ac proinde habet rationem idealis. Hinc inferunt ideale seu universale esse propriam et maximam realitatem, et idcirco reale et ideale, omnia quæ sunt in mundo, confundi in aliquo universali quod est unum et omnia. Ita in Germania Schelling ponit singulare et universale, finitum et infinitum identilicari in aliquo uno, quod est *absolutum',* Hegel vero vult omnia in mundo, singulare et universale, reale et ideale, finitum et infinitum identifican in ipsa Idea. Hinc Deus non aliud est nisi ens universale, seu indefinitum, quod sese determinando constituit rerum universitatem, in genera, especies et individua distinctam.

Præcavet autem omne pantheismi periculum realismus temperatus, statuendo omnia quæ existant esse individua, concreta, determinata, ipsumque universale non secundum se xistere, sed in singularibus tantum et quoad rem conceptam (1).

VII- — Intellectualismus et doctrina Universalium. Intellectualismus est systema illorum philosophorum qui salvare student simul et idearum spiritualitatem et concursum, seu cooperationem sensuum ad cognitionem, ideoque ponunt cognitionem incipere in sensu et perfici in intellectu, seu ideas provenire ex sensibilibus materialiter et ministerialiter, effective autem et principaliter ab ipso intellectu. Quæ duo puncta in doctrina realismi temperati optime salvantur. Ex

(1) De Pantheismo disseritur I. P. Phil. Nat. Tract. II, q. I, art. 3.

una parle objecta idearum, nempe universalia, existant in sensibilibus fundamentaliter, et materialiter ; ergo sensibilia concurrunt materialiter ad idearum efformationem. Aliunde universalia, idearum objecta, non existant proprie et formaliter nisi in intellectu et per intellectus operationem. Ergo causa quæ ideas proprie efformat est virtus intellectus. De his redibit sermo Metaphys. Psych. Tract I, q. II, art. S. et seqq

Vili. — Utilitas quaestionis Universalium in Theologia. Accurata requiritur universalium notio ne error admittatur circa SS. Trinitatis mysterium. Docet fides dari in divinis unam naturam tribus personis communem. Esine igitur natura divina universalis ? Minime. Universale quippe est natura una in pluribus unitate solum similitudinis, et specifica vel generica ; in divinis autem est una numero natura realiter eadem in tribus personis. Universale, dum communicatur suis inferioribus, *multiplicatur,* sicut multiplicatur natura humana in Platone et Socrate ; natura autem divina nullimode multiplicatur sed est *una et identicaïn* tribus personis (1).

(1) **Auctores consulendos de Universalibus citavimus in Logica Minori, et in tractationis decursu. Videantur insuper** Cajetanus, **Comment, in op.** *De ente et essentia* **;Card.** Zigliaha, *De la lumière intellectuelle,* **livr. I, c. vu et seqq.**

TRACTATUS SECUNDUS

QUÆSTIONES QUÆ SPECTANT SECUNDAM MENTIS OPERATIONEM

Secunda operatio dicitur cognoscitiva veri vel falsi, et ejus signum est propositio, quæ definitur : *Oratio significans verum vel falsum.* Hinc necessitas disserendi de iis quæ ad veritatem vel falsitatem referuntur. De veritate autem tria praecipue sunt quærenda : ejus natura, ejus existentia, ejus fundamenta seu criteria. Præsens ergo Tractatus triplici quæstione absolvitur : de veritatis *natura, existentia, criteriis.*

QUÆSTIO PRIMA

De veritatis natura (1).

Ut plene'innotescat quid sit veritas, inquirendum erit qui sint status mentis in ordine ad veritatem, et quibus actibus veritas attingatur.

ARTICULUS PRIMUS

DE STATIBUS MENTIS IN ORBINE AB VERITATEM

I. — Notio veritatis. Veritas designat quamdam conformiiatem inter intellectum et rem. Triplex distinguitur : 1° Veritas cognitionis, seu formalis, logica ; 2° veritas rei, seu transcendentafis ; 3° veritas locutionis, seu moralis.

Veritas logica est adæquatio, seu conformitas, intellectus cum re cognita, adeo ut cognitio vera sit, cum est conformis Buo objecto, id est, cum percipit esse id quod est, et non esse

(Í) Consuli possunt D. Thomas, **I, P. q. XVI et q. XVII** ; **QQ.** *Dispp. de Veritate,* **Comment.** Cajetam **et** Bannez **in I*m** *Partem ;* Joannes a **S.** Thoma, *Logica;* Suarez, *Disputationes metaphysicæ,* **disp. 8,-** Alamannos, *Logica;* Balmes, *Philosophie fondamentale,* **et** *Art d'arriver au vrai;* Brocha **RT, De** *Γerreur;* Robert. *De la certitude ;* Mercier, *Critério^gie ;* Folghera, *Revue Thomiste* **t. VII, p. 693, t. VIII, p. 414** ; **et Scholastici hodierni in suis institutionibus logicalibus.**

id quod revera non est ; et e contra, dicatur falsa, cum vel percipit esse id quod non est, vel percipit non esse id quod revera est. (Vid. dicenda art, seq. η. IX et X).

Veritas rei est ipsum ens ut innuit ordinem ad intellectum, seu, est conformitas rei cum intellectu a quo pendet. Quemadmodum cognitio vera est quia est rei conformis, ita res ipsa vera dicitur quia est conformis intellectui a quo originatur. Omnes porro res naturales causantur ab intellectu divino ; res autem artificiales etiam ab intellectu creato pendent, nam idea artificis influit in esse causati, sicut exemplar domus est causa domus in fieri. Hinc omnes res naturales dicuntur veræ quia habent conformitatem cum ideis divinis ; res autem artificiales veræ sunt quia conformantur ideis sui artificis (1).

Veritas moralis est conformitas sermonis vel signorum cum interno mentis conceptu. Tunc enim dicitur locutio vera, seu verax, cuín est concors [cum animi sententia. Veritas moralis alio magis congruo vocabulo dicitur veracilas.

Intimus autem nexus tres illas veritatis species conjungit. Veritas quippe moralis est conformitas cum animi conceptibus, veritas autem conceptuum est conformitas cum rebus, veritas demum rerum est conformitas cum ideis divinis. Hinc veritas rerum ab inlellectu'divino, verilas logica seu conceptuum a veritate rerum, et verilas moralis a veritate conceptuum, causatur.

Omnes id commune exhibent quod sint adæquatio seu conformités ad aliquam regulam, principium vel causam : in veritate cognitionis regula et principium sunt res, in veritate rerum regula, seu principium, est intellectus divinus vel intellectus artificis ; in veritate morali regula, seu principium, est animi sententia. Intellectus divinus regulat et causal res, res ipsæ regulant et causant cognitionem ; cognitio vera regulat et causât sermonem verum.

П. — Quatuor status mentis respectu veritatis. Vel mens est in pura potentia respectu veritatis, carens objecti cognitione, et sic est status *ignorantiae ;* vel est in actu perfecto firmiter adhaerens objecto absque ulla errandi formidine, et est

(1) **Gf.** Oh í. **Trnct. II, q· I,** f· **IV.**

status *certitudinis ;* vel est in actu imperfecto, in quo distingui potest triplex gradus. Vel enim mens, comparatis duobus conceptibus, remanet anceps, in neutram partem declinans, et sic est *dubium ;* vel ad unam magis vergit, sed adeo leve est motivum ut nondum assentiat, et est *suspicio ;* vel tandem reapse adhæret, sed cum errandi formidine, et sic esc *opinio.*

Suspicio itaque concipitur ut quid medium inter simplex dubium et opinionem ; mens quippe nondum assentit, nec tamen pure est ad utrumlibet indifferens, sed in unam partem magis propendit. Non videtur tamen suspicio esse actus essentialiter ab opinione et dubio distinctus. Vel enim mens simpliciter adhæret, vel simpliciter ab adhæsione abstinet, licet forte ad assentiendum inclinetur : si adhæret, fit opinio ; quamdiu vero mens non assentit, remanet dubium. Igitur suspicio est dubium, sed peculiaris omnino rationis, dubium nempe tendens ad opinionem, nondum tamen ad ipsam usque pertingens. Aliquando vero suspicio designat inclinationem in unam partem ex aliquo levi motivo, et tunc reducitur ad opinionem sicut imperfectum ad perfectum : est quoddam judicii temerarii genus.

Quadruplex itaque est status mentis respectu veritatis, nempe *ignorantiæ, dubii, opinionis, certitudinis.*

III. — Ignorantia. Definitur : *Carentia cognitionis in subjecto cognitionis capaci.* Carentia autem potest importare vel solam cognitionis absentiam, vel etiam scientiæ privationem. In prima acceptione est *nescientia,* in altera vero *ignorantia* proprie dicta. Itaque nescientia simplicem scientiæ negationem, ignorantia vero scientiæ privationem seu defectum involvit. Tunc vero homo dicitur scientia privari, cum cognitione caret eorum quæ aptus natus est scire, seu ad quæ «cienda vi naturæ suæ ordinatur.

Ignorantia dicitur proprie respectu intellectus. Nam est privatio scientiæ, seu cognitionis perfectae. At scientia et cognitio perfecta intellectui, non vero facultati sensitivae, adseribitur. Ergo ignorantia non dicitur proprie respectu sensuum.

IV. – Ignorantiae causa. Dúplex est : naturalis una, voluntaria altera. Causa naturalis est vel defectus qui est in rebus vel defectus qui est in intellectu nostro. *Defectus qui est in rebus,* nempe quia objectum est obscurum, nimis ab intellectu nostro distans, vel sua luce mentem nostram offuscans, nam respectu eorum quæ sunt maxime intelligibilia mens nostra se habet sicut oculus noctuæ ad solem.

Defectus qui est in intellectu nostro. Mens quippe est imbecillis et limitata. In principio est sicut tabula in qua nihil scriptum est ; et etiam per studium exculta, ad ea tantum se porrigere potest ad quæ per sensibilia manuducitur. Ad defectum autem naturalem intellectus pertinent *stupor* et *hebetudo.*' « Stupens timet et in presenti judicare et in futuro inquirere... Stupor est philosophicæ considerationis impedimentum (1). Hebetudo autem acuitati opponitur, per quam mens ad intima penetrare non sufficit (2) ».

Causa voluntaria est voluntatis aversio et mentis praeoccupatio. A voluntate pendet applicatio aliarum facultatum ad actum. At potest voluntas applicationem intellectus ad veritatis cognitionem impedire, sive quia ipsa voluntas veritatem odit; sive quia laboris difficultatem refugit; sive quia passionibus irretitur. Hinc oritur ignorantia illa affectata, de qua dicitur in psalmo xxxv. *Noluit intelligere ut bene ageret.*

Sub influxu autem voluntatis mens distrahitur et preoccupata, ad ea maxime fertur quæ voluntati placent, cætera vero negligit aut respuit ; vel, si ad omnia vult attendere, debilitatur ipsa applicatione, juxta illud :

Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.

V. — Error. — Ex ignorantia causatur error ; non enim homo decipitur judicando rem aliter ac est, nisi quia illam non intelligit : rem vero non intelligere est ignorare. Confun denda tamen non est ignorantia cum errore, « Error, ait S. Thomas (3), est approbare falsa pro veris, unde addit

(1) I· II", q. 41, art. 4 ad S.
(2) II· II·· Q. 8, art. 6, ad. 1.
(3) QQ· Dfspp. De *Malo.* Qu. 3, ari. 7.

actum quemdam super ignorantiam. Potest enim esse ignorantia sine hoc quod aliquis de ignotis sententiam ferat, et tunc est ignorans et non errans ». In duobus præoipue differunt error et ignorantia : I0 in statu ignorantiae mens nullum judicium, in errore autem judicium falsum profert ; 2° ignorantia veritati opponitur *negative* tantum ; error autem *positive*. Ignorantia enim nec conformitatem nec difformitatem intellectus cum re dicit, error autem positivam importat discrepantiam intellectus cum objecto. Unde veritas et error ex opposito definiuntur : Veritas est *adæguatio intellectus cum re; Error, difformitas intellectus cum re* (1).

VI. — Erroriscausæ. Homo natura sua fallibilis est; cum enim ignorantia sit nobis innata, et error ex ignorantia originetur, naturale est homini ut possit errare ; hinc effatum : *Errare humanum est.* Nulla tamen datur causa naturalis hominem ad judicium erroneum necessitans. Nam intellectus movetur solum ab evidentia. At falsum necessariam evidentiam parere nequit. Ergo nunquam intellectus ad judicium falsum natura necessitatur. Omni ergo errori præsupponitur quidam voluntatis influxus.

Causæ igitur erroris præcipuæ sunt : 1· ignorantia plus minusve voluntaria scientiarum quæ cæterarum sunt basis ac fundamentum, ut Logicæ et Metaphysicæ ; 2° vehemens hominis propensio ad judicandum secundum sensum et ad respuendum quæ experientia sensibili non comprobantur ; 3° phantasmatum deceptio. Phantasmata necessaria quidem sunt intellectioni, sed interdum homo phantasmata loco realitatum accipit, dum phantasiæ ductum sequitur et lusum suæ imaginationis tamquam objectivam realitatem approbat. 4° Uniuscujusque temperamentum, passiones ; facile quippe homo judicat bona esse quæ sibi placent et suo temperamento conveniunt aut concupiscentiam demulcent. 5° Præjudicia, multae enim vigent opiniones tamquam principia vel dogmata habitæ, quæ tamen ruinosis et falsis nituntur fundamentis.

(1) « **Errer, c'est croire ce qui n'est pas ; ignorer, c'est simplement ne le savoir pas.** » Bossuet, *Connais, de Dieu et de soi-méme, c.* **I, XIII.**

Baco falsa judicia, quæ *idola* vocat, ex quadruplici causa repetit.

Imprimis sunt *idola tribus,* quæ fundantur in *tribu,* seu natura humana, et oriuntur sive excordis affectu, passionibus nempe, superbia, etc., sive ex sensibus et imaginatione, sive ex intellectus praecipitatione et irreflexione.

Secundo, *idola specus,* quæ ex individuorum natura vel conditione ortum habent ; natura enim individuorum cum propriis vitiis vel passionibus est quasi *specus* abscondita quo lux non ingreditur.

Tertio, *idola fori,* quæ ex mutua hominum societate proveniunt : alia quidem ex verborum ambiguitate et fallacia, alia vero ex praejudiciis oriuntur.

Demum *idola theatri,* quæ ex falsis theoriis falsisve dogmatibus aut methodis originem ducunt : ut sunt theoriæ Pyrrhonislarum circa dubium universale, vel Stoicorum circa dolorem et passiones, etc. Hæc omnia sunt quasi simulacra in theatro quæ loco realitatis accipiuntur.

VII. — Dubium, Est status mentis in quo, proposito objecto, suspenditur judicium propter errandi formidinem. Intellectus utramque videt contradictionis partem, in neutram tamen adducitur, propter motivorum insufficientiam. Distinguitur communiter dubium *positivum* et dubium *negativum. Positivum* est, cum militant æquevalidæ rationes pro utraque parte, quo fit ut mens non possit uni potius quam alteri adhærere. Dubium est *negativum,* cum ex neutra parte occurrunt motiva quæ possint mentem movere. In dubio positivo adest cognitio motivorum pro et contra, in dubio autem negativo abest quorumcumque motivorum notitia. Distinguitur etiam dubium *scepticum,* quo quis ideo dubitat ut in dubitatione remaneat, et dubium *methodicum* quod ideo admittitur, ut scientia comparari possit.

VIII. — An dubitatio supponat judiolum. Dubitatio formaliter consistit in suspensione judicii ; præsuppositive tamen, si sit deliberata, includit judicium saltem tacitum. Nemo quippe deliberate dubitat nisi mente statuat aut nullas aut insufficientes

esse rationes ad assentiendum. Atqui mente statuere aliquid ita esse, est judicare. Ergo dubio deliberato, tacite saltem, prævium est judicium.

Pariter dubium, licet formaliter non contineat veritatem aut falsitalem, præsuppositivo veritatem vel ialsilatem imbibit : veritatem, quidem, si revera desint motiva digna quæ assensum trahant; falsitatem, vero si mens statuat esse insufficientia motiva quæ revera sufficiunt ad assensum prudenter praestandum.

IX. — Opinio. Est assensus alicui objecto propter motivum probabile, cum formidine oppositi, praestitus. Opinio procedit ex aliquo principio ex quo duæ possunt erui conclusiones : neutra est necessario admittenda aut necessario rejicienda, mens unam quidem amplectitur et alteram rejicit, non tamen cum plena pace et quiete, sed cum formidine ne id quod rejicitur verum sit. Tria ergo, ut monet Angelicus (1), sunt in opinione : principium et duæ conclusiones, et una conclusa et alia formidata. Formido furmaliter quidem perlinet ad appetitum, at causaliter etiam ad intellectum reierlur, in quantum intellectus cognitio inducit formidinem seu timorem in voluntate. I

Opinio intrinsece et formaliter est incerta, sed gaudere potest quadam certitudine extrínseca. Dico : *Probabile est existere talem legem ;* incertus quidem sum de existentia legis, at certus suin veram adesse probabilitatem. Duo igitur sunt distinguenda judicia : alterum circa objectum cui mens adhæret propter motivum probabile, et hoc semper est cum errandi formidine ; alterum vero circa probabilitatem, seu motiva pro-» habilitai is, et illud potest esse certum ; liquido enim constare potest motiva quæ adducuntur omnino sufficere ad veram probabilitatem gignendam. Intellectus itaque in hoc opinionis statu caret formidine *extrínseca,* sed circa ipsam veritatem opinatam remanet *intrinsece* incertus et cum formidine oppositi. De compossibilitate autem opinionis cum scientia. Vid. *Ontol.*

(1) I *De anima,* **lect iv.**

X. — Opinio requirit aliquem voluntatis influxum, non tamen procedit ex perfecta voluntate.

Prob. Ia pars., Quotiescumque intellectus non suficientei a proprio objecto determinatur, intervenire debet aliqua voluntatis electio quæ intellectum ad unam partem præ alia accipiendam cogat ; secus intellectus perpetuo remanebit suspensus. Sed in opinione objectum, cum sit mere probabile, non necessario movet intellectum. Ergo intervenire debet electio volun. tatis, quæ intellectum efficaciter determinet iliique assensum imperet.

Ostenditur IIa pars. Intellectus videt partem quam rejici sua gaudere probabilitate, nec voluntas potest hanc probabilitatem abigere. Sed stante probabilitate oppositi, remanet semper formido ne id quod amplcetitur falsum sit ; nec voluntas valet hanc formidinem excludere. Jam vero voluntas nequit cum plena et perfecta electione velle id cujus oppositum reformidatur. Unde opinio, ait D. Thomas (i), non videtur procedere ex perfecta voluntate.

XI. — Certitudo. In genere certitudo est determinatio intellectus ad unum. Motiva nempe menti proposita intellectum adeo movent ut uni parti contradictionis firmiter et immobibiter adhæreat absque ulla formidine partis oppositæ. Communiter definitur : *Firma mentis adhæsio alicui cognoscibili propter motiva quæ excludunt omnem errandi formidinem.* Tria ad certitudinem requiruntur : 1° objectum debet esse res ita necessaria ut aliter esse non possit, secus nutaret assensus ipsi innixus ; 2° intellectus debet cognoscere hanc objecti necessitatem. Porro, si intellectus perspicit rem aliter esse non posse, eo ipso deprehendit veritatis defectum contingere non posse. At, si impossibile est accidere veritatis defectum, mens debet veritati absque ulla erroris formidine adhærere, et in ipsa quiescere. Hinc sequitur tertium certitudinis elementum, omnimoda formidinis exclusio. Quæ omnia tria simul concurrant oportet. Non sufficit ut intellectus formidine careat, sed formidinis exclusio debet provenire ab objecto. Hinc qui adhaeret errori absque ulla sui erroris formidine aut suspicione, pro-

(i) Ia a IIæ qu. I, art. IV.

prie certitudine non potitur. Nam ille assensus non habet inïoobile fundamentum, sed fallax. Porro adhæsio cujus fundamentum est mobile, per se nutare potest. Ergo assensus erroneus est per se mutabilis, et de facto mutatur. Quocirca non participat rationem assensus certi, qui est firmus et immobilis ; quapropter probe discernenda est certitudo a persuasione. Potest quis, propter praejudicia vel ignorantiam, de falso persuaderi, at nunquam fiet de falsitate certus. Persuasio mutari potest, nunquam certitudo.

Aliunde non sufficit ut res cui assentitur aliter se habere non possit, sed hæc necessitas debet esse intellectui manifesta Quando mens adhæret alicui objecto probabili quod de facto verum est et necessarium, res aliter esse non potest; sed, quia hujus necessitas intellectum latet, remanet in mente formido, atque ideo status opinionis.

Genuinus ergo certitudinis conceptus probe est discernendus a cæteris acceptionibus impropriis. Tripliciter enim, ut notat Bannez, sumitur certitudo. « Quædam est ipsius objecti secundum esse reale quod habet in se vel in ordine ad divinum intellectum. Et hujus modi certitudo beneesse potest cum opinione nostra de tali objecto, ut si v. g., Papa revera mortuus est, sed ego tantum opinor esse mortuum. Et ratio est, quia talis certitudo objecti nihil praestat intellectui. Nam quod attinet ad modum judicandi, etiam si Papa viveret, opinarer esse mortuum. Altera certitudo potest considerari solum ex parte cognoscentis, qui pro suo cerebro absque aliqua probabili ratione proterve adhæret alicui affirmationi aut negationi. Et hujusmodi potius est inhæsio proterva assentientis quam vera certitudo, quamvis assentiens dicat se certissimum esse ; atque hoc pacto aliqui hæretici firmius adhaerent suis erroribus, imo et interdum patiuntur mortem pro illorum testimonio, quam aliis veritatibus. Est tertia *certitudo assensus quæ efficitur ex certitudine objecti quod ut certum cognoscitur sub ratione formali per lumen et habitum certe et infallibililer inclinantem ad assensum rei quæ ita se habet* » (1). Et hujus modi acceptio est genuina, cæteræ vero sunt vel abusivæ vel improprie.

(i) Bannez. *Comm.* **in I. P. Q. I, a. 5.**

XII. — Certitudinis gradus. In certitudine duplex consideratur respectus : aller negativus, seu exclusio formidinis, positivus alter, seu firmitas ct intensio assensus. Primus respectus est graduum incapax : si vel minima admiscetur formido, actum est de certitudine. Ex hac parle certitudo consistit in indivisibili. Hinc falsa deprehenditur opinio qu;n vult, certitudinem ex variis probabilitatis gradibus conflari, nam omnes gradus probabilitatis simul sumpti semper retinent errandi formidinem.

Ex parte vero ipsius assensus possunt esse gradus. Causa enim certitudinis est verum. Sed omnis eflectus proporlionatur causæ. Ergo certum proportionate vero. Quanto igitur magis aliquid erit verum, tanto magis certum erit ; seu, aliis verbis, si dantur gradus in vero erunt gradus in certitudine. Atqui in vero dantur gradus. Ergo et in certitudine. Minor subsumpta ostenditur. Veruni, si consideratur formaliter, ut est conformitas intellectus cum rc, graduum non est capax : omne quippe verum difformitatem excludit; sed ex parte ejus in quo fundatur ratio veritatis adsunt gradus. Verum siquidem inesse rei fundatur, el oratio dicitur vera ex eo quod res est, non ex eo quod vera est. Sed sunt gradus in esse. Ergo sunt gradus in vero. Sic Deus est magis ens, ideoque magis verum, quam quodlibet creatum ; unde generare valet in nobis majorem certitudinem quam aliud quodvis objectum.

Insuper, certitudo, seu adhæsio veritati, ideo firmior est quo veritas magis est menti intima magisque menti applicatur. Sed quædam veritates sunt menti intimiores, sicut veritates omnino necessariae quæ vi sua menti applicantur. Ergo inter certitudines aliae aliis sunt firmiores.

Itaque gradus certitudinis, seu major et firmior certitudo, ex triplici capite attenditur : I0 ex objecto *formali quod* tamquam causa, quæ potiorem generare valet certitudinem; 2° ex objecto *formali quo,* tanquam lumine sub quo veritas melius innotescit et fortius intellectum movet ; 3° ex natura intelligentis tanquam perfectione radicali ratione cujus veritas facilius menti applicatur. Ex primo et secundo capite assensus est firmior *simpliciter,* quia specificatio actus ex hoc duplici objecto provenit; ex tertio capite firmior *secundum quid.* Hinc divina

tides *simpliciter* firmior est scientia humana ; quia objecta formale *quod* et formale *quo* vehementius movent ; metaphysica est *simpliciter* certior physica, quia objectum metaphysicæ nobilius et abstractius est ; at physica *secundum quid* certior est, quia facilius menti applicatur. Vide dicenda infra de magisterio divino, et de ordinatione scientiarum (1). Pariter virtus et natura sunt certiores arte, quia infallibilius operantur ; spes divina est certior omni alia virtute ; visus est certior simpliciter auditu, etc.

Ex tertio capite provenit etiam ut plures homines de eodem objecto certiores alii aliis existant, quatenus intellectus unius vividior est vividiusque ac perfectius sibi applicat objectum.

XIII. — Certitudinis divisio. Distinguitur imprimis certitudo *subjectiva* et *objectiva. Objectiva* se tenet ex parte objecti quod causal determinationem intellectus ad unum ; vulgo definitur : *Vis infallibilis quam habet objectum extorquendi assensum certum. Subjectiva* oritur ex parte subjecti cognoscentis, seu est ipsa firmitas assensus absque ulla errandi formidine. Certitudo porro est essentialiter subjectiva, objectiva autem analogice. Ibi enim est proprie certitudo ubi fit assensus, siquidem certitudo est modus ipsius assensus. Atqui assensus reperitur in intellectu cognoscentis. Ergo certitudo in intellectu proprie reponitur. Objectum autem dicitur certum analogice quatenus gignit certitudinem, sicut medicina dicitur sana, quia est sanitatis causar.

Vox tamen *subjectiva* alio sensu rectius usurpatur pro aliqua certitudine quæ causatur a voluntate. Objectum quandoque est secundum se incapax intellectum determinandi, ut contingit in robus fidei; hinc intervenit voluntas quæ applicat et cogit intellectum ad assensum firmum praestandum : quo casu habetur certitudo cujus causa est ex parte subjecti et quæ idcirco dicenda est *subjectiva* ; alia vero quæ se tenet ex parte intellectus rectius diceretur *formalis.* Sic possumus, cum Joanne a S. Thoma, triplicem distinguere certitudinem : *formalem*^ quæ reperitur in ipso actu intellectus adhærentis firmiter; *ob-*

(i) Tract. 11, q. Ill, art. V», et Tract. Ill, q. Ill, art. VI, ŋ. II, π. VL

jectivam, ex parte objecti convincentis; *subjectivam.,* exparte voluntatis adhaerentis et facientis adhærere intellectum. Et inde est, subdit praedictus auctor, quod quando Deus movet ad fidem, prius tangit voluntatem, et, mediante ipsa, intellectum (1).

XIV. — Certitudo immediata, mediata. *Immediata* est certitudo principiorum quæ ex seipsfe absque ullo discursu menti innotescunt. *Mediata* est conclusionum certitudo quæ per ratiocinium comparatur. Immediata est causa mediatas sicut præmissæ sunt causa conclusionis. Quæ omnia ex dicendis infra de scientia patebunt.

XV. — Certitudo metaphyslca, physica, moralis. Est *metaphysica* quum firmitas ascensus fundatur in ipsa rei essentia, adeo ut intrinsece repugnet rem aliter esse : *Homo est rationalis. Physica* est in qua firmitas assensus nititur constantia legum naturæ : *Ignis comburit.* Moralis est, in qua firmitas assensus fundatur in constantia legum quibus subjacent mores humani : *Filii diligunt parentes.* Certitudo moralis sumi potest stricto et lato sensu. Stricte sumpta est assensus qui, licet nitatur legibus quibus temperantur hominum mores, excludit tamen omnem errandi formidinem. Sensu autem lato est maxima probabilitas, non excludens quidem omne errandi periculum, sed sufficiens ad prudenter acendum. Impossibile saepius est in vita humana veram comparare certitudinem, sed judicamus ex communiter contingentibus, et pro certo habemus quod maxime est probabile. Hoc modo certi sumus merces quæ in foro vseneunt non esse veneno infectas.

XVI. — Certitudo absoluta, hypothetica. *Absoluta* est cum res independenter a quacumque hypothesi revera est sicut enunciatur, nec potest, facta quacumque hypothec, alitor se habere : *Deus esi justus. Hypothetica* vero, cum res non potest aliter se habere, attenta aliqua hypothesi, sed potuisset aliter esse non facta illa hypothesi. Certitudo metaphysn a est semper absoluta, quia essentia rerum est necessaria nec ub

(I)Curs. PWÏ. P* 1, q.^6, art. IV.

aliqua hypothesi pendet ; sic absolute certum est duo et duo esse quatuor, Deum esse infinitum. Physica vero et moralis sunt hypotheticæ, quia nec naturæ nec morum leges sunt absolute necessariae ; potuisset enim Deus mundum non condere et potest, mundo condito, ejus leges suspendere.

XVII. — Certitudo metaphysica, physica, moralis, sunt tres certitudines specie diversæ. Specie sunt diversæ certitudines quarum motivum formale est specifice diversum. Atqui 1res illae certitudines motivum formale habent specifice diversum : nam in metaphysica certitudine motivum est connexio inter subjectum et prædicatum fundata in necessaria et absoluta immutabilitate essentiarum ; in certitudine physica motivum est connexio inter subjectum et prædicatum fundata in necessitate hypothetica legum naturæ ; in certitudine morali motivum est connexio inter subjectum et prædicatum fundata in constantia adhuc magis hypothetica legum quæ mores humanos temperant. Ergo.

XVIII. — Certitudo vulgaris et philosophica. *Vulgaris* **est** illa qua quis adhæret firmiter veritati, non tamen sibi explicite assignat sui assensus motiva. *Philosophica* vero, *scientifica, reflexa,* est illa qua quis criteria, seu motiva sui assensus explicite sibi determinat. Vulgaris versatur circa ea quæ vitæ humanæ necessaria sunt. Quamplures negant certitudinem vulgarem esse veri nominis certitudinem, quin potius contendunt cœcam esse credulitatem ; at vero ipsam gaudere omnibus veræ certitudinis dotibus, facile evincitur. Tres esse veræ certitudinis dotes, ostensum est, n. xi. Prima autem conditio, nempe, quod res ita esse debeat ut non possit aliterse habere, æque verificatur in certitudine vulgari ac in scientifica. Secundo, hæc necessitas percipitur ab intellectu, cum enim vulgus asserit : *duo et duo sunt quatuor, sol lucet,* omnibus liquido constat rem aliter esse non posse. Ac tandem adest exclusio formidinis, ut experientia constat; nam absque ulla errandi formidine omnes tenent *duo et duo esse quatuor.* Ergo adsunt omnes veræ certitudinis dotes. De certitudinis existentia valent quæ trademus de veritatis existentia.

XIX. — De certitudine analogice sumpta. Proprie et essentialiter certitudo est tantum in intellectu, quippe quæ est qualitas assensus intellectualis. Analogice autem, seu participative et secundum similitudinem, invenitur in omni eo quod a vi cognoscitiva movetur infallibility. ad finem suum. Sic motus appetitivæ virtutis ut a cognitione dirigitur, aliquid de ejus certitudine participat ; sic etiam spes certitudinaliter tendit in finem suum, quasi participans certitudinem a fide, quæ est in vi cognoscitiva. Pariter, certitudo dicitur esse in appetitu naturali, in quantum infallibiliter inclinatur ab intellectu divino unumquodque dirigente in finem (i). Demum certitudo attribuitur operibus naturae vel operibus artis in quantum a cognitione Creatoris vel a cognitione artificis infallibiliter diriguntur. In tantum de certitudine participant in quantum a vi cognoscitiva regulantur. In ipsa ergo vi cognoscitiva reperitur certitudo essentialiter, seu tanquam in summo analogato.

XX. — Certitudo cognitionis et certitudo causalitatis. Prima est infallibilitas assensus prout jam expositum est, altera est infallibililas ordinis causæ ad effectum, ita ut caiisa infallibiliter effectum producat. Sic in Deo præscientia ut sic, est certitudo cognitionis, prædestinatio vero addit certitudinem causalitatis. Ad rem Angelicus : « Duplex est certitudo, scilicet cognitionis et ordinis. Cognitionis quidem certitudo est quando cognitio non declinat in aliquo ab eo quod in re invenitur, sed hoc modo existimat de re sicut, est. Et, quia certa existimatio habetur de re priecipue per causam rei, ideo tractum est nomen certitudinis ab ordine causæ ad effectum, *ut dicatur ordo causæ esse ad effectum certus quando causa infallibiliter effectum producit.* Præscientia ergo Del, quia non importat universaliter habitudinem causæ respectu horum quorum est, non consideratur in ea nisi certitudo cognitionis tantum ; sed prædestinatio, quia præscientiam includit, et habitudinem causæ ad ea quorum est addit, in quantum est directio sive præparalio quædam, et sic potest in ea considerari supra certitudinem cognitionis certitudo ordinis. » (2)

(1) Cf. Ha. ILae. q. 18, a. 4,
(2) Q, VI, *De ventale,* **a. III.**

XXI. — Quomodo differant certitudo et veritas. Habitudo certitudinis ad veritatem ex dictis plene colligitur. Certitudo est status mentis, veritas est illius status objectum et terminus ; certitudo est perfectio assensus intellectivi, veritas est illius assensus motivum et causa. Certitudo est essentiabiliter subjectiva, veritas est proprie objectiva.

Analogice tamen certitudo dici potest objectiva, quatenus objectum progignit in mente assensum certum, et tunc certiludo non differt realitera verilate, sed logice dumtaxat. Non realiter quidem, nam sola veritas valet gignere assensum certum ; logice tamen, quia certitudo innuit specialem modum vi cujus veritas valet convincere intellectum.,Utrum vero omnis veritas sit certa objective, sicut omnis certitudo generatur a veritate? Quoad se omnis veritas est certa, nam verum de se vim habet abigendi formidinem falsi; at quoad nos non omnis veritas est certa, quia quaedam objecta, lice vera, non sufficienter applicantur intellectui ut omnem errandi formidinem propellant. Recolantur quæ disseruimus n“XI.

Quia ergo certitudo non potest comparari nisi a vero cognito ut vero, per eumdem actum, scilicet judicium, habetur veritas perfecta et certitudo. Quæ igitur veritatis existent!am probant certitudinis pariter existentiam statuunt. Criterium etiam veritatis et criterium certitudinis promiscue usurpari posunt. De his iterum infra, q. Ill, a. IX, n° III.

Itaque, licet differant veritas et certitudo, nexu mutuo colligantur, adeo ut certitudo nonnisi a veritate gigni possit et veritas nonnisi por certitudinem perfecte possideatur.

ARTICULUS SEGUNUDS

QUIBUS ACTIBUS VERHA8 ATUNGATUR

I. — Quæstio solvenda. Triplicem sæpe recoluimus esse operationem cognoscitivam : apprehensionem nempe, judicium et ratiocinium. Cum autem ratiocinium sit plurium judiciorum complexus, sat est inquirere utrum veritas habeatur in apprehensione, an in judicio, an in apprehensione simul et judicio.

II. — Duplex apprehensio. Simplex apprehensio duplex potest distingui : una quæ dicitur *incomplexa,* altera vero *complexa. Incomplexa* est in qua repraesentatur vel solum subjectum, vel solum prædicatum omnino simplex, ut *leo, homo.* Complexa autem est qua percipimus prædicatum et subjectum per modum compositionis : *homo risibilis, leo rugiens;* vel etiam definitionem seu propositionem jam ab alio formatam, quin tamen de illa judicium proferatur, ut cum legendo percipio hominis definitionem : *Homo est animal rationale.*

III. — Prima conclusio : Simplici apprehensioni inest veritas formalis, licet imperfecto modo. Probatur Ia pars.

Ventas formalis, seu logica, est conformitas intellectus cum objecto. Atqui in simplici apprehensione adest conformitas intellectus cum objecto. Ergo. Probatur minor. Cognoscere objectum est habere propriam speciem objecti, cum omnis cognitio per similitudinem, seu speciem, objecti pariatur. Sed propria species objecti est conformis objecto, quippe quæ est ipsum objectum intentional·ter. Ergo cognoscere objectum est habere conforrnitatem cum objecto. Liquet autem appre-

hensionem esse cognitionem objecti, siquidem manifestat quid sit res. Ergo apprehendere est habere conformitatem cum objecto, seu veritate logica gaudere.

Probatur IIa pars. Arg. I". Ibi est perfecta veritas ubi est perfecta cognitio, agitur enim de veritate cognitionis. Sed simplex apprehensio est cognitio imperfecta. Ergo. Declaratur minor. Ad cognitionem perfectam non sufficit ut facultas sit conformis objecto, sed requiritur ut illam conformitatem percipiat. At in simplici apprehensione intellectus, licet objecto sit conformis, non cognoscit suam conformitatem ; id enim importat comparationem quamdam quæ propria est judicii. Ergo.

Arg. IInm. Res cognoscitur imperfecte quamdiu mens apprehendit tantum ejus quidditatem, nihil vero de ejus esse actuali. Sed apprehensio attingit tantum rei quidditatem, non esse actuale ; non enim asserit utrum res sit an non sit, eo quod affirmatione et negatione careat. Ergo in simplici apprehensione habetur cognitio et veritas imperfecta.

IV. — Secunda conclusio. Apprehensioni incomplexos nunquam admiscetur faisitas, complexas vero falsitas per accidens subesse potest. Ostenditur Ia pars.

Falsitas est difformitas intellectus cum objecto. Sed repugnat adesse diiformitatem in apprehensione incomplexa. Ergo. Probatur minor. In apprehensione incomplexa reperitur solum species, seu repraesentatio objecti, absque ulla compositione. At repugnat ut species objecti sit objecto difformis, quippe quæ est ipsum objectum intentionaliter : vel ergo nullatenus cognoscitur objectum, vel species est necessario ipsi adaequata. Implicat ergo ut falsitas apprehensioni incomplexæ subsit. Eadem ratio evincit falsitatem non inveniri *per se* in apprehensione etiam complexa, quia non est proprie compositio aut divisio.

Quod vero falsitas apprehensioni complexæ subesse per accidens possit breviter probatur.

Actus qui est via ad judicium falsum continet falsitatem saltem inchoative et per accidens, Atqui apprehensio complexa potest esse via ad judicium falsum. Ergo apprehensio complexa potest continere falsitatem inchoative et per acci-

dens. Declaratur minor. Apprehensio complexa potest esse via ad judicium falsum dupliciter ; uno modo secundum quod intellectus definitionem unius attribuit alteri, ut definitionem circuli homini ; alio modo secundum quod partes definitionis componit ad invicem quæ simul sociari non possunt, ut animal rationale quadrupes (1).

V. — Tertia conclusio. In sensibus non est proprie et formaliter veritas ; bene tamen veritas quædaxn materialis.

Prima pars conclusionis ex dictis liquet. Veritas proprie et formaliter habetur in facultate cognoscente verum, seu conformilatem cum objecto. Sed, « quamvis sensus proprii objecti sit verus, non tamen cognoscit verum ; non enim cognoscere potest habitudinem conformitatis suæ ad rem, sed solum rem apprehendit (2). »

Insuper, ad veritatem perfectam et formalem habendam oportet cognoscere et quidditatem et esse rei. Atqui sensus nec esse nec quidditatem percipiunt, sed tantum accidentia. Ergo veritas formalis sensibus adscribí nequit.

Ostenditur IIa pars. Cognitio sensuum fit per speciem propriam, quæ necessario est conformis objecto. Ergo sensus est verus respectu proprii objecti. Præterea, sensus percipiunt accidentia externa et ea renuntiant intellectui. At ipso quod intellectum de accidentibus moneant et certificent, sensus mentem movent ad judicandum accidentia in aliquo subjecto sustentari. Ergo sub illo respectu judicium aliqualiter præparant, et ita inchoative et participative verilate quadam gaudere possunt.

VI. — Quarta conclusio. Veritas aut falsttas perfecta habetur in intellectu componente et dividente, eeu in judicio.

Probatur, evolvendo argumenta jam allata. Arg. Tnm. Veritas perfecta illa dicitur quæ est perfectio intellectus. Sed perfectio intellectus est verum cognitum. Ergo veritas perfecta est veritas cognita. Sed veritas cognita- est in intellectu componente et dividente. Ergo.

Major ex se liquet; declaratur minor. Illud est perfectio in-

(1) **I. P. q. 17. art. HI.**
(2) **Cf. I** *Sent,* **dist. 19.**

tellectus ad quod intellectus tendit tanquam ad terminum et quo habito quiescit. Sed intellectus habet pro intento verum ut cognitum : quamdiuenim verum non cognoscit, quiete non gaudet ; et econtra, cum videt se cognoscere verum, plene satiatur et delectatur ut in sui perfectivo.

Probatur ultima minor. Cum veritas sit conformités intellectus cum objecto, cognoscere veritatem est cognoscere hanc conformitàtem, saltem in actu exercito. Sed in judicio cognoscitur conformitas cum objecto, saltem in actu exercito. Ergo veritas cognita reperitur in judicio.

Explicatur. Cognosci potest veritas in actu *signato* et in actu *exercito.* In *actu signato*, cum intellectio ordinatur ad percipiendam ipsam conformitatem directe et explicite, ita ut cognitio conformitatis sit terminus intellectionis, quasi diceret intellectus : *Cognosco explicite me esse conformem objecto.* In actu vero *exercito,* cum intellectio directe fertur ad aliud objectum quam ipsam conformitatem, sed ipso exercitio istius actus implicite percipit se esse objecto conformem. Cum dico: *Duo et duo sunt quatuor,* intellectus directe fertur ad affirmandum *illam veritatem,* at ipso exercitio illius affirmationis, implicite deprehendit se esse objecto conformem et adæquatum.

Porro, ut omnes monent auctores, sufficit cognoscere conformitatem in actu exercito. Ut enim mens plene quietetur, non necessario debet supra se reflectere, sed sufficit ut rem ipsam esse vel non esse affirmet, et hoc ipso actu cognoscat se osse ipsi rei adæquatam. Hæc autem cognitio conformitatis implicita habetur in omni judicio. In omni namque propositione intellectus cognoscit conformitatem praedicati cum subjecto. Sed subjectum tenet locum rei, prædicatum vero est forma quam intellectus rei tribuit. Ergo in omni judicio intellectus percipit formam quam habet de re, ideoque suam cognitionem quæ illi respondet, esse rei conformem. Ergo implicite cognoscit conformitatem suse cognitionis cum objecto.

Ad plenam hujus argumenti intelligentiam, notandum est intellectum quatuor modis posse perfici et rebus conformari : Primo, per speciem intelligibilem, qua recipit in se rei similitudinem, sed nondum rem intelligit. Secundo, persimplicem conceptum quo rei quidditatem apprehendit. Tertio, per pro-

positionem apprehensivam quam intellectus format non asserendo nec judicando, ut contingitin dubitantibus. Quarto, per propositionem judicativam quam format intellectus asserendo et dicendo, seu judicando, ut cum assertive pronuntiat : Homo est risibilis. Et tunc primo intellectus est verus formaliter. Nam verum est perfectio intellectus. Porro non censetur intellectus absolute perfectus per solam propositionem apprehensivam, quia per istam rebus non conformatur, sed per judicium, quia tunc rei conformatur cognoscendo ipsam sicuti est.

Confirmatur. Omnis alia operatio nostri intellectus ad hoc ordinatur ut judicet do rebus quales sint, quibusdam quædam tribuendo, quædam removendo. Ergo tunc solum suam perfectionem assequitur et tunc primo cognoscit et dicit verum, quum per tale judicium rebus ipsis conformatur (1).

Arg. II"". Veritas magis proprie et principaliter fundatur in esse rei quam in ejus quidditale. Atqui judicium versatur circa esse rei. Ergo judicium proprie et principaliter habet veritatem. Probatur major. Veritas fundatur in ente, et in eo quidem principalius quod est principalius ens. Porro unumquodque dicitur principalius ens ab actu essendi. Ergo veritas principalius fundatur in actu essendi. Sed quidditas est ens potentiale, ipsum vero esse est ens actuale, seu actus essendi. Ergo veritas magis fundatur in esse rei quam in essentia, seu quidditate. Minor declaratur. Dum apprehensio quidditatem tantum refert, judicium affirmat rem esse.vel non esse. Affirmare autem rem esse vel non esse, est versari circa ipsum esse rei. Ergo judicium ipsum rei esse attingit.

Hoc argumentum, quoad substantiam, deprompsimus ex D. Thomas (2). « Esse dicitur dupliciter. Uno modo, esse est ipsa quidditas vel natura rei, sicut dicitur quod definitio est oratio significans quid est esse ; definitio enim quidditatem rei significat. Alio modo, dicitur esse ipse actus essenti®, sicut vivere quod est esse viventibus est animse actus... non actus secundus qui est operatio, sed actus primus. Tertio modo dicitur esse quod significat veritatem compositionis in propositionibus, secundum quod *est* dicitur copula ; et secun-

(1) Cf. Babkez, in Ianj P. q. XVI, a. II.
(2> I Seni. Dist. 33, q. I, art. I, ad. I.

dum hoc esi in intellectu componente et dividente quantum ad sui complementum, *sed fundatur in esse rei quod est actus essendi.* »

Falsitas autem, cum opponatur contrarie veritati, invenitur perfecte ubi salvatur perfecte veritas : contrariorum enim est eadem ratio. Ergo in operatione in qua inveniri potest plena conformitas, contingere etiam potest plena difformitas cum objecto, seufalsitas perfecta. Hæc autem operatio est judicium.

VII. — Veritas est in judicio tanquam in summo analogato. Veritas et falsitas dicuntur analogice de sensibus, de apprehensione, de vocibus, de rebus et de judicio ; judicium quidem est summum analogatum, cætera vero secundaria analogata. Illud quippe est summum analogatum in quo ratio nomine signi ficata invenitur proprie et principaliter; secundaria autem analogata dicuntur quæ rationem nomino significatam habent secundario et per respectum ad primum. Sed ratio veritatis vel falsitatis salvatur proprie et principaliter in j udicio ; in simplici autem apprehensione et in sensu reponitur secundario, in quantum ordinantur ad judicium; in vocibus vero in quantum sunt signa judicii veri vel falsi ; in rebus demum in quantum possunt progignere judicium verum vel falsum. Ergo.

VIII. — Solvuntur difficultates.

I0 In Deo est perfecta veritas. Atqui in Deo non est compositio et divisio. Ergo perfecta veritas non invenitur solum in compositione et divisione..

Resp. Dist. min. In Deo non est compositio et divisio, quia ejus simplex intelligentia est altioris ordinis ac nostra apprehensio, et eminenter complectitur omnem perfectionem quæ est in judicio, concedo ; quia est ejusdem ordinis cum nostra apprehensione, nego. Et nego conseq.

Deo adscribí nequit compositio et divisio, quia uno simplicissimo intuitu omnia videt quæ sunt in re ; nec indiget diversos conceptus comparare, cum omnia unico conceptu et unica specie comprehendat. Unde ejus simplex apprehensio vjiinenler complectitur quidquid est in judicio. At in nobis

ideo apprehensio compositione vel divisione caret, quia mens nondum plene perspicit conformitatem prædicaticum subjecto: quapropter in nobis apprehensio est cognitio imperfecta, ideoque inchoate et imperfecte tantum ratipnem veritatis sustinet.

2° Veritas plenius invenitur in actu qui magis excludit falsitatem. Atqui apprehensio magis excludit falsitatem quam judicium. Ergo veritas magis in apprehensione quam in judicio reponenda est.

Resp. Dist. maj. Ille actus plenius continet veritatem si magis propellit falsitatem,.ratione suæ perfectionis, concedo ; si excludit falsitatem solum ratione imperfectionis suæ, quia nempe est incapax veritatis et falsitatis completa?, nego. Contradis!. min. et nego conseq.

Ratio cur apprehensio non admittat falsitatem, ex perfectione cognitionis non provenit, sed ex hoc quod apprehensio nihil possit asserere de convenientia prædicati cum subjecto. At nihil posse exprimere de tali convenientia arguit sane imperfectionem. Ergo, licet judicium possit facilius privari sua veritate perfecta quam apprehensio sua veritale imperfecta, non inde evincitur veritatem magis proprie in apprehensione reperiri.

3° Veritas perfecta est in qua intellectus invenit quietem. Sed intellectus non adipiscitur quietem in judicio, nam facto judicio, ulterius inquirit. Ergo veritas perfecta non est in judicio.

Resp. Dist. maj. Veritas perfecta est in qua intellectus adipiscitur quietem vel absolutam vel relativam, concedo; semper absolutam, nego ; contradistinguo minorem, et nego conseq.

Sufficit ad veritatem perfectam ut intellectus inveniat quietem respectu rei quam hic et nunc quærit. Id autem plene nanciscitur dum elicit judicium. Postea quidem poterit ad nova judicia assurgere, nec quiete absoluta gaudebit nisi cum nulla veritas remanebit ulterius addiscenda. Sed hæc quies non requiritur, imo nec possibilis est in præsenti statu.

IX. — De ratione formali veritatis logices constitutiva. Ex hucusque explanatis genuina colligitur notio veritatis lo-

gicae. Nonnulla lamen addenda sont de formali ratione illius constitutiva. Durandus opinatus est veritatem logicam formaliler consistere in conformitate rei ut cognilæ secum ipsa; Subjectivisiæ autem in conformitate ipsius cogitationis secum ipsa; Scholastici vero in conformitate seu adæquatione cognitionis cum re, seu conceptus formalis cum objecto.

Prima opinio stare non potest. Veritas quippe logica est veritas imaginis respectu rei repraesentabo : nam est veritas cognitionis, quæ est assimilatio cuín re. Atqui imaginis veritas non in eo reponitur quod res sit secumipsa conformis, v. g. quod Socrates repræsentatus sit secumipso conformis ; sed in eo quod imago sit conformis cum re, seu quod' rem ipsam exacte referat v. g. quod imago Socratem reapse repraesentet. Ergo veritas logica in conformitate rei cognitæ secum ipsa non reponitur.

Errorem autem subjeclivistarum passim profligamus. Sufficiat in praesenti hæc pauca animadvertere. Si veritas est conformitas cogitationis secumipsa, cogitatio erit veritatis fons et norma: hinc homo erit dives, sapiens, eo ipso quod percipiat se esse divitem, sapientem ; quod tamen non contingere ingemiscunt omnes. Restat ultima sententia. Quæ breviter probatur. Veritas logica, ut diximus, est veritas imaginis cum objecto repraesentato. Atqui veritas ima. ginis consistit iu assimilaiione, seu in adæquatione et convenientia intentional! cum objecto. Ergo veritas logica est assimilatio seu convenientia intentionalis, seu adsequatio actus cognoscitivi cum objecto cognito. « Veritas intellectus (seu veritas logica), ait Angelicus, est adæquatio intellectus et rei, secundum quod inteliectus dicit esse quod est, vel non esse quod non est (1) ».

Veritas igilur logica est ipsa cognitio ut rei adæquata. Non addit, cognitioni novam entitatem, nam cognitione eadem realiter permanente, si res mutetur, iit affirmatio falsa quæ prius erat vera. Attamen addit connotalionem conformilatis ad objectum : non importat solam cognitionem, secus omni cognitioni conveniret veritas, sed cognitionem reduplicative ut »'ei conformem et adæquatam. Quo pacto veritas logica est realis

(1) I. *Cont. Gent.,* **cap.**

et positiva cognitionis perfectio, non quidem tanquam nova entilas cognitioni addita, sed in quantum dicit cognitionem positive conformem suo perfectivo, quod est objectum.

Porro hæc conformitas quæ veritatem proprie et formaliter constituit est conformitas intellectus componentis et dividentis cum objecto, ut supra ostensum est. Quare forma veritatis logicas proprie, perfecte et ultimate constitutiva est conformitas judicii cum re. De veritate rerum alibi disseritur (1).

X. — De ipsa adæquatione. Adæquatio intentionalis in qua consistit veritas formalis non est inter ipsum intellectum etiam specie impressa informatum ot rem, nam hoc modo intellectus non est actu cognoscens; neque etiam inter ipsam operationem, aut verburn intellectus, et rem, cum res interdum sit materialis, intelligere vero et verbum sint immaterialia. Restat igitur ut adæquatiosit inter actum quo intellectus judicat rem ita se habere sicut est forma quam de re apprehendit, et ipsam rem prout in se est (2).

Quamvis adæquatio illa non sit physice aut mathematice, sed intentionaliter tantum, æstimanda, semper tamen intellectus et res debent adaequari in ordine representativo. Fac velim cognitionem non esse rei omnino adaequatam in repraesentando, jam habes rem ex parte tantum cognosci. Ergo intellectus non attingit perfectam illius veritatem, sicut imago quæ non adæquat exemplar non est perfecte vera. Sicut igitur in tantum est imago vera in quantum objecto representando adaequatur, ita cognitio in tantum reputabitur vera in quantum rebus assimilabitur et adaequabitur, illas referendo sicut revera sunt. Semel admisso veritatem cognitionis esse veritatem imaginis, illico innotescit thomisticæ definitionis legitimitas. Veritas est adæquatio intentionalis inter intellectum et rem, quemadmodum imago est adæquatio in representando inter ipsam imaginem et rem repraesentatam.

XI. — Quid sit res cui intellectus dicitur adaequari. Nomine rei hic intelligimus vel objectum *actuale* vel objectum

(1) Ont. Tract. II, q. J. art. iv«
Cf, I, F. q, IQ. a. 9.

idee'*. Respectu quidem cxistentium veritas est adæquatio intellectus ".urn io actuali, in natura existent!; respectu vero idealium veritas est adæquatio intellectus cum re secundum essentiam considerata, abstrahendo ab existentia. Sic, quum dico : Triangulus habet tres angulos, veritas cognitionis non exposcit ut de facto existât triangulus, sed ut cognitio mea sit conformis essentiæ illius rei, quatenus ego asseram triangulo competere tres angulos et de facto essentia trianguli sit tres habere angulos. Semper ergo veritas est adæquatio cum re; sed quandoque est adæquatio cum re actuali, quum dico rem existere et de facto existit : *Christus resurrexit, Pius X est Papa* ; quandoque est adæquatio cum re ideali, quum dico hanc esse rei essentiam et de facto hæc est rei esssntia : *Linea recta est inter duo puncta brevissimum iter.* Licet nullam realitatem in natura haberet linea recta, verum esset illius essentiam importare quod sit omnium brevissima. Intellectus ergo erit rei adæquatus, si ita esse affirmat illius essentiam.

QUÆSTIO SECUNDA

De veritatis existent!».

Circa veritatis existentiam tria sunt expendenda : Primo, quid sit sentiendum de scepticisme universali absoluto ; secundo, an in veritatis exislentia inquirenda uti liceat soepticismo universali hypothetico ; tertio, an uti liceat saltem scepticisme» partiali hypothetico seu dubio methodico.

ARTICULUS PRIMUS

BE SCEPTICISMO UNIVERSALI ABSOLUTO

I. —· Dogmatismus et scepticismus. Innatum est nobis veritatis et certitudinis desiderium ; certitudo enim generi humano ad vitam cum privatam tum socialem necessaria omnino est. Natura porro in necessariis non deficit; quare in animo nostro quasi inserta est firma et invincibilis persuasio quarumdam verilatum de quibus dubium movere non possumus, nisi naturæ nostræ violentiam inferamus. Philosophus hanc primitivam certitudinem supponere debet, munusque habet illius fundamenta inscrustari et rimari. Qui ergo tenent dari veræ certitudinis fundamenta, certiludinemque nullis posse destrui argumentis, dicuntur *Dogmatici,* (δοχεω, δογματίζω). Juxta ipsos certitudinis existentia est factum naturale quod

non debet demonstrari, quia est evidentissimum et supponitur ceu fundamentum omnis demonstrationis ; quod nec potest impugnari, quia eo ipso quod impugnetur, affirmatur. Nam qui serio impetit certitudinem, implicite ponit se vera et certa proferre.

Dogmatism, opponitur*Scepticismus.* In principio, sceptic?, (græce, σ«πτιχ<5ι, a radice σκέπτομαι) id est, *observatores, inquisitores,* non erant illi qui certitudinem impetebant, sed qui existimabant veritatem ante ipsos non fuisse adinventam et comprehensam, et idcirco totum studium impendebant ad veritatem et certitudinem, quaerendam, observandam· Unde gloriabantur se esse *observatores, consideratores,* (σχἰπτικοχ). Postea, translatum est nomen ad eos designandos qui statuunt philosophi quidem esse veritatem et certitudinem inquirere, sed nunquam posse ab ipso certitudinem obtineri. Sceptici itaque dicuntur qui certitudinem scienlifìcam infi-ciantur.

II. — Scepticismi brevis historia. Scepticismo viam paravit schola *Naturalistica,* Cum enim primi philosophi causas materiales tantum agnoscerent, et cum res materiales in perpetuo sint fluxu, sequebatur non dari cognitionem firmam, necessariam, certam. Hujus erroris patroni fuerunt Heraclitus, Cratylus, Empedocles, Democritus.

Scepticismo locum dederunt Sophistae, Protagoras et Gorgias, qui tenebant cognitioni nostræ nihil objectivi respondere, sed solum repraesentationes mere subjectivas.

At scepticism! proprie dicti propugnatores fuerunt Pyrrhonistæ et Academici. Scepticismus *pyrrhonicus,* seu *absolutus,* statuit nihil cognosci aut percipi posse. Pyrrho ejusque sequaces concedebant quidem cognosci rerum apparentiae, phaenomena, sed asserebant naturam rerum esse menti nostræ inaccessam et inaccessibilem. Et hoc Pyrrho probare conatus est decem- argumentis, desumptis ex parte subjecti cognoscentis, ex parte objecti cogniti, et ex relatione intei utrumque. Cum ergo nihil de objectivitate reali constet, mens debet suum assensum cohibere vel saltem suspendere. Pyrrhonicum autem scepticismum defendendum susceperunt

Timo, Ænesidemus ; postea Sextus Empiricus, qui scepticism! placita in systema redegit, et insignis habetur inter Scepticos.

Scepticismus *academicus* est aliqualiter *temperatus.* Triplex, ut notum est, fuit Academia. Prima sub Platone ; secundae parens est Arcesilaus, tertiae vero fundator est Carneades (A. C. 215-125). Arcesilaus opinatus est nihil esse quod a nobis sciri possit. Quæ quum ita sint, in eligendo bono et reprobando malo sufficit majorem sequi probabilitatem ; in cæteris vero debemus assensum cohibere. Carneades vero adhuc doctrinam istam temperavit, admittens verisimile et probabile a nobis posse haberi, quæ probabilitas sufficit ut vita philosophi scite regatur.

Ab hac luctuosissima peste Christianismus humanam mentem liberavit, et, diffusa Ecclesia per orbem, scepticismus in oblivione fuit fere sepultos. Sed, facta separatione inter Philosophiam et Theologiam, perturbatis veræ Philosophise notionibus, peracta etiam protestantica rebellione, iterum redivivus apparuit scepticismus. Celebriores patronos ab hoc tempore habuit Montaigne, Charron, Sanchez; postea Bayle, Hume; nec tali delirio ætas nostra immunis fuit. Transcendentales etiam Germani aliam speciem scepticism! induxerunt, qui *Criticismus* est appellatus. Negant certitudinem naturalem et contendunt per criticam rationis puræ effici et creari certitudinem.

Scepticisme ansam plus minusve præbent illi omnes qui inficiantur doctrinam scholasticam .de unione animæ cum corpore. Nam qui tenent solam animam esse de hominis essentia ad subjectivismum idealisticum facile confugiunt, docentes cognitione nostra directe attingi solum modificationes subjecti cogitantis ; qui vero animam negant, vel intellectum cum sensu confundunt, utEmpiristæ, Sensistæ, Materialist#, autumant a nobis cognosci directe nostras sensationes tantum, seu modificationes sensuum. At, si directe attingimus solum nostras modificationes sive intellectivas sive sensitivas, qua ratione constabit de objectiva rerum existentia? Hinc via et lapsus in dubium universale.

III. — Scepticism! causae. Aristoteles duplicem assignat scepticism! causam : primam debilitatem et ignorantiam intellectus, qui non potest sophistarum cavillationes solvere, et idcirco anceps hæret ; alteram vero proterviam mentis ; multi quippe vel superbias et ostentationis, vel etiam, quod frequenter accidit, quæstus causa, subvertere conati sunt quæ inconcussa apud omnes habentur.

Addi potest tertia causa respectu moderni scepticism! : videlicet, infensum divinæ revelationis odium. Cum enim Christiana fides certitudine veritatum aeternarum hominem a materialibus et corporeis voluptatibus deterreat, et mentem ad spiritualia attollat, impii homines, ut secura pace vitiis indulgerent, fidem convellere convellendo fundamenta certitudinis totis viribus aggressi sunt.

IV. — Sceptioismi divisio. Scepticismus definitur : *Systema negans aliquod legitimum certitudinis motivum, vel omnia simul.* Duplex ergo est: *universalis,* qui in dubium vertit omnia certitudinis principia, *particularis,* qui unum vel alterum tantum motivum rejicit. Iste vero iterum subdividitur secundum diversa motiva quæ in dubiuin vertuntur. Dicitur *subjectivus,* si respuit certitudinem subjectivam ; oò/ec/wws, si negat realitatem nostrorum conceptuum objectivam ; *empirismus,* si, non rationis principia, sed tantum experientiam admittit ; *idealismus,* si veracitatem sensuum inficiatur ; *rationalismus,* si revelationis auctoritatem rejicit ; *fideismus,* si rationis vim non agnoscit ; *historicus,* si humani testimonii in rebus facti auctoritatem contemnit. De universali scepticismo in præsenti est sermo, de cæteris agetur cum vim singulorum criteriorum stabiliemus.

Scepticismus universalis dicitur *absolutus,* si quis ideo dubitat ut in dubio remaneat ; *hypotheticus* vero, si dubium td hoc solum inducitur ut inde rectior et facilior habeatur ratio ad philosophandum et ad certitudinem firmius adslruendam.

V. — Principia sceptioismi absoluti. Præsens disputatio est de scepticismo universali absoluto. Hic duplici principio

nititur. Primum est : ratio non potest suam probare voracitatem ; hinc omnis affirmatio rationis est gratuita. Quod non possit probare, constat, ut enim ratio suam probet veracitatem, seipsa utitur. At non potest recte aeipsa uti, nisi supponat seipsam veracem. Ergo non probat, sed supponit suam veracitatem. Est igitur petitio principii, seu διίλληλα, in hoc consistens quod unum per alterum, seu idem per idem probetur. Quam objectionem ita expressit Montaigne: « Pour juger des apparences que nous recevons des objets, il faudrait un instrument judicatoire. Pour vérifier cet instrument, il nous faut de nouveau un instrument: *nous voilà au rouet* ». Secundum principium : ratio ex sua natura insolubilibus subjacet contradictionibus seu antinomiis, quod clarissime constat ex Philosophise historia in qua videmus sapientes contradictoria docuisse.

Ad confútationem hujus pestifera doctrinæ sit :

VI. — Prima conclusio. Soepticîsmus ita absurdus est ut propugnari non possit quin eo ipso impugnetur. Vel scepticus agnoscit aliquem sensum in verbis quæ adhibet, vel nullum. Si nullum, jam actum est de defensione sui systematis ; nec quidquam in favorem suæ sententiae probare, nec quidquam contra nos objicere valet. Est igitur omnino impotens tum ad se defendendum tum ad alios impugnandos. Nec gloriari potest scepticus se esse irrefutabilem. Nam qui nihil affirmat nihil habet quod sit refutandum. Sed scepticus, si nullum agnoscit in vocibus sensum, nihil affirmat. Ergo nihil profert quod refutandum sit.

Si vero determinatum sensum profitetur in verbis quæ adhibet, sic contra ipsum arguimus : Qui agnoscit in determinato verbo determinatum sensum, eo ipso confitetur hoc verbum et hunc sensum a suo contradictorio distingui. Sed hoc admittere est assere principium contradictionis. Ergo scepticus non potest serio veritatem principii contradictionis impugnare quin ipso facto illam profiteatur.

Verum pressius adhuc urgemus scepticum. Ut agnoscat determinatum sensum in vocabulo, debet fidere suæ rationi quæ sensum intelligit, suæ loquelæ quæ vocabulum profert,

suis auribus quæ vocabulum audiunt. Ergo, eo ipso quod scepticus serio propugnet suum assertum, admittit voracitatem suæ rationis, veracitatemque sensuum, ideoque impugnat suum principium : *De omnibus est dubitandum.*

Iterum potest scepticus ad silentium cogi hoc modo : Vel conscius est sui dubii vel non. Si dubii conscientiam non habet, non potest dicere : *Dubito,* et tunc evanescit scepticismus. Si autem conscius est sui dubii, ergo admittit se esìstere, se habere conscientiam et conscientiam esse veracem ; pariter, agnoscit dubitare et non dubitare non esse idem, quod est profiteri principium contradictionis. Sicque actum est de principio scepticorum : *De omnibus est dubitandum.*

Si dicat scepticus : Nescio num habeam conscientiam mei dubii, reponimus ; Quid est nescire ? Habesne conscientiam te nescire ? Habesne conscientiam te dicere: Nescio ? Si intelligas quid sit nescire, jam aliquid agnoscis. Ad rem Augustinus: « Omnis qui se dubitantem intelligit, verum intelligit, et de hac re quam intelligit, certus est ; de vero igitur certus est. Omnis igitur qui utrum sit veritas dubitat, in seipso habet verum unde non dubitet, nec ullum verum nisi veritate verum est. Non itaque oportet eum de veritate dubitare qui potuit undecumque dubitare » (1).

Ex quo eruitur :

VII. — Secunda conclusio : Soepticismus, ut tactum et ut doctrina,est impossibilis (2). Sceplicismus ut lactum est status nrnlis in quo quis vere et serio propugnaret de omnibus ess · dubitandum, nullo omnino excepto. Atqui, utconstatex dictis, hic status mentis est impossibilis ; non enim potest scepticus serio propugnare suum assertum nisi admittat sensum in vocibus, ideofjue suam existenliam, suam rationem, principium contradictionis, etc... Ergo scepticismes ut factum est impossibilis.

Eadem ratio evincit scepticismum ut doctrinam esse impossibilem. Illa enim doctrina implicat quæ eodem actu

(1) *De Vera fielig.* **Gap. xxxvi.**
(2) **Cf.** Pesch. *Instit. Logic* , **n08 576 et seqq.**

ponit id ipsum quod intendit tollere. Atqui scepticus eo actu quo intendit tollere omnem certitudinem ponit certitudinem, saltem circa suam existentiam, suam conscientiam, sensum verborum quæ adhibet, etc... Ergo scepticismus ut doctrina omnino est impossibilis.

Vili. — Tertia conclusio : Scepticismus naturæ adversatur, reddit vitam impossibilem, moralitatem evertit. Hæc conclusio ponenda non est primo loco contra scepticos, qui nec naturam nec moralitatem admittunt ; sed incipiendum est ab argumentis quasi ad hominem, quæ adversarium ad silentium cogant ; postea vero si rationabilis efficitur, addetur hoc ultimum argumentum ; si autem in sua protervia remaneat, hæc thesis erit ad eos instruendos qui sanœ sunt mentis.

Probatur Ia pars conclusionis. Natura toto suo impulsu tendit ad scientiam ; quod implicite fatentur sceptici, dum se ad philosophandum convertunt. Atqui de omnibus dubitare est sibi praecludere viam ad scientiam. Ergo de omnibus dubitare est naturæ impulsui adversari. Probatur minor. Dubitatio est sicut vinculum corporale ad corpus et eumdem effectum demonstrat... Sicut enim ille qui habet pedes ligatos non potest in anteriora procedere secundum viam corporalem, ita ille qui dubitat non potest ad anteriora procedere secundum viam speculationis. Imo, qui dubitat de omnibus pejoris est conditionis quam qui habet vinculum corporale. Vinculum enim corporale potest removeri ; sed dubium universale est vinculum quod nullatenus removeri potest ; quidquid enim removeret ipsum esset aliquod principium expellens dubitationem. Sed in dubio absoluto nullum superest principium (1). Ergo.

Ostenditur IIa pars. Ut vita possibilis sit, homo debet admittere ipsam vitam, suasque facultates, ipsis fidere, ipsis uti ; ut vitam socialem agat, debet cum cæteris conversari, ideoque sensum agnoscere in suo sermone, etc. Sed scepticismus absolutus nec vitam, nec facultates, nec sensum in vocibus profitetur. Ergo scepticismus vitam reddit impossibilem,

(1) Cf. S. Thomab, Mt *folaplqie.,* lect.),

III pars etiam liquet. Scepticus non excludit a suo dubio conscientiam, libertatem, bonum et malum, Dei existentiam, etc... Sed sine conscientia el libertate, sine boni et mali notione nulla concipitur moralitas. Ergo.

IX. — Solvuntur difficultates. I0 Optimum est systema quod est irrefutabile. Atqui sceplicismus est irrefutabilis. Ergo est optimum philosophandi systema.

Resp. Dieting. maj. Optimum est systema quod est irrefutabile propter motiva quæ affert, concedo ; quia nihil profert quod sit refutandum, nego. Contradist. min. Sceplicismus est irrefutabilis propter motiva quæ affert, nego ; quia nihil asserit quod sit refutandum, concedo ; et nego conseq.

Hæc objectio praeoccupata est. Vel scepticus sensum admittit in vocibus, et jam confutationi subjicitur ; vel nullum sensum agnoscit, et tunc nihil affirmat, nihil revera objicit nihilque profert quod sit refutandum.

2° Nihil admitti potest ut certum nisi sit probatum. Sed prima principia non sunt probata. Ergo admitti non possunt ut certa ; et consequenter omnis affirmatio rationis quæ ipsis nititur gratuita omnino est.

Resp. Dist. maj. Nihil admitti potest ut certum nisi sit demonstratum, si indigeat demonstratione, concedo ; si non indigeat, nego ; contradistincta minore, nego conclusionem. Quemadmodum ut cognoscatur lucem distingui a tenebris, non requiritur aliud nisi lux ipsa, ita, ut certificemur prima principia esse certa, non aliud postulatur nisi ipsa lux quæ ipsis inest. Sicut homo, apertis oculis, non potest non videre esse diem, ita intellectus non potest non percipere prima principia esse certa.

Quare argumentum διαλληλα nihil cogit, nam ratio alio principio non indiget, sed ipsa seipsam manifeste probat, sicut lux seipsa ponitur.

Instabis. Ratio dum se probat, se supponit. Ergo omnis affirmatio rationis est gratuita.

Resp. Distinguo antecedens. Se supponit gratuito et cœco modo, nego ; se supponit, quia liquido videt seipsam poni, eo ipso quod agat, concedo ; et nego consequentiam. Ratio

dum videt se agere, videt seipsam poni. Id autem non est supponere se gratuito, sed aliquatenus se probare suo ipso actu : potius ergo se ponit et se probat quam se supponit.

3° Esto ratio videat se poni suo actu, non tamen potest sibi fidere. Nam nulla fallibili debetur lides. Atqui ratio est fallibilis. Ergo.

Resp. Dist, maj. fallibili per se nulla debetur lid , concedo; fallibili per accidens, nulla debetur fides subdis: : circa ea in quibus fallitur, concedo ; circa omnia, nego. Contradist. min.: Ratio est fallibilis per se et circa omnia, nego ; per accidens et quoad aliqua tantum, concedo. Ergo rationi nulla debetur fides circa quædam in quibus apparet ipsam errasse, concedo ; circa omnia, nego.

Instabis : Atqui ratio est per se fallibilis, quod sic ostenditur. Illud est per se fallibile quod est fallibile natura sua. Atqui ratio est fallibilis natura sua. Ergo.

Resp. Ad probationem subsumpti, dist. maj. Illud est fallibile per se quod est fallibile natura sua, hoc sensu quod natura sua ordinetur necessario ad errorem, concedo ; quod est fallibile natura sua, hoc sensu quod a natura sua habeat solum ut possit falli, nego. Contradist. min. Ratio a natura sua habet ut possit falli, concedo ; natura sua ordinatur ad errorem, nego ; et nego conseq.

Ratio humana est natura sua fallibilis in poteutia, quatenus natura permittit ut ratio possit deficere a vero, quo sensu dicitur : *Errare humanum est.* At natura sua ratio non ordinatur ad errorem, alioquin error in ipsum naluræ Auctorem refunderetur; sed natura sua ratio tendit ad suam perfectionem quæ est veritas. Ergo ratio per se ad veritatem fertur. Tendentia autem naturæ non potest universaliter deficere. Ergo necesse est ut circa quædam ratio veritatem adipiscatur.

4° Saltem ratio fallitur per accidens. Atqui timendum est ne fallatur per accidens circa omnia. Ergo debemus semper rationi diffidere. Probatur minor. Quando ratio fallitur non videt se falli. Ergo potest falli semper quin hoc deprehendat. Ergo timendum est nc semper fallatur, licet per accidens.

Resp. Nego min. Repugnat ut id quod est per accidens et præter naturam semper accidat, et id quod est secundum na-

turam nunquam contingat* quia tunc natura foret destructa. Ergo repugnat ut ratio* quæ natura sua ordinatur ad veritatem semper in errorem delabatur. Ad probationem vero minoris, distinguo antecedens : Cum ratio fallitur non agnoscit se falli, directe et explicite, concedo ; non potest cognoscere aut suspicari fallaciam sui discursus vi cujus in errorem inducitur* nego.

Cum enim ratio fallitur, id evenit vel quia falsis principiis nititur, vel quia illegitima est illatio ex veris principiis. Potest, autem ratio videre, aut saltem suspicari, falsitatem principiorum vel illegitimitafem illationis. Unde, cum fallitur, potest suspicari se falli. At, cum evidenter perspicit se nullam posse suspicari in suo actu deceptionem, certa omnino est se non falli. Quamvis igitur non videat se falli cum fallitur, videt tamen perspicue in multis casibus se non falli, imo nec falli posse, si agitur de principiis per se notis.

5° Historia testatur sapientes diversa et contraria docuisse. Ergo ratio natura sua antinomiis et contradictionibus subjacet ; hinc nullam meretur fidem.

Resp. Distinguo antecedens. Sapientes contradictoria docuerunt circa conclusiones non per se notas, concedo ; circa principia per se evidentia, nego ; et nego conseq. Philosophi et quique sapientes nunquam divisi fuerunt circa veritates per se evidentes ; si qui forte hæc principia in dubium verterunt, id non fuit ex intima persuasione, sed ostentationis vel quaestus causa (1).'

6° Optimum est systema quo omnis error cavetur. Atqui scepticismo, quo assensum cohibemus circa omnia, omnis error cavetur. Ergo.

Resp. I0 Potest negari minor. Quamvis enim dubium in se non sit error aut veritas, includere tamen potest errorem, si mens admittat ceu motiva dubitandi quæ revera non sunt motiva. Ostensum est autem nullum esse motivum de omnibus dubitandi ; quare hujusmodi dubium approbare est maximum profiteri errorem.

(1) « Je mets en fait qu'il n'y a jamais eu de Pyrrhonien effectif parfait. La nature s mtient la raison impuissante et l'empéche d'extravaguer iusau'à ce point ». Pascal, *Pensées,* **a. 33.**

Resp. *2°:* Distinguo majorem : Optimum est systema quo omnis error cavetur, per assecutionem veritatis, concedo; precludendo viam ad veritatem, nego. Contradistinguo minosem et nego conclusionem. Suspendere assensum ne error admittatur est agere sicut medicus qui timens ne ægrotum lædat, ipsum mori sineret; aut sicut stultus qui, ut venenum vitaret, ab omni cibo et potu abstineret (1).

(1) **Consuli possunt** Plato, *Gorgias, Sophista* ; **D.** Thomas, **in.** TII *Metaph.,* **lect. I;** Pascal, *Pensées,* **a. 32, et opuse.:** *Qu'il y a des certitudes d'un autre ordre et aussi complètes que celles de la géométrie;* Saisset, *Le Scepticisme ;* Paul Janet, *Traité de Philosophie, Métaphysique,* **c. π** ; Robert, *La certitude et les formes récentes du scepticisme ;* Ollé-Laprune, *La certitude morale;* Ancillon, *Essài sur le Scepticisme;* Vallet, *Sardismo et Positivisme,* **etc.**

ARTICULUS SECUNDUS

DE SCEPTICISMO HYPOTHETICO

I. — Exponitur dubium cartesianum. Dubitare de omnibus absolute constat esse absurdissimum ; sed dubitare de omnibus hypothetice et ad tempus, ut inde, positis novis principiis, veritas evidenti et inconcussa certitudine polleat, esine philosopho indignum? Putavit Cartesius talem dubitationem esse methodi initium omnisque verae Philosophiae fundamentum. Fingens se ab aliquo genio maligno illusum, statuit omnia esse in dubium revocanda, ne exceptis quidem primis principiis per se notis. De his quidem quæ sensuum testimonio nituntur dubitetur oportet, quia constat sensus quandoque falli ; de veritatibus etiam rationalibus et mathematicis dubium moveri debet, quia in his plures errant ; omnibus tandem cogitationibus debemus diffidere, quia in somniis similia experimur. Omnes ergo nostræ cognitiones in dubium revocandae sunt, perinde ac si magis veræ non sint quam somniorum illusiones. Sed, dum de omnibus dubitare conatur, animad vertit Geri non posse ut ipse, qui dubitat et cogitat, non sit. Unde hæc veritas : *Cogito, ergo sum,* ita est inconcussa, et ab omnibus scepticorum impugnationibus secura, ut possit tanquam primum Philosophiae principium accipi. Quo admisso exstrui poterit totum scientiae aedificium. En Gartesii verba : « Je rejetai comme fausses toutes les raisons que j'avais prises auparavant pour démonstrations ; et enfin considérant que toutes les mêmes pensées que nous avons, étant éveillés, nous peuvent aussi venir quand nous dormons, je résolus de feindre que toutes les choses qui m'étaient jamais entrées en l'esprit n'étaient non plus vraies que les illusions

de mes songes. Mais aussitôt après je pris garde que pendant que je voulais ainsi penser que tout était faux, il fallait nécessairement que moi qui le pensais fusse quelque chose ; et remarquant que cette vérité : « Je pense, donc je suis », était si ferme et si assurée que toutes les plus extravagantes suppositions des sceptiques n'étaient pas capables de l'ébranler, je jugeai que je pouvais la recevoir sans scrupule pour le premier principe de la Philosophie que je cherchais (1) ».

Quærunt auctores utrum dubitatio cartesiana fuerit realis an fictitia. Præcitata verba innuunt fuisse realeni. Idem prius asseruerat Cartesius : « Commençant à ne *compter pour rien* mes propres idées, à cause queje les voulais remettre à l'examen, j'ai jugé qu'il fallait entreprendre *sérieusement* une fois en ma vie de me défaire de toutes mes opinions (2) ».

Quidquid sit, non licet insimulare Cartesiuni impietatis cl scepticism*!, cum ipse a suo dubio expresse excludat veritates fidei, et solum instituat dubitationem ut facilius scepticus refellere possit. Non intentionem Auctoris, sed solum doctrinam impugnamus. Cæterum, licet *putaverit* Cartesius se *réalité?* de omnibus dubitare, non potuit tamen, cum dubitatio universalis sit omnino impossibilis. Vide infra n° V.

II. — Prima conclusio. Methodus cartesiana præcludit omnem viam ad philosophandum.

Probatur. Dubitare hypothetice de omnibus est admittere ad tempus scepticismum universalem. Atqui admisso vel ad momentum scepticisme universali, præcluditur omnis ad philosophandum via. Ergo. Argumentum liquet ex refutatione scepticismi absoluti. Qui enim dubitat de omnibus, in instanti quo dubitat nescit se habere conceptus, se adhibere verba, aut sua verba et suos conceptus aliqua gaudere significatione ; nescit quid sit cogitare, existere, etc.; non ergo intelligit principium : *Cogito, ergo sum.* At nisi intelligantur verba, conceptus, principia, impossibile omnino est progredi in inquisitione veritatis, dubitatio enim est vinculum intellectus. Ergo semel admisso scepticisme hypothetico cartesiano,

(1.) **Discours** *de la Méthode,* **quatrième partie**
(2) *Ibid.,* **troisième partie.**

etiam ad momentum, impossibile est ab illo exire, et præcludilur omnis ad veritatem calles.

III — Secunda conclusio : Methodus cartesiana contradictionibus implicatur. Cartesius eodem instanti quo admittit ut certum principium : *Cogito, ergo sum,* in dubium revocai ipsam rationem et principium contradictionis. Atqui principium *Cogito, ergo sum* exposcit veracitatem rationis et veritatem principii contradictionis. Ergo Cartesius contradictionem inducit admittendo suum assertum et dubitando do ratione et de principio contradictionis. Prob. min. Ut Cartesius admittat suum assertum, supponere debet suos conceptus sensu quodam gaudere, seque hunc sensum assequi. Porro facultas quæ conceptus efformat ct verborum siguificatonom intelligit est ipsa ratio. Ergo non potest profiteri suum principium quin eo ipso rationem admittat. Pariter, ex facto *Cogito* non potest inferri : *ergo sum* nisi concedatur impossibile esse ut aliquid cogitet et non sit, ut aliquid sit et non sit. Sed hoc est ipsum principium contradictionis. Ergo asserto cartesiano præsupponitur contradictionis principium. Unde, si dubium est principium : *Impossibile est idem esse et non esse,* dubium evadit : *Impossibile est cogitare et non cogitare; impossibile est cogitare et non esse.*

Ergo repugnantia profert Cartesius suum assertum admittendo, et rationem ac principium contradictionis in dubium revocando.

Arg. alterum. Quum idem motivum pro multis valet, non potest philosophus absque inconsequentia unum assumere, altero rejecto. Sed motivum quo assentimur conscientise, idem seque valet pro cæteris facultatibus: omnes enim sunt a Deo nobis inditae ut proprium objectum attingant. Si una accipitur ut verax, quidni cæteræ ? Ergo inconsequenter procedit Cartesius testimonium conscientiae circa factum *Cogito* admittendo, cæterarum autem facultatum testimonium rejiciendo.

Certus quippe nemo est se cogitare nisi inconcussam teneat hanc veritatem : Conscientia mea est verax. Sed conscientia quæ factum intellectivum ut cogitationem refert est

conscientia intellectiva, seu ratio. Ergo nisi velit Cartesius in manifestam prolabi contradictionem, debet vel rationis admittere testimonium, vel nullatenus conscientise fidere, quo casu nescit se cogitare.

IV. — Tertia conclusio. Principium : Cogito, ergo sum per se solum nihil probat.

Vel assumitur per nodum enthymematis, vel tamquam propositio immediata qua affirmatur exislentia ut manifestata per présentera cogitationem ; vel tanquam lactum experimentale subjectivum. Sed in nullo casu principium illud per se solum probat. Ergo.

Si primo modo accipitur, petitio incurritur principii. Petitio enim est principii ponere in antecedente ipsa existentia de qua præcise quæritur, seu affirmare id quod est probandum. Sed in antecedente *cogito* ponitur ipsa existentia quæ est probanda. Qui enim enunciai : *cogito* directe asserit : *sum cogitans.* Est igitur petitio principii concludere : *ergo sum.*

Unde ipse Cartesius in responsionibus ad objecta fassus est suum principium non esse per modum enthymematis accipiendum.

Si autem assumitur ut propositio immediata, nihil valet sine principio contradictionis. Nam, si dubium est principium : *Impossibile est idem esse et non esse* ; dubium erit : *Impossibile est cogitare et non esse.*

Si demum assumitur ut factum internum experiméntale, assignari nequit ut fundamentum totius certitudinis. Hoc enim modo est aliquid ordinis subjectivi. Sed ex ordine pure subjectivo ad objectivum non Iit gradus, nisi aliquid aliud addatur. Sicut namque nihil extra genus suum agit, ita nihil per se solum potest suum proprium ordinem transilire. Ergo, si habetur solum principium *Cogito ergo sum,* perpetuo in ordine subjectivo versabimur, nec ulla comparabitur certitudo objectiva.

Ex illa etiam methodo resultare possunt pericula in fide, quatenus vult Cartesius nullam haberi traditionum rationem, nihilque esse admittendum nisi in idea clara contineatur, quod affine est principio liberi examinis a Protestantibus invecto

Quarta conclusio : Dubitatio cartesiana sive ut doctrina sive ut factum est prorsus impossibilis.

Dubitare hypothetice de omnibus est admittere ad tempus sceplicismum universalem. Atqui sceplicismus universalis, sive ut doctrina sive ut factum, impossibilis omnino est, ut ostendimus art. præced. Ergo dubitatio cartesiana impossibilis est, « Descartes a mal lu dans sa conscience, lorsqu'il s'est imaginé qu'il pouvait douter que deux et deux pussent faire autre chose que quatre, qu'un carré pût avoir plus ou moins que quatre côtés... Le doute est possible en présence de toute proposition dont l'évidence n'apparaît pas immédiatement à l'esprit; mais l'évidence immédiate, soit d'ordre idéal, suit d'ordre réel, rend le doute physiquement impossible et nécessaire l'assentiment de l'esprit » (1).

Quinta conclusio : Absurda est hypothesis genii maligni, qui perpetuo nos illuderet. Debuisset Cartesius, qui Dei existentiani noluit in dubium revocare, animadvertere imprimis aon posse a Deo permitti ut genus humanum a malo igenio universaliter decipiatur. Admissa igitur interim facultatum veracitate, oportebat deinde facultates ex actibus propriis dignoscere, inquirere nempe utrum in operationibus cognoscitivis deprehendatur ille pravus genii cujusvis interventus. Comperisset autem ex actuum analysi facultates aptas esse quæ proprium objectum percipiant et exacte referant nec ullatenus a genio illo decipi. Eo ipso enim quod facultas agit, ponit et probat se esse aptam quæ cognoscat (2).

(1) **D.** Mercier, *Criteriologie,* **n° 44.**

(2) **Consuli possunt** Cartesius, *Discours delà Methode;* Royer-Couard, *Critique de Descartes ;* Balmès, *Philos, fowlament.,* **lib. I, et** *Le Protestan* tisme et le Catholicisme,* **tome I, c. tu** ; Mercier, *Grilli iolojie,* **Jib. II, c. i, a. IV.**

ARTICULUS TERTIUS

DE DUBIO METHODICO

I. — **Quid dubium methodicum. Ex** dictis constat dubitationem seepticam, sive absolute sive hypothetice, repugnare. Sed utiliter quæri potest num repugnet omnis dubitatio methodica. Dicitur vero dubium methodicum : *Suspensio judicii circa ea quæ dubitabilia sunt, donec veritas menti innotescat.* Differt multipliciter a dubio sceptico. I0 Dubium scepticum est universale ; methodicum autem est circa ea solum quæ sunt dubitabilia. 2° Scepticum praecludit viam ad veritatem ; methodicum vero instituitur quo rationabilior paretur ad veritatem via. 3° Scepticum est incurabile et definitivum, methodicum autem est transitorium, quod expellitur facia veritatis luce.

Dubium methodicum dividitur in *reale* et *fictilium. Reale,* est quum de facto suspenditur judicium ; *fictitium* vero, quum mens retinet assensum firmum veritati, ipsam tamen in quæstionem adducit et probare instituit, haud secus ac si de illa dubitaret.

II. — Conclusio. Dubitatio methodica philosopho utilis est et necessaria, modo intra debitos limites contineatur.

Probatur. I0 *Dubitatio excitat mentem ad investigandum.* Mens quæ de nullo scit dubitare quasi in somno torpet ; nihil investigandum aggreditur, cum nihil sit de cujus solutione anxia sitrEcontra, statim ac dubitat, deprehendit difficultatem esse cujus solutionem non habet ; porro hæc est natura intellectus ut quamdiu plenam difficultatis enodationem non attingit, angore quodam prematur et crucietur et hinc ad *so-*

lulionem inveniendam assurgat. Quo pacto excitatur ingenium, et progreditur scientia.

2° *Investigationem dirigit dubitatio.* Investigatio in id tendere debet de quo est difficultas. Sed id de quo est difficultas estid præcise de quo dubitatur. Ergo investigatio ipso dubio dirigenda est ; unde qui volunt inquirere veritatem non considerando prius dubitationem, assimilantur illis qui nesciunt quo vadant (1).

Ut autem limites dubitationis methodices definiantur diversæ statuuntur conclusiones. Sit ergo :

III. — Prima conclusio : De veritatibus primariis non potest etiam ficte dubitari.

Repugnat dubitare etiam ficte de veritatibus quæ sunt per se evidentes, indubitabiles, indemonstrabiles, quibus sublatis omnis demonstratio evadit impossibilis. Atqui sublatis primariis veritatibus omnis demonstrationis fundamentum corruit ; quod jam ex réfutai ione systematis cartesiani plene liquet. Recolatur insuper id quod pluries dictum est, nempe si principium demonstrationis sit demonstrandum, erit processus in infinitum ; quocirca omnis demonstratio initio carebit. Ergo hæc principia non possunt indubium, etiam fictum, revocari.

IV. — De tribus primariis veritatibus. Quot vero sint veritates quæ non possunt demonstrari? Multæ sunt numero, sed inter illas citantur tres insigniores quæ omni certitudini præsupponuntur et in omni judicio certo implicite **continoli** tur. Hoc modo illas proponit Cl. P. Pesch : « I0 Factum primum, quod est propria existentia ; 2° principium primum, quod est contradictionis principium ; 3° conditio prima, quæ est aptitudo facultatum cognoscitivarum ad assequendum cognitione id quod revera est » (2).

Existentia subjecti cogitantis non potest demonstràri etiam per modum enthymematis, dicendo : *Cogito^ ergo sum,* nam, ut dictum est, in ipso antecedente affirmatur ipsa existentia

(1) **D.** Thomas, **in III,** *Metaphys.* **lect. 3.**
(2) **Cf. P.** Pesch, *Institui. Logic-* **Pars II, p. 79.**

quæ esset probanda. *Cogito* enini sonat : *sum cogitans.*

Principium contradictionis non demonstratur quia ipso ni» litui* omnis demonstratio ; imo ipsa affirmatio propriæ existentiæ non tenet nisi supponatur hoc principium, ut art. præc. contra Carlesium ostensum est.

Vis et efficacia facultatis cognoscitivæ non demonstratur ; non enim valet demonstratio nisi admittamus rationem qua demonstratio fit aptam esse ad verum cognoscendum. Potest tamen indirecte et reflexe aliquo modo probari, ut infra ostendetur.

Tres illæ veritates caeleris aliqua ratione præsupponuntur. Nam in ordino subjectivo nihil prius est existentia subjecti cogitantis ; in ordine vero objectivo, nihil est prius principio contradictionis ; primum autem requisitum pro connexione ordinis subjectivi cum objectivo est vis et efficacia facultatis cognoscitivæ. Fac velim semel facultatem subjectivam aptam non esse adres objectivas percipiendas, impossibilis erit transitus omnis subjectivum inter et objectivum ordinem. Ergo in omni certitudine, seu in omni judicio certo, tres illæ veritates involvuntur.

Exemplo declaratur : Qui certus est de hoc judicio : *Deus est justus* eo ipso affirmat : *Deum non esse justum est impossibile,* quod est confiteri contradictionis principium. Secundo, cum judicat, videt suam conformitatem cum objecto, et implicite asserit se videre rem ita esse sicut affirmat. Sed, cum videat per rationem, non potest tenere se videre, nisi in actu exercito profiteatur suam rationem aptam esse ad videndum seu cognoscendum ; hinc admittit conditionem primam. Tandem, si affirmat se videre, ponit se esse, nam qui est videns est exislens ; factum primum. Igitur tres illæ veritates in omni judicio certo includuntur ; quare illas in dubium revocare est impossibilem reddere omnem demonstrationem et inane omne scienüæ tentamen. Ita recentiores Scholastici cum Tongiorgi, Pesch, etc.

V. An tres illæ veritates sint revera fundamentum certitudinis ? Disputant Neo-Scholastici (1) an tres illæ veri-

fi) Affirmant Tongiorgi, Pesch, **etc., negat D.** Meboieb

tales fundamentum sint certitudinis necne. Duæ sententiae videntur posse conciliari. Si nomine fundamenti intelligitur *fons* certitudinis, seu origo unde omnes aliæ certitudines derivantur, vel *motivum* quo de omni certitudine judicatur, concedendum est tres illas veritates non esse certitudinis fundamentum, quippe quæ nec motivum formale sunt omnis judicii nec fons et origo. Si nomine fundamenti intelligitur aliqua veritas quæ assumatur formaliter ut præmissa demonstrationis, vel quæ in actu signato et reflexe prius cognoscatur, etiam liquet præfatas veritates non esse fundamentum. Nam principium contradictionis non semper assumitur formaliter et secundum se in omni demonstratione, sed virtualiter dumtaxat, quatenus salvatur ejus vis in omni demonstratione. Pariter existentia subjecti et aptitudo facultatis non semper concurrunt formaliter ut præmissæ ; nec in actu signato et reflexe prius cognoscuntur, sed actu ipso judicii ponuntur. Igitur sententia quæ negat tres prædictas veritates esse certitudinis fundamentum legitimo sensu defendi potest.

At, sì nomine fundamenti intelligitur conditio quæ omni judicio certo ponitur, vel veritas quæ in omni judicio cognoscitur in actu exercito, tres illæ veritates dici possunt et debent certitudinis fundamentum, propter rationes jam allatas. Quæ quidem hoc argumento perstringuntur. Id est fundamentum, seu conditio *sine qua non* certitudinis, quod in omni judicio certo imbibitur, vel ipso judicio ponitur, quodque in omni judicio exercite saltem cognoscitur. Atqui prædictæ veritates omni judicio certo ponuntur atque in omni judicio cognoscuntur in actu exercito. Ergo sunt certitudinis fundamentum. Prob. min. Si certus sum de hoc *meo* judicio : *Deus existit,* pono et exercite video Deum existere et non existere, non esse idem : principium primum. At certus non ero de hoc *meo* judicio, nisi agnoscam judicium ut *meum,* et hinc deprehendo me existere qui certus sum : factum primum. Denique, si *certus* sum de *meo* judicio, profiteor et actu ipso probo me esse aptum qui judicem cum certitudine : conditionem primam. Ergo tres illæ veritates sunt in aliquo ordine fundamentum et exercite in omni judicio cognoscuntur.

Obijcies : Existentia subjecti est veritas quidem prima in

ordine reali et subjectivo, non autem in ordine ideali. Ergo non concurrit in omni judicio.

Keep. Existentia subjecti est conditio necessario requisita ut subjectum cognoscens eliciat judicium certum etiam circa veritatem idealem. Veritas idoalis in se, objective inspecta, est utique a mea existentia independeus ; at, si admitto *me judicare* cum certitudine de veritate illa, profiteor *me existere* qui judico. Ergo judicium de veritate ideali ponit existentiam subjecti.

Nam *judico* cum certitudine de veritate ideali = existo *judicans* cum certitudine de veritate ideali.

Diximus : *in aliquo ordine,* siquidem secundum alium ordinem et in actu signato prius actum quam facultatem aut facultatis infollibilitatem deprehendimus. Illæ ergo veritates non sunt fundamentales quasi essent prius cognitæ in actu signato, sed quatenus non potest reddi ratio judicii certi nisi ad ipsas fiat recursus, et quatenus, sicut in omni judicio intellectus suam cum objecto conformitatem cognoscit in actu exercito, ita in omni judicio certo exercite tres illas veritates profitetur. Si videt se esse conformem, deprehendit se esse existentem et aptum qui cognoscat.

Tametsi præsens quaestio non fuerit ab Angelico et a veteribus Thomistis versata, solutio nostra ex illorum principiis deducitur. Nam, juxta ipsos, in omni judicio, etiam circa veritates ideales, intellectus videt *exercite* se esse objecto conformem. At non potest cognoscere se esse conformem nisi exercite ponat se esse. Ergo juxta Thomistas in omni judicio certo, etiam circa veritates ideales, ponitur exercite subjecti existentia,

Pariter, dum intellectus deprehendit se esse objecto conformem, exercite ponit et probat se aptum esse qui objecto conformetur et objectum rite attingat. Ergo, ex Thomistarum placitis, in omni judicio cognoscitur in actu exercito aptitudo facultatis respectu proprii objecti.

Quare illa aptitudo non cæco modo supponitur, sed potius ipso facultatis actu ponitur et probatur. Sicut nempe intellectus cognoscit se esse objecto conformem quia suo ipso actu ponit et probat ee conformem, ita cognoscit se esse aptum,

quia suo ipso actu ponit et probat se esse aptum qui cognoscat, sicut nec gratuito supponit se existera, sed ponit suo actu et probat se existera.

Tres ergo illæ veritates potius ponuntur exercitio ipsius judicii, quam judicio praesupponuntur.

Controversia inter Scholasticos ex æquivocatione quadam originatur. Nam qui volunt tres illas veritates esse certitudinis fundamentum videatur ponere illas ut *signate* praecognitas, quod merito negant alii. Nos vero statuimus illas *exercite* tantum in judicio cognosci, neque supponi prius ut certas, sed ipso judicii exercitio poni et probari. Qua distinctione adhibita, evanescere debet dissensio.

VI. — De cseteris veritatibus primis. Gætera vero principia prima, licet minus necessaria et fundamentalia, non possunt in dubium revocari, quippe quæ non sunt demonstrabilia. Demonstratione enim non indigent quæ in seipsis absque termino medio innotescunt. Sed omnia principia prima absque termino medio, in seipsis, ex sola notione terminorum cognoscuntur. Ergo illa demonstrare superfluum esset. Inficiandum tamen non est praedicta principia posse aliquatenus in quaestionem adduci, non quidem ut demonstrentur, sed ut clarior magisque scientifica appareat illorum certitudo ex quadam philosophica terminorum enucleatione.

VII. — Secunda conclusio ; De aliis veritatibus certis, ut sunt conclusiones quæ necessario et evidenter fluunt ex primis principiis non licet dubitare realiter ; fictive autem dubitare, licet et expedit.

Ia pars manifesta est. Dubitare realiterde his quæ ratio nobis testatur esse certa, est agere contra rationis dictamen et injuriam veritati irrogare. Sed ratio nobis testatur conclusiones quæ evidenter eruuntur ex primis principiis certas et inconcussas esse. Ergo ipsas in dubium reale revocare esset conira dictamen rationis agere, quod nunquam fas est.

Idem valet pro veritatibus quæ experientia evidenti vel inductione infallibili admittuntur. Idem pariter pro veritatibus fidei. Ratio quippe dictat repugnare ut id quod a Deo propo-

nitur ut verum falsum deprehendatur. Ergo realiter de illo dubitare quasi possit esse falsum est contra rationis dictamen agere.

Probatur IIa pars. Licet, et etiam expedit, ut certitudo quæ prius erat vulgaris fiat scientifica, ut veritates quæ demonstratione *quia* tantum innotescunt, iterum demonstratione *propter quid* probentur; ut illæ quæ simplici fide tenebantur, novorum argumentorum vi clariores et rationabiliores appareant. Sed per dubium fictilium ideo præcise veritates certae in quæstionem adducuntur ut certitudo vulgaris per novam inquisitionem scientifica evadat; ut ea quæ cognoscebantur in effectibus tantum, cognoscantur nunc, ope inquisitionis methodicae, in causis el a priori ; ut veritates fidei ex ratiociniis theologicis et difficultatum solutione maximum emolumentum accipiant ; quo modo methodus scholastica validissima Fidei subsidia præbuit. Ita processerunt D. Thomas, et cæteri Doctores, quærendo, v. *g.* : *Utrum Deus sit,* vel, *utrum anima sit incorruptibilis.* — Ergo utilis est dubitatio fictitia.

Vili. — Tertia conclusio : Licitum est dubium reale circa ea omnia quæ non necessario et evidenter deducuntur ex primis principiis, vel quæ experientia et inductione sufficienti explorata non sunt, imo etiam in veritatibus certis et evidentibus circa quosdam respectus qui non sunt in ipsis evidentes et necessarii.

Quum aliqua conclusio non evidenter et necessario ex primis principiis profluit, contradictoria illius potest probabiliter ex iisdem principiis erui ; mens itaque versatur inter duas propositiones, quarum neutra est necessario vera. At nullatenus cogitur mens adhærei e propositioni non necessario verae. Potest ergo, si lubct, suspendere suum assensum et dubitare, donec nova motiva elucescant.

Pariter, quando experientia et inductio non sunt suillcicnles et cogentes, non datur cogens nec sufficiens motivum eruendi conclusionem certam. Ergo mens jus habet, propter molivorum insufficientiam, assensum suspendendi vel cohibendi.

Tandem, in rebus certissimis, etiam in veritatibus fidei, inulti sunt respectus non evidentes, v. g : quid sit primum es-

sentiæ divinæ constitutivum, quis sit aptior modus explicandi libertatem Dei in creando, quæ sit melior probatio humanæ libertatis, etc., etc. Ergo mens circa hujusmodi per se jus habet suspendendi judicium, donec lux veritatis fiat.

IX. — Quarta conclusi- : In quacumque materia cessare debet dubium facta evidentia vel veritatis vel credibilitatis. Evidentia veritatis est evidentia intrinseca qua objectum (it in seipso perspicuum; evidentia autem credibilitatis est evidentia extrínseca, circa motiva externa quæ apta sunt ad prudentem assensum determinandum. Porro utraque removet dubium. Evidentia quidem veritatis, seu intrinseca, cum dubio componi nullatenus potest, siquidem vi sua rapit et cogit intellectum ad assensum firmum, ut infra ostendetur. Evidentia autem credibilitatis non necessario dubium propellit, quia objectum non habet in seipso perspicuitatem quæ possit assensum firmum extorquere; sufficit tameu ut voluntas cogere possit intellectum ad deponendum dubium. Quando enim liquet testem, seu revelantem, nec falli nec fallere, sufficiens est motivimi illius dictis adhærendi et omne dubium deponendi. Atqui, quum adest evidentia credibilitatis, liquet testem nec falli nec fallere Ergo sufficiens est motivum illius dictis adbærendi dubiumque removendi ; ergo tuto potest voluntas cogere intellectum ut omne dubium deponat. Quare si mens dubium adhuc retinet, non jam prudenter procedit.

QUÆSTIO TERTIA

De veritatis oriteriìs.

Solutis quæstionibusde veritatis natura et existentia, debet philosophus veritatis fundamenta rimari, quae quidem dicuntur a recentionibus *criteria.*

Paucis praelibatis de notione et divisione criterfi, singula criteria expendemus, ac tandem quid non sit et quid sit ultimum criterium definiemus.

ARTICULUS PRIMUS

DE NOTIONE ET DIVISIONE GRITEUH

I. — Duplex acceptio criteri!. *Criterium* ex etymologia, χρίτήριον, κρίνω, idem est ac *judicatorium* seu instrumentum judicandi (1). Hac generali accentione potest designare tum facullatem judicatricem qua infallibiliter de vero discernimus, tum id unde intellectus in judicando proxime dirigitur. Hoc ultimo sensu usurpatur in praesenti disputatione. Jamvero aliquid potest mentem dirigere dupliciter : vel ut *causa* determinans efficienter intellectum ad assensum certum, vel ut

(1) « **Pour juger des apparences que nous recevons des objets, il faudrait un** *instrument judicaloire».* Montaigne.'

norma qua discernimus verum a falso. Hine duplex criterii definitio. Sub primo respectu definitur : *Motivum quod determinat assensum firmum, ut causa et mensura cognitionis nostræ.* Sub altero respectu definitur : *Norma determinans id de quo habemus assensum firmum,* vel : *Norma qua discernimus verum a falso et dijudicamus an enunciatio aliqua sit vera necne.* Non enim de omnibus certi sumus, sed de iis tantum quæ determinatos exhibent characteres. Debet itaque esse qusedam regula determinans ea de quibus esse certi possumus vel debemus. Quæ regula seu norma criterium audit.

II. — In utraque acceptione criterium distinguitur formaliter tum a facultate cognoscente, tum ab objecto cognito.

Criterium est id quod dirigit et determinat ; facultas id quod dirigitur et determinatur : unde se habent criterium et facultas sicut activum et passivum, quæ formaliter distinguuntur. Objectum vero est id quod determinat cognitionem, dum criterium est id quod cognitionem causât ; unde se habent criterium et objectum sicut principium et finis, quæ formaliter differunt.

At vero, si considerantur facultas et objectum non reduplicative in ratione facultatis et objecti, sed formaliter ut motiva quæ determinant assensum certum, jam nomen criterii merentur (1),

III. — Criterii divisio. Præcipua est in criterium *internum* et criterium *externum.* Criterium est *externum,* quum norma vel motivum veritatis judicandæ ponitur in aliquo quod estextrinsecum ipsi veritati. Hujusmodi est auctoritas vel magisterium externum.

Criterium vero est internum, quum norma vel motivum veritatis judicandæ desumitur ex iis quæ sunt ipsi cognitioni intrinseca. Porro ad omnem cognitionem duo intrinseca concurrunt : facultas nempe cognoscens et objectum cognitum, juxta effatum: *Ex objecto et potentia paritur notitia.* Hinc in omni criterio interno certitudinis motivum partim ex objecto partim ex intellectu desumitur·

(1) Cf. Zigmaha, *Critic,* lib. II, c. i, a. 1.

Ex parte quidem objecti id quod movet est immediata terminorum ad invicem, subjecti nempe et prædicati, connexio, si agitur de judiciis immediatis; vel in judiciis quæ. mediante discursu efformantur, logica et necessaria connexio consequentis cum antecedente.

Exparte autem intellectus id quod movet est lumen intelligibile quo mens adeo illustratur et habilitatur ut objectum proprium possit ipsi præsentari et applicari. Igitur lux et vis objectiva veritatis cognoscibilis luxque et vis subjectiva intellectus cognoscentis, duo sunt elementa ex quibus conflatur motivum certitudinis internum.

IV. — Criterium internum adaequate sumptum dividitur in subjectivum et objectivum. *Subjectiva* criteria nuncupamus facultates nostras cognoscitivas, criteria vero *objectiva* veritates seu principia quibus mens in ratiocinando nititur.

Criteria subjectiva iterum subdividuntur. Nam, ut alibi, in Psychologia nempe, explanabitur, facultates nostræ cognoscitivæ ad triplicem classem reducuntur : *sensus externos,* qui corpora externa et corporum affectiones cognoscunt; *sensus internos,* qui subjectum et affectiones subjecti, sed nullatenus res spirituales, attingunt; *intellectum,* qui et subjectum et spiritualia et universalia percipit.

Criteria objectiva praecipua sunt evidentia et prima principia.

Tandem criteria externa sunt *magisterium* divinum et humanum.

ARTICULUS SECUNDUS

DS GRITERIO SENSUUM EXTERNORUM (1)

I. — Notio sensus. *Sensus externus est facultas cognoscitiva et organica quæ corpora externa eorumque affectiones percipit.*

I0 Est facultas *cognoscitiva,* et idcirco aliquid vitale, aliqua vis ab ipsa anima profluens, quæ potest vitaliter assimilare sibi objecta. 2° *Organica,* quippe quæ non immediate in ipsa anima, sed in organismo animato subjectatur operationemque elicit ope cujusdam organi speciali structura donati, quod dicitur *sensorium.* 3° Ilia facultas percipit non aliquid internum, sed *res materiales, externas,* concretas, quatenus materiales sunt, vel etiam mutationes quæ in ipsis flunt. Sensus itaque attingit solum accidentia externa ; nam substantia, quæ externe non apparet, ab aliqua facultate interna apprehenditur.

Operatio sensuum est *sensatio,* seu affectio quæ ex impressione objecti præsentis oritur et qua anima sibi assimilât objectum. Sensus quippe immutatur ab objecto, sed postea reagit, in illud vitaliter tendit illudque sibi vitaliter assimilât. Hinc sensatio dupliciter consideratur: 1° ut est affectio subjectiva sentientis ; 2° ut est objectiva, nimirum activa quaedam objecti externi reproductio ; seu, aliis verbis, in sensatione adest phaenomenon *subjectivum* et phaenomenon *repræsenta-*

(I) Consuli possunt : Farges, *Objectivité de la perception des sens externes ;* Pesch, *Institut. Logic. ;* De Vorges, *La perception et la psychologie thomiste, Les certitudes de ^expérience;* **P.** De Munnynck, *Revue Thomiste,* **t. VI, p. 620;** Janet, *Psychol.,***c. m,** *Métaphysique,* **c. ni;** Fonsegrive, *Eléments de Philosophie, Métaphysique;* Gardair, *Corps et Ame,* **etc.**

iivum. — Quæ omnia fusius explanantur in II P. *Phil. Nat.* Tract. Ill, q. II, et q. III.

II. — Sensibile. Sensuum objecta dicuntur sensibilia. **Jam** vero ut aliquid sit sensuum objectum, quatuor requiruntur : I0 Debel esse ens reale et positivum, entia quippe rationis et negationes a solo intellectu apprehendi possunt. 2° Debet esse res singularis, nam sensus organo concreto et singulari affixus ad universalia se porrigere non valet. 3° Debet esse res corporea et extensa, quippe organum extensum nonnisi ab aliquo consimili seu extenso moveri potest. 4° Debet esse sufficienter praesens, ut possit in sensum agere.

III. – Triplex distinguitur sensibile i proprium, commune et per accidens.

Proprium est qualitas sensibilis irreduclibilis, seu objectum quod ita apprehenditur ab uno sensu externo ut non possit a quocumque alio attingi. Insignitur alio vocabulo, *objectum formale quod* sensus. Sensibile proprium quintuplex est juxta numerum sensuum : *color,* objectum formale visus specificativum ; *sonus,* objectum specificativum auditus ; *odor,* objectum specificativum odoratus ; *sapor,* objectum specificativum *gustus* ; *resistentia,* objectum specificativum *tactus.*

Sensibile *commune* est illud quod a pluribus sensibus externis percipi potest, etsi non ab omnibus. Sic *extensio, figura,* quatenus colorata attingitur a visu ; quatenus resistens, a tactu ; *motus, quies* tum a visu, tum a tactu, tum etiam quandoque ab auditu percipiuntur ; *numerum* etiam deprehendere possumus tum tangendo tum videndo.

Quinque igitur sunt sensibilia communia : *motus, quies, numerus, figura, magnitudo.*

Sensibile commune non habet speciem propriam. Nam species propria facultatem propriam specificai. Ergo, si sensibile commune propriam sibi vindicaret speciem, pertineret ad aliquem sensum proprie et immediate, nec jam dici posset sensibile commune.

Restat ergo ut cognoscatur per speciem sensibilis proprii a sensibili communi modificatam, quatenus species illa primario

sensibile proprium, secundario sensibile commune repraesentet. Hoc pacto magnitudo videtur per speciem coloris a magnitudine modificatam, quia aliter movet et afficit sensum res colorata, dum est magna, et aliter, dum est alio modo constituta.

IJtrumque autem sensibile, proprium nempe et commune, est sensibile *per se,* quia utrumque *per se* a sensu externo attingitur.

Sensibile per accidens est substratum sensibilium propriorum et communium, quod apprehenditur a facultate interna, dum sensus externi percipiunt sensibile per se.

IV. — Conditiones sensibilis per accidens. Ut aliquid sil *sensibile per accidens,* requiritur 1° ut accidat ei quod est peí se sensibile, sicut accidit albo esse hominem et accidit ei esse dulce ; 2" ut sit apprehensum a sentiente, alioquin non posset dici sentiri; 3° ut sit apprehensum non a sensibus externis, sed ab aliqua facultate interna. Si enim apprehenderetur a sensibus externis, esset sensibile per se. Facultas porro quæ versatur circa sensibile per accidens est *æstimativa,* id est sensus quidam internus cujus munus est percipere intentiones insensibiles, ut sunt *nocivitas, convenientia,* et subjectum quod accidentibus substat. Notandum est autem æstimativam in homine dici *cogitativam.* Sensibile per accidens potest eliam ab intellectu attingi.

4° Requiritur ut sit intime connexum cum sensibili per se, ita ut, dum sensus externi apprehendunt sensibile per se, facultas interna sensibile per accidens simul atlingat. Sic, dum auditus loquelam percipit, cogitativa vel intellectus dignoscit hominem ; dum oculus videt vultum irati, facultas interna percipit iram; dum oculus ovis videt colorem et figuram lupi, ^estimativa lupum ipsum cognoscit.

Sensibilia per accidens igitur dici possunt 1° substantia singularis, 2° qualitates insensibiles, ut nocivitas, convenientia, etc.; 3° generatim omnia quæ habent conjunctionem et propinquitatem ad sensibile per se.

Animadvertatur tamen substantiam dupliciter considerari posse : abstracte et concrete. Abstracte quidem sumpta et sub

conceptu substantiæ in genere nonnisi ab intellectu percipitur ; concrete vero sumpta, ut est concretum subjectum accidentium, unum quid cum ipsis efformat et ita a sensu attingi potest,

V. — Opiniones circa veracitatem sensuum, Quæstio acriter agitatur an sensus in referendo corpora externa sint criteria veritatis, ita ut mens possit absque ullo errandi formidine affirmare esse id quod sensus externi testantur. Quinque distingui possunt sententiae :

Prima est *idealislarum,* qui inficiantur objectivam rerum extra nos positarum existentiam, ideoque tenent sensus non esse veraces in referendo corpora.

Secunda est *Malebranchii,* qui negans activitatem corporum vult mundi existentiam per divinam revelationem nobis innotescere.

Tertia est *subjeciwistarum,* qui admittunt quidem existere corpora, sed docent a sensibus immediate percipi proprias affectiones, non autem res externas, mundum autem ope principii causalitatis a nobis cognosci.

Quarta admittit veracitatem sensuum et objectivitatem sensibilium, excipit tamen visum et auditum, in dubiumque revocat colorum et sonorum objectivitatem.

Quinta et veracitatem *omnium sensuum* et objectivitatem *omnium sensibilium* profitetur.

Primam docent omnes sceptici sive antiqui sive moderni, Democritus, Hume, Critici transcendentales, Kant, Fichte, Schelling, Hegel et etiam ex dogmaticis non pauci. In Anglia idealismum celebrem fecit Berkeley (1684-1753), asserens totum *esse* rerum nihil aliud esse quam *percipi,* seu vanum phænomenon in organis nostris a Deo productum. Hanc objectivitatem negant pariter Taine, Fouillée et alii quamplures. Licet autem Idealistas omnes in communi asserto conveniant, in duas tamen classes scinduntur : alii volunt omnes rerum sensibilium perceptiones ab animæ activitate effici, ut veteres sceptici et recentiores critici, quorum idealismus est præsertim *subjectivus* ; alii autem asseverant perceptiones illas ab viiqua causa externa, Deo nempe, in nobis produci, ut Bcike-

(piani, quorum idealismos est aliqua ratione *objections.*

Tertiam opinionem tuentur Cartesiani, et multi llecentiores^ Beid, Maino de Biran, Cousin, etc.

Quarta docetur a pluribus modernis, imo a quibusdam Neo-Scholasticis.

Quinta est Peripateticorum, Scholasticorum, et merito vocari potest sensus communis doctrina.

VI. — Prima conclusio : Veracitas sensuum est veritas tam obvia et primaria ut demonstrari nec debeat nec pc · sit.

Prob. Ia pars. Id demonstratione non indiget quod affirmatur, dum negatur. Atqui veracitas sensuum atfirmnlur, (him negatur. Ergo. Prob. min. Qui serio sensuum veracitatem inficiatur ponit saltem facultatem quæ suum dubium renuntiat veracem esse circa objectum ad quod natura sua tendit, ideoque supponit hanc propositionem : Facultates sunt veraces circa objectum ad quod natura sua ordinantur. Sed sensus sunt facultates quæ natura sua ordinantur ad externa ; quod patet ex sensoriis externis tam mira structura ab ipsa natura prædítis, quæ quidem frustranea essent nisi sensus ad objecta externa natura sua tenderent. Ergo nemo potest negaro veracitatem sensuum nisi logice admittat : *Sensus sunt veraces.*

Pariter veracitas sensuum non potest demonstrari, quia omni demonstrationi præsupponitur. Unde prob. IIa pars. Omnis demonstratio experientiæ veracitato nititur. Atqui experientia versatur tum circa interna tum circa externa facta. Ergo omnis demonstratio supponit veracitatem tum circa interna tum circa.externa idcta. Sed hujusmodi facta referuntur a sensibus. Ergo demonstratio præsupponit sensuum veracitatem. Declaratur major. Ut demonstrationem conficiat quis, debet cognoscere se præmissas adhibere. At cognitio illa non fit nisi experienliæ testimonio. Ergo omnis demonstratio veracitate experientiæ nititur.

Jam vero si quis experientiam admittit, non potest absque contradictione in dubium vertere veracitatem sensuum, quæ estipsamet experientiæ veracitas.

Idem probatur indirecte, ex eo quod adversarii perpetuo principii petitione utantur.

Carlesius admittit existentiam mundi propter Dei veracitatem. Al Dei existentia ex visibilibus et sensibilibus hujusce mundi probatur : *A creatura mundi per ea quæ facta sunt(ï).* Quod est in circulo vilioso se vertere. Insuper, si Deus quotidie permittit universalem deceptionem circa sensuum et experienti» testimonium, quo pacto possumus Deo fidere?

Malebranchius repetit existentiam corporum ex Revelatione et Scriptura. Sed qua ratione Scriptura et Revelatio nobis innotescent sine experienti» et sensuum testimonio? Si enim falluntur sensus, fallax est Revelationis auditus et Scriptur» Jectio.

Thomas Reid vult existentiam mundi credi ex instinctu quodam natur»necessario et infallibili. At rursus qua ratione constabit de existentia nostra illiusque natur» existentia absque experientia et sensuum testimonio ?

VII. — Secunda conclusio : Corpora externa veram habent objectivitatem et oausæ sunt sensationum.

Nisi corpora objectivilate gaudeant, admittendum est corporum phaenomena vel a sola anima, vel a Deo, vel ab aliquo genio qui nos illuderet, effici. Sed nullum ex his suppositis est admittendum. Ergo causa sensationum sunt ipsa corpora objectiva et realia.

Prob. min per partes. I0 Anima sola non est horum ph»-nomenorum causa. Recipere quippe et efficere e regione opponuntur. AI, experientia teste, nos illa recipimus phænomena. Ergo illa non efficimus.

Cæterum, anima non potest esse causa illorum, nec necessaria nec libera. Si esset causa horum phænomenorum necessaria, positis omnibus qu» se tenent ex parte subjecti, semper sequeretur sensatio ; causa quippe naturalis, positis omnibus prærequisitis, necessario agit ; si vero esset causa libera, posset ad libitum illa experiri, vel declinare. Atqui in bene multis casibus, positis omnibus qu» se tenent ex parte anim», non sequuntur phenomena externa, non sequitur gaudium aut sanitas, non sequuntur divitiarum commoda. Aliunde sæpius phænomena qu» vellemus experiri, nullate-

(1) *Rom.* 1, 20.

nus consequuntur, et ea quæ declinare tentamus, experiri cogimur. Ergo anima non est illorum causa, nec necessaria nec libera.

2° Deus non est causa, nam sic induceretur occasionalismi error, qui sapientiæ divinæ injuriam irrogat. Insuper, Deus non potest ad errorem invincibilem movere creaturam rationalem, quæ veritate perficitur et ad veritatem facta est : id sane ipsius bonitati et veracitati repugnat. At, si Deus est unica illorum phaenomenorum causa, non existent!bus corporibus, inducit creaturam rationalem ad errorem invincibilem. Ergo. Ostenditur min. Deus producendo in nobis eadem phaenomena, perinde ac si res ipsæ essent, invincibiliter nos movet ad judicandum res ita esse, fugiendasque vel appetendas non secus ac si realiter extitissent. Nec possibile est errorem corrigere aut suspicari, quia, si de facto res essent, non posset earum existentia evidentius manifestari. Ergo in Deum auctorem refunderetur error invincibilis.

Tertia hypothesis a nemine serio defenditur. Cæterum Deus permittere nequit ut pravus genius perpetuo et universaliter humanum genus decipiat. Ita communiter philosophi scholastici.

VIII. — Tertia conclusio : Sensus externi attingunt immediate objecta externa, non vero proprias affectiones.

Hæc propositio iterum probabitur in Psychologie ; quare breviter hic ostenditur.

Arg. 1"". *Ex experientia communi.* Omnes conscii sunt se oculis videre, se auribus audire, se tactu tangere, non subjectivas impressiones, sed res ipsas. Nec serio quisquam asseret se osculari proprias affectiones, non vero patrem aut matrem.

Arg. Π'"η. *Ex natura sensationis.* Ut fiat sensatio, oportet ut sensus determinetur ad unum objectum præ alio percipiendum ; nam ex indeterminato nihil sequitur. At determinatio illa non oritur ab ipso sensu, cum ex natura sua sit essentialiter passivus et indeterminatus, et æqualiter ad diversa sen sibilia se habeat. Ergo illa determinatio immediate ab objecto provenit. At vero, si objectum immediate determinat et af-

licit sensum, id quod immediate attingit sensus est ipsum objectum, Ergo sensus immediate ipsa objecta percipit. Est tamen in sensatione respectus quidam subjectivus maxime attendendus, quem in Psychologia speculabimur.

Quibus statutis probata remanet Scholasticorum sententia. Si enim sensuum veracitas omni demonstrationi præsupponitur, si corpora realitate gaudent objectiva; si sensus immediate ipsa objecta apprehendunt, liquet omnino sensus esse criteria veritatis in renuntiando corporum existenliam. Ut tamen plena veritatis lux comparetur, plures adduntur conclusiones.

IX. — Quarta conclusio : Sensus circa sensibile commune veraces per se quidem sunt, non tamen absolute, nisi conjunctim sumantur.

Prob. Ia pars. Nulla potentia cognoscitiva potest per se deficere ab eo quod est suum objectum per se. Eo ipso enim quod supponatur objectum per se, facultas ad illud per se et naturaliter tendit; si ergo circa ipsum per se deficeret, defectus Creatori ipsi adseriberetur. Atqui sensibile commune est objectum per se sensuum, licet non primo. Ergo sensus circa sensibile commune per se non falluntur.

Prob. lTa pars, scilicet non esse veraces absolute, sed falli posse per accidens, nisi conjunctim sumantur.

Sensibile commune, cum pertineat ad plures sensus, excedit quemlibet seorsim sumptum. Ergo, si unus adhibeatur solus, haud plene et adæquate poterit objectum apprehendere! Hinc planum est contingere posse aliquem errorem.

Tnsuper, ut sensus, v. g. visus, sensibile commune rite attingat, indiget quodam exercitio seu educatione prævia, quæ fit per alios sensus, specialiter per tactum (1). Ergo si visus solus,

(1) « **La plupart des erreurs des sens étant des erreurs de la vue, on peut encore, avec Ad. Garnier, en rapporter la cause principale à la confusion de la** *figure visible* **et de la** *figure tangible.* **Gomme nous percevons l'étendue et la figure au moins par deux sens, la vue et le toucher, nous voulons toujours faire cadrer les données de l'une avec les données de l'autre, et faire coïncider la ligure visible avec la ligure tangible. Ce n'est que l'expérience qui nous apprend peu à peu à séparer l'une de l'autre, à ne pas appliquer à l'une les lois de l'autre ».** Jasit, *Philosophiet* **ne 129.**

independenter ab aliis sensibus, adhibetur, non erit absolute infallibilis, ut contingit, quum baculus in aqua apparet fractus. Factum refert Helmholtz cujusdam pueri qui, suffusione oculorum ablata, nesciebat distantias discernere. « Dans les premiers temps de sa guérison, cet enfant, étant loin d'apprécier les distances, il s'imaginait que tous les objets qu'il voyait touchaient ses yeux, de même que les objets sentis sont au contact de la peau. Il ne se faisait pas idée de la forme, du re* lief, delà grandeur des objets, mais il palpait très attentivement ces divers objets qu'on lui désignait pour s'en faire une idée et les reconnailre » (1). Ratio hujus est quia visus pueri nondum fuerat sufficienti cultura educatus.

Postmodum experientia excultus aptus fit sensibili communi rite percipiendo,

X. — Quinta conclusio : Circa sensibile per accidens sensus infallibiles sunt in renuntiando existentiam alicujus subjecti in genere; minime autem in referendo quodnam sit hoc subjectum in speciali.

Prob. Ift pars. Sensus referunt cum certitudine accidentia externa. Sed accidentia non sunt sine subjecto a quo sustententur. Ergo sensus referunt cum certitudine dari aliquod subjectum in genere, seu inducunt intellectum ad asserendum cum certitudine : *Datur aliquod subjectum, nisi Deus patrare velit miraculum.* Si vero lides docet Heri miraculum in casu speciali, ut contingit in Eucharistia, tunc intellectus ab errore per revelationem praeservatur immunis.

Prob. IIft pars. Accidentia externa quæ refert sensus possunt esse communia multis subjectis, quæ in apparentiis conveniunt, differunt vero in realitate. Ergo, si exilia similitudine concludatur dari tale subjectum in speciali, poterit subesse error. Hinc animalia bruta non raro ex externis circa substantiam decipiuntur, sed homo intellectus judicio et comparatione deceptionem præcavere valet.

XI. — Sexta conclusio : Circa sensibile proprium, positis conditionibus requisitis, sensus omnes infallibiles sunt, ne exceptis quidem visu et auditu.

(1) **Cf.** Helmholtz, *Optique, III* partie.*

Conditiones requisitae se tenent ex parte organorum, ex parte objecti, ex parte rerum externarum, seu medii.

Unde oportet: I0 ut sensus sint sani, ad naturale suum exercitium et finem apte dispositi ; 2° ut objectum proprium sit in debita distantia, non vero positum extra ambitum sensuum naturalem. Hinc mirum non est oculos circa solem et sidera errare ; 3° ut non sit obstaculum ex parte medii, sed ut perceptio juxta consuetas et ordinarias leges peragatur.

Ostenditur thesis. Sensibile proprium est objectum sensus specificativum. Atqui repugnat ut potentia sana sit circa suum objectum specificativum naturaliter defectibilis. Ergo repugnat ut sensus sit naturaliter defectibilis circa sensibile proprium.

Prob. minor. Facultas ordinem transcendentalem importat ad objectum specificativum tanquam ad suam perfectionem et suum finem. Sed implicat ut facultas sana sit naturaliter incapax suum finem oblinendi ; Deus enim, qui facultatem propter finem condidit et ad finem ordinavit, sibi ipsi contradiceret, si facultatem sineret naturaliter et universaliter a proprio fine deficere. Ergo repugnat ut facultas sana sit naturaliter defeclibilis circa objectum suum specificativum.

Ab aliis argumentis evolvendis supersedemus ; quæ enim in praecedentibus attulimus, etiam respectu rei pressentis evidentiam præstant.

Dictum est : *non exceptis visu ei auditu.* Argumenta quippe metaphysica, pro sensibus omnibus æque valida, nullum excipiunt. Pariter sensus communis hominum nullam invehit distinctionem, visum et auditum, æque ac cæteros sensus, infallibiles testes admittit. Si qua ergo esset ratio in dubium revocandi veracitatem visus et auditus, et colorum ac sonorum objectivitatem negandi, exscientificis experientiis desumeretur. Sed scimus *a priori* factis scinntificis non posse destrui argumenta metaphysice certa. At etiam *a posteriori* ostendi potest argumenta ex scientiis desumpta convincentia et evidentia non esse.

XII. — Objectiones ex soientiis depromptae. 1“Afferunthoc assertum : Colores et soni non sunt nisi motus et vibrationes

Ergo non habent illud esse objectivum quod sensus illis tribuit.

Resp. Admittimus hypothesim et consequentiam inficia* mur. Juxta scientificorum placita sonus generatur vibrationibus quæ per aerem transmittuntur; lux autem et colores vibrationibus seu undulationibus cujusdam fluidi subtilissimi quod omnes corporum moléculas intime pervadit et vocatur *æther interinolecularis.* Doctrina hæc non contrariatur Peripateticorum principiis. Aliquid simile jam docuerant, e Sic autem contingit de immutatione aeris, ait D. Thomas (1) apud generationem soni sicut de immutatione aquæ, cum aliquid in aquam projicitur » Docet pariter Angelicus lumen esse *actum diaphani* (2). Diaphanum autem veterum ætheri recentiorum assimilari potest.. Libenter ergo concederet Angelicus sonum undulationibus et lumen vel colorem vibrationibus generari. Inde vero nihil sequitur contra sonorum et colorum objectivitalem. Nam, ut recte observat Farges (3), motus est effectus alicujus substantiæ exlensæ, aclivæ. Sed effectus substantiae realis, aclivæ, extensæ, aliquid reale, extensum et objectivum sit oportet. Ergo motus quo generantur soni et colores, ideoque ipsi colores et soni, objectiva quadam realitate gaudent.

2° Auris fallitur circa sonum, ut patet in iis qui notas et intervalla musicæ non exacte percipiunt. Ergo sonus objectivitate caret.

Resp. Ut perfecta sit omnium intervallorum perceptio, oportet ut omnes fibræ quibus auris instructa est aptse et disposila) sint. Tria porro millia fibrarum in qualibet aure extant. Si contingat plures ex illis suo naturali exercitio carere, soni quidem fibris sanis respondentes percipientur, at vero· liquet sonos correspondentes fibris læsis aut obliterate non posse audiri. Hinc auditio potius imperfecta erit quam falsa. Soni nempe qui audiuntur revera sunt; sed, quia deest conditio ex parte auris, quia nempe non omnes fibræ sua

(1) **II. De** *Anima,* **cap. Vili, lect. 16,**
(2) *Ibidem,* **lect. 14.**
(3) **Oftjeçtnrit^** *de la perception, des sens externes,* **IIIe partie.**

gaudent activitate, possibile non est omnes sonos omnesvo notas exacte percipi.

3° Objiciunt phænomena *daltonismi.* Daltonismos, sic dictus, quia Dalton, physicus anglas, hæc facta in seipso expertus fuerat, est visus infirmitas quæ vel impedit ne colores ullatenus percipiantur vel cfiicit ut subjectum videns, colores inter se, V. g. viride cum rubeo, confundat. Quæ inlirmitas late jam serpit.

Sic ergo objicitur : Visus interdum colores interse, v. g. viride cum rubro, confundit. Ergo colores sunt quid mere sub-'ectivi.

Resp. Primo, hæc facta casus ægritudinis respiciunt, non ergo conclusionem nostram impetunt, quæ est de sensibus sanis suaque naturali activitate præditis. Secundo, imo in his casibus colores vere sunt objectivi, et perceptio potius est imperfecta quam falsa. Res ita explicari potest. Lumen solis, ut omnes norunt, septem radiorum speciebus constat ; imo radius qui ex corporibus emittitur constituitur et ipse ex diversorum colorum radiis : sic cæruleum ex violaceo, viridi et rubeo conflatur, qui dicuntur *colores fondamentales.* Unde ut exacte percipiatur cæruleum, concurrere debent omnes fibræ quæ violaceo, viridi et rubeo respondent.

Quare, si una aut plures ex oculi libris quæ coloribus fundamentalibus percipiendis inserviunt, paralysi impediantur, necessario fit ut visus non possit attingere tria caerulei elementa ; sed aut unum aut alterum dumtaxat percipiet, scilicet viride aut rubeum. Quod autem apprehenditur vere objcctivum est, nam rubeum quod percipitur revera existit, ei viride etiam datur; unde perceptio est potius partialis et incompleta quam falsa.

Simile quid evenit, quum visus ex nimia organi defatigatione, tamquam viridc-cæruleum apprehendit quod prius erat rubeum. Oculus quippe defatigatus fit insensibilis respectu rubei, solumque percipit violaceum et viride, ex quibus resultat viride-cæruleum. Incomplete ergo percipit, sed id quod percipit reapse est.

4° Saltem phænomena *auditionis colorata;* nostram impenni thesim. In quibusdam personis, auditioni alicujus soni

conjungitur visio alicujus coloris : v. g. auditioni soni *a* conjungitur visio coloris *rubei,* vel auditioni *e* visio nigri, etc. Ergo soni et colores sunt unum et idem phænomenon subjectivum, non autem duæ realitates objective dislinctæ.

Resp. Factum non ostendit sonum fieri colorem, nec aurem videre colores aut visum audire sonos, sed res aliter potest commode explicari.

Propter conjunctionem et propinquitatem nervi auditivi ad nervum opticum evenire potest ut sonorum vibrationes nervum opticum attingant, commoveant et in eo lucis vibrationes excitent, quo lit ut eodem tempore auris sonum audiat et oculus colores videat. Hinc auditio erit colorata, quia simul uterque sensus proprium actum eliciet, at nihilominus uterque erit verax respectu proprii objecti.

Quoad cætera vide Faroes (1).

XÏII. — Solvuntur generales difficultates contra sensuum veracitatem.

Iu Sensatio ex natura sua est modificatio subjecti sentientis. Atqui modificatio subjecti est quid mero subjectivum. Ergo sensatio est subjectiva, nihil objective referens.

Resp. Dist. maj. Sensatio *quoad enlitatem* et esse physicum est modificatio subjecti, concedo ; *quoad esse repræsenialimim,* nego. Concedo min., et neg, conclus.

Sensatio duplicem habet respectum: 1° est affectio et impressio subjecti, et sub hoc respectu essentialiter subjectiva est ; 2° est phænomenon repræsentativum, quia est actio vitalis quæ sibi vitaliter assimilai objectum.

At eo ipso quod objectum sibi assimilet fit essentialiter objectiva et aliquid objcctivi refert.

2° Ut objecta externa immediate nobis uniantur, debet esse quidam transitus, seu *pons,* subjectum inter et objectum. Atqui non datur hujusmodi transitus. Ergo.

Resp. Dist. maj. Debet esse pons seu transitus qui sit ipsa sensatio, concedo; distinctus a sensatione, nego.

Contradist. min. Non datur transitus ab ipsa sensatione dis-

(1) *objectivité de la perception, Ill* partie.*

tinctus, concedo, non datur transitus in ipsa sensatione, nego, et nego conseq.

Chimaeram fingunt adversarii suum pontem adstruendo. Sicut enim inter agens et patiens non requiritur aliud praeter actionem et passionem, sic nec inter cognoscibile et cognoscens aliud expostulatur nisi ipsa cognitio. Natura quippe sua cognitio est utriusque vinculum, nec aliter concipitur quam objecti et facultatis conjunctio, sicut nec passio aliter concipi potest quam agentis et patientis unio. Hinc effatum : *Cognitum et cognoscens sunt unum intentionaliter.* Pons ergo seu transitus per cognitionem et in ipsa cognitione praestatur (1).

3° Sensus referunt qualitates sensibiles, ut sapores, calidum, frigidum, ipsis corporibus. inesse. At sapores, calidum, frigidum, etc., non ipsis corporibus, sed potius subjecto sentienti insunt. Ergo decipiuntur et decipiunt sensus.

Resp. Falsa nituntur suppositione adversarii, dum existimant sensibiles qualitates non esse nisi subjecti affectiones. Porro subjectivæ impressiones, nedum sint ipsae qualitates, imo sunt qualitatum effectus, non enim frigus experiremur nisi daretur causa. Qualitates ergo sensibiles sunt objectiva corporum accidentia quæ sensus nostros afficiunt. Sic sapor non est mere sensatio, sed vera corporis sapidi qualitas vim habens immutandi gustum, quæ nisi reape exisleret, nunquam fieret gustus sensatio.

(i) De his iterum in II P. *Phil. Nat.* **Tract. III, q. III, a. 2.**

ARTICULUS TERTIUS

DE CRITERIO CÆTERARUM FACULTATUM COGNOSOITIVARUM, SENSUUM NEMPE INTERNORUM ET INTELLECTUS.

I. — Sensus interni. Quatuor recensentur sensus interni: *sensus intimus.,* qui alio etiam nomine insignitur, *conscientia* nempe *sensitiva; imaginatio* seu phantasia, quæ sensibilium ppecies in rerum absentia conservat ; memoria, quæ est praeteritorum, et est veluti quidam specierum et intentionum insensatarum thesaurus ; *æstimativa,* quæ apprehendit insensata ex sensatis, ut nocivitalem, utilitatem, etc. De illis disseritur II. P. Phil. Nat. Tract. Ill, q.,ll, art. 2, et art. 3. Hic autem de illorum veracitate quæritur.

II. — Conclusio i Omnes sensus interni per se sunt veraces ; speciatim autem conscientia intra limites proprii ob' jecti est criterium omnino infallibile.

Ia® partis ratio pluries jam adducta est. Nulla potentia cognoscitiva per se deficere potestà proprio objecto ad quod essentialiter ordinatur. Sensus interni sunt potentiæ cognoscitiva quæ essentialiter ordinantur ad proprium objectum. Ergo sant per se veraces (1).

Per accidens autem possunt esse deceptionis occasio ; sic nimio imaginationis impetu interdum fallitur ratio. Memoria etiam fallibilis per accidens esse potest, non quod mendax sit, nam ea quæ refert reapse sunt, sed quia, deficientibus pluribus conditionibus, non potest omnia clare et dis*·

(1) De facultatum aberrationibus quaedam in Psychologie delibamus. II, P. *Phil. Nat,,* **Tract. Ill, q. VI, a. 3.**

tincte revocare. At error, si forte accidit, non est memorias adscribendus, sed potius rationi quæ imprudenter judicat.

Memoriæ et sensibus internis applicari possunt quæ tradit Bossuetiusde sensu in genere : « À proprement parler, iln'y a pas d'erreur dans le sens, qui fait tout ce qu'il doit, puis· qu'il est fait pour opérer selon les dispositions non seulement des objets, mais des organes. C'est à l'entendement, qui doit juger des organes mêmes, à tirer des sensations les conséquences nécessaires, et, s'il se laisse surprendre, c'est lui qui se trompe (1). »

Memoria etiam quidquid debet præstat. Preterita enim quæ recognoscit vel reproducit reapse sunt. At ex infirmitate vel defectu quodam contingit ut quandoque objecta quaedam vol ex parte tantum vel etiam nullatenus revocare possit. Quidquid in se habet refert, et in hoc verax est; si vero de quibusdam silet, non inde mendax, sed solum imperfecta arguitur. Temerarium ergo erit intellectus judicium si plus infert quam sinit memoriæ testimonium, « Si l'enlendement se laisse surprendre, c'est luì qui se trompe. » Unde culpandum esset judicium potius quam memoria, licet contrarium communiter fiat, juxta illud : « Tout le monde se plaint de sa mémoire, et personne de son jugement, »

— Quædam de conscientia specialiter adjunguntur.

A veteribus conscientia in sensu morali dumtaxat usurpatur, prout designat practicæ rationis dictamen quo judicamus aliquid esse faciendum quia præceptum, aut vitandum quia malum. De hac nonnulla in Psychologia addentur.

At nostra celate conscientia designat etiam facultatem quæ percipit subjecli affectiones el facta interna, ea scilicet quæ in nobis sunt aut fiunt. Quia autem duplex est factorum internorum ordo, duplex etiam distingui solet conscientia : *sensitiva* nempe, quæ affectiones *sensibiles,* seu ordinem factorum internorum sensibilium percipit et renuntiat; et *intellectiva,* quæ simul et ordinem factorum internorum spiritualem, et affectiones sensitivas, et ipsam substantiam attingit. Conscientia intellectiva non realiter differt a ratione.

(1) *Connaissance de Dieu et de soi-m¿me¡* **c. 1, vn.**

Distinguitur etiam conscientia *reflexa* et conscientia *concomitans.*

Conscientia *concomitans* illa dicitur qua subjectum primo et principaliter attingit objectum, secundario autem et in actu exercito suum actum et seipsurn percipit, quin tamen ad hunc ordinem subjectivum directe et in actu signato attendat. Conscientia autem *reflexa* ad illum ordinem subjectivum specialiter et directe attendit. Conscientia concomitans omnem facultatum cognoscitivarum actum comitatur, nec sine ipsa potest ulla dari certitudo. Nam requirit certitudo ut subjectum cognoscensin actu saltem exercito percipiat se cognoscere, quod importat conscientiam quamdam.

Conscientia autem reflexa essentialis non est cognitioni,nec in omni actureperitur.

Conscientia porro proprie dicta est conscientia reflexa. Nam conscientia designat reditionem quamdam facultatis supra suos actus et supra seipsam, quæ reditio fit quatenus facultas ad suos actus et ad seipsam directe attendit. Sed hæc reditio et attentio est reflexio. Ergo conscientia proprie dicta importat reflexionem quamdam.

Conscientiae objectum per se sunt omnes et solæ affectiones subjecti, ut facta interna actu existentia. Non ergo versatur conscientia circa objecta externa,neque circa præterita aut futura, sed solum circa præsentia quæ subjectum actu afficiunt.

Hæc vero facta non apprehenduntur in seipsis quasi abstracta, sed in concreto cum omnibus particularibus adjunctis ; ideoque renuntiat conscientia *indirecte* existentiam subjecti a quo illa facta interna sustentantur. Hinc illa subjecti existentia fit objectum conscienti» indirectum.

Probatur nunc conscientiam esse infallibilem circa utrumque objectum, directum nempe et indirectum.

Prima pars contra Scepticos militat ; unde jam constat ex Scepticism! confutatione. Qui dubitat de conscientia, vel admittit se dubitare, vel non. Si non agnoscit se de conscientia dubitare,illam non impetit; si vero admittit se dubitare, veracitatem confitetur conscientise, quæ dubium renuntiat.

IIa pars est contra Criticos Transcendentales, qui conten-

dunt conscientia referri solum phænomonales affectiones, non vero ipsam subjecti existentiam.

lllæ affectiones, utpote accidentia, non possunt sine subjecto existere. Ergo conscientia, si reapse infallibilis est in renuntianda affectionum existentia, infallibiliter quoque existentiam refert subjecti quod affectiones producit et sustentat. Si sentio, sum ; imo « si fallor sum. Nam qui non est, utique nec falli potest, ac per hoc sum, si fallor » ait Augustinus (1).

Dices : Multi conscientiam habent se esse doctos, ingenioque praestare, quod tamen non est. Ergo fallit ipsos sua conscientia.

Resp. Nego conseq. Nam verum est ipsos ita subjective affici sicut refert conscientia ; revera *putant* se esse doctos, ingenio præstantes, etc.

III. — Facultas intellectiva. Pars hominis intellectiva diversis nominibus insignitur : *intelUgentia, ratio inferior, ratio superior,* etc., de quarum distinctione sermo erit in Psychologie. Quæ diversa nomina non significant potentias specifice diversas, sed varia ejusdem facultatis munia. Intelligentia quidem est facultas intellectiva prout versatur circa simplicem apprehensionem, et judicia immediata perse nota; ratio vero est facultas intellectiva prout ex primis principiis per se nolis progreditur ad notitiam conclusionum, quæ in principiis virtualiter continentur.

α Intellectus, ait Angelicus, simplicem et absolutam cognitionem designare videtur : exhoc enim aliquis intelligere dicitur quod interius in ipsa rei essentia veritatem quodammodo legit. Ratio vero discursum quemdam designat quo ex uno in aliud cognoscendum anima humana pertingit vel pervenit (2). »

Intellectus perficitur habitu primorum principiorum, qui est cognitio habitualis veritatum per se notarum ; ratio vero perficitur habitu scientiae, qui est cognitio certa et evidens per demonstrationem comparata.

(1) *De Cimi. Dei,* **lib. XI, cap. χχvι.**
(2) **Q. Q.** *Dispp. de Verit,* **q. XV, a. 1.**

IV. — Prima conclusio. Veracitas intelligentiæ proprie demonstrari nec debet née potest ; iis tamen qui aliquam certitudinem admittunt certo et evidenter probari potest.

Ia pars jam constat. Inter primitivas veritates quæ demonstrari nec possunt nec debent recensetur aptitudo facultatis cognoscitivæ ad suum objectum rite attingendum. Liquet enim intellectum non posse probare suam veracitatem, nisi ponat se jam esse veracem (1).

Iis vero qui admittunt certitudinem potest intellectus per reflexionem invicte ostendere se infallibilitate gaudere. Sic autem conficitur hæc demonstratio.

Prob. IIa pars. Intelligence circa simplices conceptus, rei nempe quidditatem, vel circa principia per se nota, versatur. Atqui intellectus simplices conceptus et rei quidditatem apprehendens est necessario verus, cum error simplici apprehensioni subesse nequeat.

Circa principia vero prima infallibilitate etiam gaudet. Etenim ad certitudinem infallibilem pariendam requiritur et sufficit ut res vera sit et ut intellectus cognoscat rem ita esse. Atqui « proprium est horum principiorum, ait D. Thomas, quod non solum necesse sit ea per se vera esse, sed etiam necesse est videri quod sint per se vera (2). » Ergo quantum ad ista principia intellectus infallibili gaudet certitudine.

Confirmatur. Ideo in judiciis miscetur error quia convenientia prædicati cum subjecto non apparet ex sola terminorum notitia, sed comparationem cum medio termino exigit. Atqni in intelligentiæ judiciis convenientia prædicati cum subjecto innotescit primo intuitu, in sola terminorum notione, absque termini medii adminiculo. Ergo in his judiciis nequit misceri error.

V. — Secunda conclusio. Ratio humana in inferendis per ratiocinium conclusionibus per se infallibilis est, licet falli possit per accidens. Prob. Ia pars, i° Ex aptitudine facultatis cognoscitivæ. Hæc quippe conditio est veritas primitiva, quæ

(1) Gf. q. II, art. 3, n. 4 et seq.
(2) Post *Analyt.,* lect. 19.

omni demonstrationi præsupponitur, et in omni judicio certo invenitur (1).

2° Perfectio naturalis hominis est scientia, quæ est de conclusionibus, et definitur : *Cognitio per demonstrationem acquisita.* Ergo si ratio esset per se fallibili» in suis ratiociniis, nunquam valeret homo suam perfectionem naturalem consequi.

3° Ut ratio infallibilis sit in ratiocinando tria sufficiunt : I0 ut præmissæ veræ sint ; 2° ut. forma legitima sit ; 3° ut ratio hæc cognoscat. Atqui tria hæc habentur. Ergo infallibilis est ratio in suis ratiociniis.

Major liquet. Nam, si præmissæ veræ sunt, et recta illatio, et cognoscitur illationis légitimités, infallibilis adeo est conclusio, ut intellectus ad ejus assensum necessitelur, tum necessitate specificationis, tum necessitate- exercitii, utinfra ostendetur (2).

Declaratur minor : t° Præmissæ sunt veræ, cum sint judicia prima, necessaria, evidentia : 2° cognosci potest praemissas esse veras ex iisdem fontibus quibus innotescit prima principia vera esse ; 3° ut legitima sit forma,.sufficit argumentationis præcepta servare ; ut vero cognoscatur legitimitas illationis, sufficit perspicere nexum inter antecedens et consequens. Porro si mens plene cognoscit antecedens et consequens, facile nexum inter utrumque deprehendet, cum consequens logice et necessario in antecedente contineatur.

IIa pars probatione vix indiget. Falli per accidens est a recto tramite propter extrínseca obstacula deffectere. At multa sunt impedimenta quibus irretita ratio a vero deficere potest : passionum impetus, phantasmatumque perturbatio, mentis praecipitatio, levitas aut hebetudo. Qui tamen defectus circa primas conclusiones non accidunt, sed circa remotiores, in quibus non liquido perspicitur illationis legitimitas.

Merito ergo concludit Bossuetius : « Tl demeure pour certain que l'entendement purgé de ses vices et vraiment attentif à son objet ne se trompera jamais, parce qu'alors, ou il verra

(1) **Q. II, art. 3, n. 4.**
(2) **Tract. III, q. I, a. 3, n. 6 et η.** *7.*

clair, et ce qu'il verra sera certain, ou il ne verra pas clair, et il tiendra pour certain qu'il doit douter, jusqu'à ce que la lumière paraisse (1). »

VI. — Do valore idearum objective. Statuta omnium facultatum cognoscitivarum veracitate, eo ipso demonstratur ideas nostras valore objective gaudere. Ideæ quippe sunt repraesentationes intelligibiles quæ ex sensibilibus ope intellectus et rationis efformantur. Veraces ergo sunt ideæ objectivoque gaudent valore, si sensibilia ex quibus eruuntur revera existant sicut a sensibus referuntur ; et si intellectus et ratio quæ ideas intelligunt veraces et infallibiles sunt circa propriam operationem. Atqui sensibilia revera existera sicut renuntiantur, constat ex dictis supra de criterio sensuum ; intellectum et rationem infallibiles esse in ideis intelligendis, modo ostensum est. Ergo ideæ valore gaudent objectivo.

Insuper, ideæ sunt repraesentationes universalium. Atqui universalia non carent objectiva realitate, ut constat ex tract. I *De Universalibus.* Ergo ideæ valoro gaudent objectivo.

Griticismus transcendentalis, qui objectivam idearum realitatem negat, alibi expenditur *(Metaphys. Psychol.* Tract. I, q. II, art. II). Objectiones porro contra rationis valorem fieri solitas, jam præoccupavimus, ubi de scepticismo (2).

(1) *De la connaissance de Dieu et de soi-même, c.* **i, xvi.**

(2) **De objectivitate ordinis idealis consuli potest D.** Mercier, *Griteriologie,* **liv. III et liv. IV.**

ARTICULUS QUARTUS

DE CRITERIO OBJECTI VO QUOD EST EVIDENTIA (1).

Ï. — Ratio articuli. Criterium intrinsecum, sicut et ipsa cognitio, elementum duplex includit, subjectivum nempe et objectivum. Desubjectivo, seu facultate cognoscitiva, sermo fusior habitus est. Td porro quod inter objectiva criteria præstat et quod omnem cognitionem certam causât et dirigit, est evidentia. Cætera autem criteria objectiva sunt prima principia. Præsens igitur articulus erit de evidentia, sequens vero de primis principiis.

II. — Evidentiae notio. Evidentia est veritatis perspicuitas cuimens non potest denegare assensum. Veritas rei et capacitas intellectus ita proportionantur et commcnsurantur ut intuitus mentis in veritate necessario figatur iliique necessario adhæreal. Se habet evidentia respectu intellectus sicut lux corporum respectu oculi. « Dicitur enim lux in spiritualibus illud quod ita se habet ad manifestationem intellectivam sicut se habet lux corporalis ad manifestationem sensitivam (2) ». Sicut fulgor objecti corporalis oculum ad visionem nécessitât, ita veritatis fulgor intellectus assensum rapit. Hic porro veritatis fulgor est proprie et formaliter evidentia.

III. — Explicatur quid sit fulgor objecti. Id quod illuminat, seu manifestat intrinsece objectum, est forma vel essentia

(1) **Consuti possunt** Joannes a **S.** Thoma, *Logic.,* **q. XXVI, a. 4** ; San-ÊEVERINO, *Dynamil;* Balmès, *Philos, fondamente* **lib. I** ; Pesch, *Logic;* Ra-**Biffe,** *Logique,* **etc.**

(2HIDist, 13, q. I, ad. 9»

rei ; unumquodque enim cognoscitur per suam formam. Omnis autem essentia est participata quædam similitudo essentia) divinæ, et immediate a divino intellectu pendet. Porro divina essentia et divinus intellectus sunt lux et claritas infinita. Igitur essentia rei recipit quemdam fulgorem et intelligibililatem qua res tola collustratur. Essentia itaque secundum scipsam est maximo resplendens ; at vero, prout in singularibus concretis et materialibus existit, non est intelligibilis actu, sed debet abstrahi per virtutem intellectus agentis, ut explicabitur in Psychologie; et hac abstractione activa producitur idea, seu species intelligibilis. Species autem intelligibilis illuminatur ab intellectu agente, et, mediante lumine specierum intelligibilium, illustrantur principia prima et ea omnia quæ per principia cognoscuntur. Igitur fulgor objecti est ille quem habet objectum in specie intelligibili, prout hæc illuminatur ab intellectu agente et illuminat prima principia.

IV. — Differentia inter certitudinem et evidentiam. Evidentia se habet ad certitudinem sicut causa ad effectum : evidentia enim est perspicuitas objecti quod infallibiliter determinat montem et facit adhaerere absque ulla errandi formidine ; certitudo vero est ille assensus firmus et infallibilis. Certitudo est proprietas actus intellectus, evidentia potius se tenet ex parte objecti. Quod clarius constabit ex dicendis de evidentia objectiva et subjectiva.

V. — Evidentia objectiva et subjectiva. Objectiva est ipse fulgor quo illustratur et irradiatur objectum*; subjectiva est perspicuitas prout ab objecto ad intellectus perceptionem derivatur, seu, est clara intuitio objecti menti affulgentis, quæ removet omnem errandi formidinem. Evidentia objectiva est prior et causa evidentiae subjectivae ; imo proprie loquendo evidentia est solum objectiva. Diximus certitudinem esse subjectivam essentialiter, objectivam autem analogice tantum (1) ; evidentia a contra est subjectiva solum analogice : actus nempe mentis dicitur evidens, quia est effectus eviden-

ti) Q. I, art. 1, n. 13.

lial, sicut color vultus dicitur sanus quia est sanitatis effectus ; sed id quod est proprie evidens est objectum, sicut id quod est proprie sanum est animal.

VI. — Evidentia materialiter sumpta, evidentia formalis. Evidentia materialiter sumpta est ipsa res quæ fit evidens ; quare semper est objectiva ; evidentia autem formalis est forma, seu lux, qua res illustratur et fit evidens. Hæc vero lux, ut dictum est, provenit ab intellectu agente. Lumen autem intellectus est aliquid inhærens et subjectivum, et sub hoc respectu evidentia formalis dici potest aliquid subjectivi. Sub alio tamen respectu dividi potest in objectivam et subjectivam. Lumen enim subjectivum intellectus duo præstat; primario et immediate illustrat objectum, et hinc habetur evidentia objectiva ; secundario et mediate ex objecto derivatur ad intellectus perceptionem, et ita fit evidentia subjectiva.

VII. — Evidentia immediata et mediata. Evidentia immediata est in qua objectum per se patet menti absque termino medio, sive per simplicem mentis intuitum sive per sensuum experientiam comparetur: *Totum est majus sua pariet dies est; ego existo.* Mediata est quæ habetur ope nexus cum alia veritate prius cognita : *anima est immortalis.* Evidentia cujusvis conclusionis est mediata.

VIII. — Evidentia intrinseca et extrínseca. Evidentia intrinseca est evidentia objecti in seipso, quando nempe videtur convenientia praedicatorum essentialium : quo casu intellectus ab ipso objecto necessitatur. Evidentia vero extrínseca est qua objectum non fit evidens in se, sed tantum in motivis externis ; quo casu intellectus ab objecto non determinatur, sed indigel motione voluntatis ut ad assentiendum inclinetur. Dico : *Anima est spiritualis.* Mens connexionem videt terminorum in seipsis ; perspecta autem hac habitudine necessitatur assensus, nec requiritur voluntatis impulsus. At dico : *Deus est unus et irinus.* Non video quomodo unitas in essentia et trinitas in personis inter se conveniant, et idcirco intellectus ab

objecto non cogitur. Sed scio Deum esse veracem, Deumque illud cognoscibile revelasse ; est ergo motivum adhærendi buio objeoto, ac tuto potest voluntas intellectum cogere ut illi objecto assentiat.

Quandoque motivum adhærendi excludit omnem errandi formidinem, et ita habetur evidentia *credibilitatis* ; quandoque vero formidinem admittit, et est evidentia *probabilitatis.*

Itaque in casu evidentiae intrinsecae mens assentit propter *auctoritatem evidentis?* ; in casu vero evidentiae extrinsecæ assentit propter *evidentiam auctoritatis,* vel *evidentiam pro* habilitatis.* Omnis porro assensus, ut sit prudens, aliquam evidentiam, saltem extrinsecam, requirit. Veritates etiam fidei, etsi non evidentes intrinsece, vera tamen gaudent extrínseca evidentia : liquido enim constat dari motiva credendi firmiter absque ulla errandi formidine. His in luce positis, statuitur

IX. Conclusio : Evidentia est criterium quod vi sua cogit intellectus assensum, et cui subesse nequit falsum. Prob. Ia pars. Facultas naturalis necessitatur ab objecto suo formali sufficienter proposito : sicut oculus apertis palpebris necessario videt. Atqui intellectus est potentia naturalis, et ejus objectum formale est verum. Ergo intellectus necessitatur quando verum est ipsi sufficienter propositum. Sed, cum verum apparet menti evidens, est sufficientissime propositum, siquidem est menti præsens in sua luce et perspicuitate. Ergo intellectus necessitatur a vero evidenti.

Prob. IIa pars. Constat intellectum natura sua necessitati ab evidentia. Sed si evidentiæ veræ posset subesse falsum, intellectus natura sua cogeretur ad errorem, et sic falleretur per se, quod jam confutavimus. Ergo evidentiæ veræ subesse nequit falsum.

Diximus : evidentiæ *veræ,* quia, ut optime notat P. Schifimi (1), aliquid quod est evidens, ex inconsideratione mentis ratione alicujus similitudinis confundi potest cum eo quod reipsa non est evidens, cui proinde falsum subesse potest. Hoc autem accidit cum quis confundit evidentiam consequen

(i) *Log.,* **pap. 349.**

tiæ cum evidentia consequentis, aut evidentiam moralem et physicam cum evidentia metaphysica.

Dices : Ut evidentia sit criterium debet esse evidens hæc propositio : *Evidens esi verum.* Atqui hæc propositio non est evidens. Ergo evidentia non est criterium. Resp. Neg. min. Nam, ut ex terminis liquet, evidens est verum ut perspicuum. Porro hæc propositio : *verum perspicuum est verum,* evidentissima est. Ergo hæc propositio : *evidens est verum,* evidentia gaudet.

X. — An evidentia distinguatur a veritate. Evidentia non distinguitur realiter a veritate tanquam nova entitas ipsi addita, sed logice dumtaxat. Evidens quippe designat ipsum verum perspicuum ; ergo veritas et evidentia sunt materialiter idem, nec possibile est ut perspicuitas competat falso ; nam falsum est quædam privatio et difformités in cognitione. Evidentia tamen a veritate logice differt, siquidem importat specialem perspicuitatem respectu intellectus, seu dicit veritatem reduplicative ut menti affulgentem.

XI. — An omnis veritas sit evidens. Res fuit aliquatenus controversa. Cartesiani, necnon plures ex recentioribus, praesertim Onlologistæ, imo Balmes et Sanseverino, existimant evidentiam non competere omnibus veritatibus, sed solum veritatibus necessariis et universalibus. Altera autem sententia vult omnem veritatem evidentia gaudere. Difficultas vero distinctione solvitur. Materialiter quidem et *quoad se* omnis veritas est evidens ; non autem formalitcr et *quoad nos.*

Prima pars jam constat, nam veritas et evidentia sunt materialiter idem. Insuper, evidentia est claritas, perspicuitas, seu intelligibilitas objecti. Atqui omnis essentia, cum sit participatio quædam intelligibilitatis divinæ, habet claritatem et intelligibilitatem. Ergo omnis essentia quoad se evidentiam suscipit. — Non autem quoad nos. Evidentia quoad nos est veritas ut manifesta et menti perspicua. Atqui non omnis veritas est menti manifesta et perspicua, sive propter objecti defectum, sive propter objecti eminentiam et intellectus infirmitatem, qui se habet ad maxime intelligibilia sicut oculus

noctuæad solem. Ergo non omnes veritates evidentia gaudent respectu nostri.

Ipsæ autem veritates evidentes quoad nos diverso titulo evidentia potiuntur: alis quippe evidentia immediata gaudent, sicut prima principia, quæ cognitis terminis illico intelliguntnr ; aliæ vero evidentia mediata, ut conclusiones quæ ope medii termini eruuntur ; aliæ evidentia intrinseca, ut principia intellectus vel conclusiones scientiarum ; aliæ demum evidentia extrínseca tantum, ut illæ quæ fide tenentur.

XII. — Quid dicendum de evidentiis illusoriis. Contendit Rabier dari evidentias *illusorias* quamvis absolutas. Quæ assertio in terminis ipsis implicat.

Repugnat enim verum ut sic esse illusorium. Atqui evidentia est verum ut perspicuum. Ergo repugnat evidentiam esse illusoriam, seu evidentiæ subesse falsum, ut modo ostensum est.

Si qua ergo illusio interdum subrepit, non ipsi evidentiæ est adseribenda, sed intellectui, qui inconsiderate confundit evidentiam consequents cum evidentia consequentis, vel cum aliquo alio quod reapse non est evidens.

XIII. — De triplici evidentiæ modo. Cum evidentia sit veritas ut visa, tot sunt evidentiæ modi quot sunt modi visionis. Triplex autem est visionis modus. Ergo tres evidentiæ modi (<). Primus quidem visionis, seu evidentiæ, modus est in simplici apprehensione. A7isio enim primordialiter sensui tribuitur, et per translationem intellectui, quando ipsa forma intellectualis fit in mente sive per lumen naturale, ut quum intelligimus hominis quidditalem, sive per lumen supematurale, ut quum intellectus divinitus illustratur ad aliquid apprehendendum. Secundus modus est in judiciis immediatis et iuluitivis, sicut quum per lumen naturale principia prima intclligimus, quæ statina, notis terminis, luce propria menti applicantur.

Tertius modus est in judiciis mediatis quæ per demonstrationem et scientiam manifeste resolvuntur in principia per

(i) Gf. S. Thomas, **III** *Distinet,* **XXIV,** q. **I, ari. 1.**

se nota. Eo ipso enim quod per necessariam connexionem veritatibus per se notis conjungantur, illuminantur ab istis principiis, perinde ac si essent visa, et sic fiunt evidentia.

XIV. — Inevidentia. Ex quibus intelligitur quid sit inevidentia. Est visionis privatio, qua tit ut objectum menti propositum sufficiens non sit ad potentiam convincendam et determinandam. Quare ut intellectus adhæreat, requiritur imperium et influxus voluntatis. Non superaddit autem voluntas lumen novum quo tollatur inevidentia, id quippe non est facultatis appetitivae munus ; sed intellectus voluntate inclinatus vidensque affectum voluntatis ad objectum, non renuit adhaerere objecto quod voluntati placet. Convenit porro inevidentia tum opinioni, quæ est assensus simul incertus et inevidens, tum fidei, qui est assensus inevidens, sed certus. Quare, ut fiat actus opinionis vel fidei, requiritur motio voluntatis facientis adhærere objecto quod voluntati ipsi convenit et placet.

ARTICULUS QUINTUS

DE CRITERIO PRIMORUM PRINCIPIORUM

I. — Notio primorum principiorum (i). Prima principia sunt propositiones indemonstrabiles quæ, statim, notis terminis, cognoscuntur. «Hujusmodi sunt communia, ait Angelicus, eo quod nostra cognitio **a** communibus ad propria pervenit. Et ideo istæ propositiones sunt prima demonstrationum principia, quæ componuntur ex terminis communibus, sicut *totum et pars,* ut: *omne totum est majus sua parte; æquale et inæquale,* ut : *quæ uni et eidem sunt æqualia sibi sunt æqualia.* Et eadem ratio est de simiiibus (2). » Hæc prima judicia, prout sunt communia omnibus, dicuntur *axiomata,* seu *dignitates,* quia digna sunt quæ statina ab omnibus absque probatione admittantur.

II. — Quæ sit differentia inter axiomata, maximas, effata, principia facti. *Axiomata,* **licet in sensu lato designare pos-**

(1) **Principia sub ratione motivorum et criteriorum ad Logicam referuntur ; prout vero sunt rerum constitutiva, considerantur a Metaphysica, Quædam tamen sunt principia quæ ordinem realem præcipue spectant, ut principia** *causalitaiis, rationis sufficientis, finalitatis,* **et istorum consideratio est ontologica. Quare de iis in Metaphysica Ontologica disserimus. Hic ergo sermo est de principiis quæ ad ordinem pertinent cognitionis. — De principiis vero consuli possunt** Aristoteles **in I** *Post. Analyt.,* **et in IV** *Metaphys. ;* **D.** Thomas, *Lectiones* **in præfatos Aristotelis libros;** Suarez, *Disputationes Metaphysicæ,* **disp. III** jBalmès, *Philosophie fondamentale, lib.* **I, c. xx** ; Zigliara, *Critic,* **lib. Il, cap. π** ; Pesch, *Logic.* ; **P.** Georgius a Villafranca, *Critic,* **lib.Ill;** Elie Blanc, *Logique,* **c. XVI.**

(2) **I** *Metaph,.* **lib. IV, lect. 5, u.**

sint omnes veritates indemonstrabiles, stricte tamen loquendo, sunt principia prima omni scientiæ communia ; dicuntur etiam *dignitates. Maximæ* designant prima principia ordinis practici, vel etiam omnem propositionem quæ communiter inter homines ut veritas admitti solet.

Effata vero non raro cum axiomatibus vel maximis confunduntur; speciatim tamen designant judicia quædam quæ se habent ut principia *scientiæ* propria, et in quibus scientia ut in quodam compendio resumitur ; sic tota cognitionis theoria hoc effato continetur : *Cognitio fit secundum quod cognitum est in cognoscente.* Hæc judicia, licet universalia, non sunt necessario immediata ; sed ab axiomatibus dependent, et per axiomata probari possunt.

Demum *principia facti* sunt judicia a posteriori, seu synthetics, quæ experientia immediate vel mediate cognoscuntur.

— Inter axiomata recensentur: **Totum est majus sua parte. — Eadem uni tertio sunt eadem interse. — Causa oausæ est causa causati. — Ex nihilo nihil iit. — Nihil dat quod non habet.**

— Inter maximas : **Declina a malo et fac bonum. — Peritis in arte credendum est. — Potior tempore potior jure. — Affirmanti incumbit probandi onus. — Qui tacet consentire videtur.**

— **Inter effata : Actus et potentia sunt in eodem genere. — Nihil agit nisi in quantum est actu. — Cognitio fit in quantum cognitum est in cognoscente.— Omne agens agit propter finem. — Omnis effectus assimilatur sues causes. — Nihil agit ultra suam speciem. — Operari sequitur esse, modus operandi sequitur modum essendi. — Ars supponit naturam.**

— Inter principia facti : **Cogito, sum; mundus existit.**

III. — An prima principia criteria sint veritatis.

Non pauci ex Carlesianis, ut Arnaldus, contendunt principia experimentalia non esse veritatis criteria, quia de illis non certitudinem, sed probabilitatem dumtaxat comparare possumus. Subjectivistæ e converso, qui objectivitatem conceptuum inficiantur, consequenter tenent principia analytica criteria non esse certitudinis.

IV. — Prima conclusio : Principia prima analytica firmissima sunt veritatis criteria.

Arg*. Inm. Cum evidentia sit infallibile veritatis criterium, id firmissimum dicendum est criterium quod habet in se evidentiam, et a quo cætera evidentiam mutuantur. Sed princi* pia prima babent in seipsis evidentiam, et e contra cætera ab ipsis evidentiam mutuantur: omnis quippe evidentia judiciorum mediatorum, seu conclusionum, est participatio quædam derivata ab evidentia primorum principiorum. Ergo prima principia sunt firmissima criteria.

Arg. IIum. Id sane criterium est certitudinis quod est'semen omnis scientiæ et certitudinis. Sed prima principia sunt scienliæ.semina; tota namque scientia est evolutio principiorum, ipsaque certitudo scientifica nihil aliud est quam certitudo principiorum. Tunc enim conclusiones per certitudinem sciuntur quum resolvuntur in principia: hinc est quod perfecta sapientia sit resolvere conclusiones non solum in proximas causas, sed in prima principia, seu primas causas. Ergo.

V. -- Secunda conclusio : Etiam principia facti, seu experimentalia, criteria sunt veritatis. Ideo negant adversarii hujusmodi principia esse veritatis criteria, quia contendunt inductione, cujus ope acquiruntur, non posse comparari veram certitudinem, cum impossibilis sit completa omnium singularium enumeratio. Atqui hæc ratio nulla est. Ergo. Declaratur minor. Licet enumerari non possint omnia singularia, colligi tamen possunt tot observationes ut ad essentiam singularium concludi possit. Atqui, cognita essentia singularium, habetur medium statuendi principium generale omnino certum et infallibile, quia natura una est in omnibus. Res patebit ex dicendis infra de inductiqne (Tract. III, q. II).

VI. — Quodnam sit principium omnium primum. Alii aliud assignant. Ontologistæ volunt esse aliquam veritatem quæ sit origo et fons omnis cognitionis nostræ et ratio representativa omnium quæ cognoscimus. Cartesiani tenent esse : *Cogito, ergo sum;* Leibnitz ponit esse simul principium contradictionis et principium : *Nihil est sine ratione sufficienti.* Scho-

l&stici vero docent in demonstratione perfecta, directa, os* tensiva, esse hoc principium: *Omne ens est sua natura;* abstrahendo autem ab omni specie demonstrationis, principium omnium simpliciter primum esse : *Impossibile est idem secundum idem simul esse et non esse,*

VII. — Conditiones primi principii. Assignantur ab Aristotele et D. Thoma (t). « Prima est quod circa hoc non possit aliquis mentiri sive errare. Et hoc palet, quia homines non decipiuntur nisi circa ea quæ ignorant ; ideoque circa quod non potest aliquis decipi, oportet esse notissimum. — Secunda est ut non sit conditionale, scilicet ut veritas ejus non pendeat ex suppositione, quia jam aliud supponeret, nec esset primum; sed oportet per se esse notum. — Tertia conditio est ut non acquiratur per demonstrationem, sed adveniat quasi per naturam habenti ipsum. Nam quod demonstratur est conclusio, non principium. » Ilis præsuppositis, statuitur

VIII. — Prima conclusio : Primum principium humanæ certitudinis non est aliqua veritas prima quæ sit fons et ratio repræsentativa omnium quæ a nobis cognoscuntur.

Probatur. Scientia nostra acquiritur per demonstrationem. Sed, si omnia cognoscimus in aliqua veritate omnium representativa, superfluit demonstratio, jamque efficimur sicut Deus, omnia uno intuitu capientes.

— Cæterum veritas illa perfectissima omnium repræsentativa cognosceretur vel simplici apprehensione veljudicio. Sed utrumque repugnat. Ergo.

Prob. min. Non posset cognosci per simplicem apprehensionem, quæ est cognitio iuchoata et in qua veritas imperfectissime invenitur. Nec per judicium, nam judicare est componere vel dividere. Sed veritas omnium repræsentativa est aliquid simplex et uniforme quod cujusvis compositionis et divisionis expers existit. Ergo.

IX. — Secunda conclusio : Principium simpliciter primum est principium demonstrationis directae, ostensivae, positivae.

(1) **In 4,** *Meiaphysicorum,*

Demonstratio ostensiva rem probat ex ipsis rei intrinsecis, indirecta vero ex extrinsecis, quia nempe alias sequeretur absurdum. Atqui perfectius et nobilius est rem ex intrinsecis quam ex extrinsecis dignoscere et demonstrare.

Ergo principium omnium perfectissimum et nobilissimum debet esse principium demonstrationis ostensivae. — Imo et positivæ. Nam demonstratio negativa indicat solum quid res non sit; positiva autem quid res sit, quod certe perfectius est. — Insuper, conclusio negativa pendet ab aliqua propositione affirmativa, quia utraque si præmissa neget, nil inde sequetur.

Sed principium primum a nullo pendere debet.

Ergo principium primum debet esse propositio affirmativa et positiva.

X. — Tertia conclusio : Primum principium In demonstratione ostensiva, positiva, est : Omne ens est id quod est, seu est sua propria natura.

Probatur. Primum principium in syllogismo ostensivo, affirmativo, debel esse definitio quæ omnes alias definitiones complectatur. Atqui definitio quæ omnes alias complectitur est ista : *Omne ens est sua propria natura.* Ergo in syllogismo affirmativo, seu iu demonstratione directa, primum principium est : *Omne ens esi sua propria natura.* Probatur major. Primum principium in syllogismo affirmativo ita est exprimendum ut prædicatum deprehendatur convenire subjecto ex sola rei natura. Atqui natura rei per definitionem manifestatur, cum sit conversio inter definitionem et naturam definiti. Ergo primum principium exprimendum est per definitionem, et, cum hic agatur de principio generalissimo exprimendum est per definitionem generalissimam quæ omnes complectatur definitiones.

Probatur maj. ultimi argumenti. Principium syllogismi affirmativi est *dictum de omni* vi cujus prædicatum quod asseritur de subjecto universali debet convenire subjecto particulari sub universali contento. Atqui istud prædicatum cognoscitur convenire subjecto universali vel per aliam demonstrationem, quo casu non habetur principium primum, quod est indemonstrabile, vel infertur ex alio prædicato conveniente eidem

subjecto, nec tunc habetur primum principium quod est oπ-ήino independen». Ergo, cum non sit procedendum in infintum, deveniendum estad aliquod principium in quo predicatimi cognoscatur convenire fubjocto ex natura rei. Igitur primum principium taliter exptimendum est ut convenientia predicali cum subjecto ex sola natura subjecti deprehendatur.

Prob. min. scilicet : definitio quæ alias complectitur hæc est : *Omne ens esi sua propria natura.*

Nam, dicendo : *ens* ponitur subjectum generalissimum quod complectitur omnia ; dicendo : *est sua natura* designantur cælera quæ omni enti invariabilitor conveniunt, nempe essentiæ unitas, indivisibilitas, distinctio. Natura enim quæ est sua et indivisa in se est divisa ac distincta a quolibet alio (1).

Confirmatur exemplo. Definitio hominis est : *Homo est animal rationale.* Sed animal rationale est natura hominis. Ergo definire hominem est dicere implicite : *Homo est sua natura.* Igitur definitio hominis, et idem valet pro cæteris, continetur in ista : *Omne ens est sua natura.*

"SI. — **Quarta conclusio : Primum principium in demonstrattone indirecta est principium contradictionis : Imposai*bile est idem secundum idem simul esse et non esse.**

Probatur. Demonstratio indirecta probat rem ita esse debere quia secus absurdum sequeretur. Atqui absurdum est incompossibilitas duorum conceptuum in eodem secundum idem, simul (2). Ergo principium primum in demonstrationibus indirectis est illud in quo exprimitur incompossibilitas duorum conceptuum in eodem secundum idem, simul. Sed hæc incompossibilitas nonnisi hoc modo exprimi potest : *Impossibile est idem secundum idem simul esse et non esse.* Ergo

(1) Gf. Gard. Zigliaha, *Critic.,* **lib. II, cap. π, a. 3.**

(2) « **Voce** *simul* **non solum tempus significatur, sed generatim exprimitur contradictoria ambo una accepta et vera et falsa esse non posse** » (Pesch. *Log* **, n. 1231). Additur itaque** *simul* **ut appareat praefatum judicium ad omne ens universalissime se extendere, et ad neces*saria, quæ sunt independenter a tempore, et ad confingentia quæ in tempore significantur. Graviter ergo erravit Kantius illam particula g omittendo (Vide infra, n. xv).**

primum principium in demonstratione indirecta est principium contradictionis : *Impossibile esi idem secundum idem timui esse et non esse.*

Ad principium contradictionis reducitur principium medii *exclusi : quodlibet aut est aut non est.* Est igitur contradictionis principium eo modo expressum ut appareat inter duo contradictoria non dari medium.

XII. — Quinta conclusio : Abstractions facta a spooiebus demonstrationum, primum principium est principium contradictionis.

Illud principium est simpliciter primum a quo cætera probantur, ipsum autem non potest ab alio probari ; quod non potest in dubium verti quodque in omni alio judicio implicite continetur. Atqui hujusmodi est principium contradictionis. Ergo. Prob. min. Cætera principia per principium contradictionis demonstrantur, non quidem demonstratione proprie dicta, cum supponantur indemonstrabilia, sed per quamdam explanationem et analysim terminorum. Sic principium : *Totum est majus sua parte,* ideo probatur, quia alioquin sequeretur totum non esse totum. Principium primum positivum : *Omiie ens est sua natura* hoc etiam modo ostenditur. Si enim ens non est sua natura, seu non est id quod est, sequitur aliquid esse et non esse.

Igitur cætera principia in principium contradictionis resolvuntur. Sed nullum est aliud in quod ipsum principium contradictionis resolvi queat et a quo probetur. Qui enim intendit hoc principium probare supponit probatum et non probatum non esse idem ; quod est profiteri ipsum contradictionis principium. — Pariter, qui in dubium verteret hoc principium supponeret illud esse falsum. Sed non potest supponere illud falsum nisi teneat falsum non esse verum.

Ergo nemo potest illud principium negare, nisi illud profiteatur.

Tandem, hoc principium in omni judicio continetur. Principium contradictionis versatur circa notionem entis, nam exprimit pugnam quae est inter ens et non ens. Sed notio entis in omni conceptu et in omni judicio imbibitur, siquidem om-

nis conceptus exprimit quamdam entis determinationem.

Ergo axioma contradictionis implicite continetur in omni judicio.

Res exemplo manifestatur : Qui dicit : *Deus est justus,* ipso suo asserto profitetur Deum non esse injustum et supponit justum et injustum non esse idem (1).

XIII. — Corollarium. Hinc refutatæ manent sententiœ Carteen et Leibnitzii. — Primum quippe factam : *Cogito,* ex quo infertur . *ergo sum,* non tenet nisi quia repugnat simul cogitare et non cogitare, quod est principium contradictionis. Principium etiam rationis sufficientis supponit esse sine ratione sufficienti et esse cum ratione sufficienti non esse idem, quod est supponere contradictionis principium. Ergo principium rationis sufficientis non est primum (2).

XIV. — Quo sensu concedi possit contradictionis principium non esse primum.

Quadruplici titulo dicitur primum : I0 Quia omnia alia ipso probantur, ipsum autem a nullo ; 2° necessitate, quia omnia alia ipsum supponunt ; 3° universalitale, quia se extendit universaliter ad omne ens, cum exprimat pugnam quæ est nter ens et non-ens ; 4° quia omnia cætera reducuntur ad ipsum. Versatur enim circa notionem entis ; quare, sicut omnes ideæ ad entis conceptum reducuntur, ita omnia principia ad contradictionis principium revocari possunt.

Secundum alium tamen respectum non est primum ; quod quidem triplici sensu intelligi potest : 1° Quia principium absolute primum est principium demonstrationis directæ, posi-

ti) « Ge principe est celui qui soutient tout raisonnement, et qui nierait une conséquence d'un argument bien fait, en accordant la majeure et la mineure, serait forcé d'avouer qu'une chose serait et ne serait pas en même temps.

Ce principe est tellement le premier, que les autres s'y réduisent ; en sorte qu'on peut tenir pour premiers principes tous ceux où, en les niant, il paraîtrait d'ahord à tout le monde qu'une même chose serait et ne serait pas en même temps. » Bossuet, *Logique,* **liv. II, ch. xn.**

(2) De principio rationis sufficientis ejusque distinctione a principio CAUsalitatis vide *lietaphÿs. Ont.* **Tract. IV, q. 1« a. 4.**

livæ, ostensivæ, ut modo probatum est (n. ix) ; 2° quia non est principium actu continens cætera principia. Sicut enim idea entis exhibet aliquid potentiate in cujus analyst cæteri conceptus non includuntur actu et determinate, ita contradictionis principium est veritas quasi potentialis in cujus analysi cæteræ veritates non continentur actu. 3° Quia non assumitur universaliter ut præmîssa otnnis demonstrationis.

In omni quidem demonstratione virtualiler concurrit contradictionis principium, quia nulla est vis probandi si nutat vis illius principii, attamen contradictionis principium non assumitur proprie et formaliter ut præcognita omnis demonstrationis præmîssa.

XV. — De vera formula principii contradictionis.

Gum principium contradictionis versetur circa pugnam quæ est inter ens et non-ens, enunciandum est aliqua formula quæ illam pugnam clare et nervose exprimat. Atqui formula pugnam inter ens et non-ens clare et nervose enuncians est ipsa propositio modali» de impossibili quæ necessitatem insuperabilem importat. Ergo formula principii contradictionis debet esse propositio modalis de *impossibili: Impossibile est.*

At vero, ut realis sit pugna inter ens et non eus, accipiendum est idem ens secundum eumdem entis respectum ; nam, si adsit diversum ens vel idem sub diverso respectu pugna illa evanescit. Ergo scite additur : *Idem secundum idem.*

Demum, quia principium contradictionis est lex universalissima entis se extendens universalissime ad omne ens, taliter exprimendum est ut appareat nunquam contingere posse exceptionem, neque in necessariis quæ sunt indepondenter a tempore, neque in contingentibus quæ in tempore significantur ; ad quod indicandum congruentissime additur particula *simul,* qua « non solum tempus significatur, sed generatimi exprimitur contradictoria ambo una accepta et vera et falsa esse non posse », ut dicit cl. P. Pesch.

Ergo vera principii contradictionis formula illa est quam passim tradunt Peripatetici et Scholastici : *Impossibile est idem secundum idem simul esse et non esse.*

Kantius tame«к in pluribus formulam reprehendit. Imprimis

vox *impossibile* superfluit, quia certitudo propositionis a priori ex sola propositionis natura innotescere debet ; aliunde vox *simul* inepta est, quia veritas judicii a priori independeos est a tempore.

Quare communi formulae alia congruentior substituenda est, nimirum : *Prædicatum quod rei, seu subjecto, repugnat, ei non convenit.*

Quantum autem hæc asserta a vero aberrenthaud ægre deprehenditur. Jam enim ostensum est vocem *impossibile* adhiberi ut clarius et nervosius exprimatur pugna inter ens et non-ens : vocem autem *simul* significare contradictoria ambo una accepta et vera et falsa esse non posse, et insuper, prout significat tempus, extendere principium universalissime ad omne ens, etiam ad contingentia.

Formula vero kantiana multiplici laborat vitio.

Imprimis *destruit vim objectivam* illius principii. Nam dicendo : *Prædicatum quod subjecto repugnat, ei non convenit,* innuit Kantius illud principium pertinere ad propositionem prout habet esse in anima, ideoque esse legem cogitationis et intra subjectivum cogitationis ordinem coarctari.

Secundo, *destruit illius universalitatem.* Nam rejiciendo particulam *simul,* monet Criticus germanus principium illud solum ad formas abstractas se extendere, non autem ad res contingentes, concretas realiterque existentes, quæ in tempore stint et in tempore significantur.

21VI. — De principio primo in ordine experimental!. Jam monuimus (n° v) necessariam non esse omnium singularium enumerationem ut vera sint principia experimentalia, sed sufficere ut expertis quibusdam concludi possit ad essentiam singularium, quia jam habetur principium universale quo niti possit demonstratio. Illud autem principium experimentale a quibusdam philosophis, postHumium, sic exprimitur : *Fuhirumpræterito erit simile.*

Animadvertatur porro istud effatum considerari posse in ordine rerum concreto : expertus sum hodie, heri, nudiustertius ignem calefacere, solem oriri ; comperi igitur eodem modo agere ignem vel solem heri et hodie ; hinc percipio futu-

rum præterito esse consimile. Qua ratione principium illud experientiam supponit et ipsa comprobatur.

At rursus considerari potest ut *universale,* et jam illius certitudo, licet experientiam supponat qua acquiritur ipsum principium, non tamen in experientia sola fundatur, ut contendit Galluppi, sed ex aliquo principio rationali inferenda est. Experientia particularis est. Atqui certitudo illius principii est generalis et universalissima. Ergo certitudo illius principii in sola experientia non fundatur, nisi velimus conclusionem latiorem esse præmissis.

Quo pacto ergo stabilietur illa certitudo ? Non instinctu cæco, ut vult Reid, nam scientiæ experimentales non possunt instinctu cæco niti. Sed hac ratione comparatur : Ideo futurum erit præterito simile, quia constat dari effectus uniformes, invapiabiles. Sed effectus uniformes, invariabiles requirunt causam uniformem, invariabilem, quæ est natura semper eadem et eodem modo operans.

Ergo ideo futurum erit præterito simile, quia natura esi semper eadem eodemque modo operatur.

Licet igitur principium : *Fuiurum erit preterito simile* verissimum sit, non tamen est simpliciter primum, nec in sols experientia fundatur, sed ex alio universaliori infertur et probatur, hoc modo : Natura est semper eadem et eodem mode operatur. At si natura semper eodem modo est et agit, necesse est ut futurum sit præterito simile. Ergo futurum præterito erit consimile.

Quocirca principium istud est solum quoddam particulare judicium contentum sub hoc generaliori : Natura semper eodem modo est et operatur. Vide dicenda infra de Inductione, Tract. IIT, q. II.

ARTICULUS SEXTUS

DB CRITERIO EXTRINSECO QUOD EST AUCTORITAS DIVINA

I. — Notio magisterii. Criteria extrínseca ad magisterium externum omnia reduci possunt. Quædam ergo de magisterio in genere prenotare opportunum erit ex illis quæ disserit Angelicus in *Quæsl, Disput. de Magistro.*

Magisterium definiri potest : *Medium seu principium extrvnsecum quo discipulus ducitur in cognitionem veritatis.* Dicitur *principium externum,* quia principium scientiæ intrinsecum est vis naturalis intellectus, in quo praeexistunt quædam scientiarum semina, scilicet prima principia. Magisterium se habet ad causandam scientiam sicut medicina ad causandam sanitatem. Medicina porro sanitatem non causaret nisi essent in natura principia sanitatis activa ; quocirca medicus in sanatione est minister naturæ, quæ principaliter operatur, minister quidem naturam confortando, et medicinas apponendo quibus velut instrumentis natura ad sanationem utitur. Similiter, magister non causaret scientiam nisi præexisterent in mente discipuli quædam principia activa quæ sunt cognitionis semina. In principiis enim universalibus omnia *principia includuntur sicut in quibusdam rationibus seminalibus.*

Magister igitur est quasi minister naturæ, confortat intellectum proponendo veritatem per signa, et voces ; et per hujusmodi sibi proposita sicut per quædam' instrumenta discipulus pervenit in cognitionem ignotorum.

Quando quis sanatur per operationem nature tantum, sanitas dicitur esse a principio intrinseco ; quando vero quis

sanatur cum medicinae adminiculo, dicitur sanitas esse a principio extrínseco, supponente et adjuvante principium intrinsecum quod est natura. Ita, cum quis per seipsum devenit ad cognitionem ignotorum, dicitur scientia esse a principio intrinseco, et hic modus vocatur *inventio ;* cum vero utitur adminiculo magisterii, dicitur scientia esse a principio extrínseco supponente et adjuvante naturam. Magisterium ergo est principium scientiæ extrinsecum, cui præsupponitur principium intrinsecum, scilicet naturalis ratio discipuli. Operatur itaque magister mediante operatione intellectus discipuli et lumine primorum principiorum. Hinc, si aliquis alicui proponat ea quæ in principiis per se notis non includuntur, vel includi non manifestantur, non faciet in eo scientiam, sed forte opinionem vel Udem.

II. — An aliquis possit esse suiipsius magister. Cum magisterium sit principium extrinsecum, aliquis non potest dici suiipsius magister, licet possit esse sibi ipsi causa sciendi.

Ad perfectam enim rationem actionis oportet ut agens habeat actu in se totum quod in effectu per ipsum causatur ; si enim effectum inducendum non continet nisi in 'parte, erit imperfecte agens. Atqui doctrina importat perfectam actionem scientiæ in magistro. Ergo e oportet quod ille qui docet vel magister est, habeat scientiam quam in alio causât, explicite et perfecte, sicut in addiscente per doctrinam. Quando autem alicui acquiritur scientia per principium intrinsecum, illud quod est causa agens scientiæ non habet scientiam acquirendam nisi in parte, scilicet quantum ad rationes seminales scientiæ, quæ sunt principia communia. Et ideo ex tali causalitate non potest trahi nomen doctoris vel magistri proprie loquendo » (1).

III. — Magisterium et testimonium.'Magisterium in genere est manifestatio veritatis ignotæ facta ab alio cui innotescit illa veritas. Porro veritas potest esse scientifica, necessaria, universalis ; **vel** contingens, sicut factum· Manifestatio qui-

(1) **Q.** *de Magistro,* **a. 2.**

dem veritatis scientific® est *magisterium* proprie dictum, seu *doctrina,* et persona manifestans est proprie *magister, doctor.* Manifestatio autem veritatis facti est proprie *testificatio,* seu *testimonium,* et persona manifestans dicitur *testis,* qui etiam aliis nominibus appellatur *narrator, scriptor, historicus.*

IV. — Conditiones magisterii. Porro in rebus scientificis magisterium est quidem medium, seu causa, cognoscendi veritatem, ratio tamen cur discipulus veritati assentiatur, *non est praecise quia magister dixit, sed quia discipulus veritatem videt, seu videt magistrum verum dixisse.* Unde magisterium hoc sensu acceptum visionem causât et scientiam generat.

In rebus vero testimonii, discipulus factum admittit, non quia veritatem ipse videt, sed *quia magister, seu téstis, dixit',* unde hoc casu magisterium parit proprie fidem. Age vero. Magistro, seu testi, credere nulla ratione cogimur nisi quatenus in ipso reperitur vis quædam nos movendi ad suis dictis assentiendum. Quæ vis moralis intellectum et voluntatem determinans ad assentiendum dictis alterius vocatur auctoritas. Dicitur itaque magister auctoritatem habere quatenus dignus est cui fides adhibeatur. Ad hoc autem duo requiruntur : I0 ut non fallat, et idcirco gaudere debet *veracitate,* sinceramque præ se ferre voluntatem cæteros non decipiendi. Sæpe vero contingit ut quis cum sincero veritatis ‘amore, alios inconscius decipiat : unde requiritur 2° ut non fallatur, ad quod necessaria est *scientia* ; nullus enim fallitur nisi circa quæ ignorat. Duæ itaque sunt auctoritatis conditiones : *scientia* et *veracitas* ; scientia vi cujus magister non fallitur, veracitas vi cujus non vult fallere.

V. — Dividitur magisterium in divinum et humanum. Deus in ordine naturali est magister duplici ratione : I0 quia dat formam sine qua non potest fieri intellectio ; 2° quia movet et applicat illam formam ad intellectionis actum. Forma porro qua intelligimus est duplex : lumen intellectus et species intelligibilis : utrumque vero a Deo provenit. Intellectus quidem immediate a Deo creatur, species vero intelligibilis causatur immediate a rebus ; sed, quia res ab ideis divinis

pendent, hinc mediate ab ideis divinis originari dicitur scientia.

Deus alia etiam ratione fit hominis magister, quatenus vim intellectivam applicat ad actum. Intellectus quippe est facultas in potentia ; nihil vero transit de potentia ad actnm nisi divinæ motionis efficacia.

Solus ergo Deus est qui principaliter et interius docet, sicut etiam natura interius et principaliter sanat. Homo vero docet exterius et tanquam minister naturæ, ut prius dictum est.

Dupliciter etiam unus homo alium docet : I0 causando formam qua discipulus intelligit; 2° movendo intellectum. Magister non producit quidem formam principalem quæ est lumen intelligibile, sed est quodammodo causa speciei intelligibilis, in quantum nobis proponit quædam signa intelligibilium intentionum quas intellectus noster ab illis signis accipit.

Magister est quasi medius inter res et intellectum ; intellectus enim accipit scientiam tum a rebus tum a magistro, sed verba doctoris propinquius se habent ad causandam scientiam quam sensibilia. Nam sensibilia sunt intelligibilia in potentia, verba autem magistri sunt signa conceptuum qui actu sunt intelligibiles.

Insuper, homo movet alterius intellectum excitando, adjuvando, confortando.

Deus præter magisterium naturale et internum quod in singulis exercet hominibus, aliud sibi vindicat magisterium externum, quo veritatem supernaturaliter nobis manifestat, et quo in mente generat fidem. De hoc magisterio, supernaturali nunc inquirendum est.

VI. — Notio fidei in genere. Fides in genere importat meatis assensum aliquo testimonio innixum, et, quia omnis assensus aliquo testimonio, intellectus saltem testimonio, nititur, hinc assensus omnis lato sensu dici potest *fides.* Sed proprie fides importat assensum innixum testimonio *alterius,* et idcirco inevidentem, qui tamen (si agatur de fide perfecta) excludit omnem errandi formidinem. Hic assensus fidei sub

influxu voluntatis elicitur. Intellectus enim cogitur ad adhærendum vel ab objecto vel a voluntate. Sed non ab objecto, quod supponitur inevidens. Ergo requirit fides voluntatis motionem.

Notetur tamen hic de factis agi in quibus suboriri possunt dubia imprudentia. Sunt enim quædam facta quæ necessario ab intellectu admittuntur quin interveniat voluntas, ut existentia alicujus urbis, vel existentia Ludovici XVI, etc. At illa non tide creduntur, sed- inductione quadam colliguntur, nam adsunt effectus manifesti ex quibus mens necessario eruit causam. Liquet tamen multos dari casus in quibus dubia imprudentia testimonium comitantur. Quia ergo objectum est inevidens et suboriuntur dubia, intervenire debet voluntas, quæ intellectus assensum determinet; at potest tuto cogere intellectum illique assensum certissimum imperare, quia constat dubium esse imprudens. Quod si dubium reputari posset fundatum, jam non esset tides, sed opinio. Quocirca requirit fides motiva credibilitatis evidentia, quæ omne dubium temerarium propellant.

Definiri potest fides in genere : *Assensus intellectus, quo credimus vera esse quæ accipimus a testimonio externo, propter tesiantis auctoritatem, qui nec fallit, nec fallitur.* Dicitur : *actus intellectus* quia, licet imperetur a voluntate, ab intellectu tamen elicitur. — *Quo credimus vera esse quæ accipimus a testimonio* : hic indicatur objectum fidei ; — *propter auctoritatem testis,* assignatur motivum assensus formale.

Fides distinguitur tum a scientia tum ab opinione. A scientia, nam motivum assensus scientifici est auctoritas evidentia, motivum autem assensus fidei est evidentia auctoritatis; assi.ns.is scientiiicus ab objecto ex necessitate progignitur, fidei vero assensus requirit liberum voluntatis influxum. Ab opinione e'^arn differt, quia fides est assensus certus, opinio incovVas ; fides nititur auctoritate extrínseca, opinio vero niti potest tum intrinsecis rationibus tum externo motivo. Hæc de fide in communi.

711. — De fide divina (1). Fides autem divina est *assensus*

(1) De Ade divina in Philosophia loquimur, non quod fides sit a

supernaluralis quo revelata a Deo vera esse credimus propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.

Distinguitur triplex objectum fidei : materiale, formale *quod,* formale *sub quo.* Materiale est omne revelatum a Deo, primario quidem Deus, cætera secundario ; formale *quod* est prima veritas in essendo. In Deo enim triplex distinguitur veritas : I0 Veritas in essendo, seu transcendentalis, est ipsa essentia divina qua verus Deus est ; 2° veritas in cognoscendo est summa Dei sapientia quæ omnia cognoscit prout sunt, et falli non potent ; 3° veritas in dicendo est divina veracitas, seu summa Dei propensio ad dicendum verum ; quo fit ut neminem fallere queat. Jam vero objectum formale *quod* principaliter et directe attingitur a fide est Deus ut verus Deus, cætera vero attinguntur ut ordinem important ad Deum verum. Ergo Deus ut verus Deus, seu prima veritas in essendo, est objectum formale *quod* fidei. Objectum autem formale sub *quot* seu motivum fidei, requirit ut testane nec fallere nec falli possit ; ideoque importat directe primam veritatem in dicendo, seu veracitatem qua Deus fallere non potest, et includit primam veritatem in cognoscendo, seu summam Dei sapientiam qua Deus falli non potest.

Quæritur nunc an supernalurale illud magisterium sit criterium veritatis.

VIII. — Conclusio : Revelatio divina est firmissimum veritatis criterium generare valens certitudinem metaphysioam quavis alia metaphysica certitudine præstantiorem.

Prob. 1 pars. Testimonium cui subesse nequit falsum est veritatis criterium. Sed divina revelatio est testimonium cui falsum subesse nequit. Ergo. Prob. min. Testimonium infallibile est, cum testis talem habet scientiam ut falli non possit et talem veracitatem ut fallere nequeat. Atqui testis divinæ revelationis est prima veritas in cognoscendo, quæ falli nequit, et prima veritas in dicendo, quæ fallere non potest. Ergo revelatio est testimonium cui falsum subesse nequit.

principio naturali, sed solum sub ratione oriterii, que consideratio aon est peregrina, sed ad Logicam refertur.

Prob. IIa para. scii, a revelatione generari certitudinem metaphysicam. Certitudo est metaphysica, cum causa assensus ita necessaria est ut intrinsece repugnet aliter esse. Atqui in revelatione divina causa assensus nostri ita necessaria est ut intrinsece et absolute repugnet aliter esse. Ergo certitudo generata a revelatione est metaphysica.

Prob. min. Causa assensus fidei est scientia et veracitas Dei revelantis. Atqui scientia et veracitas ita necessario Deo revelanti competunt ut intrinsece et absolute repugnet aliter esse : absolute quippe implicat Deum non esse primani veritatem in cognoscendo et primam veritatem in dicendo. Ergo.

Prob. IIIa pars. Eo potior est certitudo quo ejus causa est magis verum, magisque ens; certitudo enim in veritate et in esse fundatur. Atqui prima veritas in dicendo, in cognoscendo, in essendo, quæ est causa assensus fidei, est magis verum quam aliud quidpiam quod est causa certitudinis metaphysicæ ; cætera quippe non sunt vera nisi quatenus participant primam veritatem. Ergo certitudo fidei potior est qualibet alia metaphysica certitudine.

IX. -- Objectio. Ille assensus firmior est qui magis excludit dubitationem. Atqui assensus scientiæ magis excludit dubitationem quam assensus fidei. Ergo firmior est assensus scientificus assensu fidei.

Resp. Dist. maj. Ille assensus firmior est qui magis excludit dubitationem *deliberatami* concedo, qui magis excludit solum dubitationem indeliberatam, nego. Contradist. min et nego conclusionem. In assensu fidei facilius suboriri potest motus dubitationis indeliberatus ex eo quod intellectus ipsum objectum non perspiciat, qui motus in scientia et visione propter nimiam evidentiam exsurgere nequit. Sed fides, quantum ad immobilitatem et firmitatem assensus, magis excludit dubium deliberatum, quia mens videt causam certitudinis fidei majorem esse causa certitudinis scientifica.

Itaque certitudo fidei est fortior *objective,* quia objectum secundum se majorem valet generare certitudinem. Imo dici potest fortior *subjective,* quia motio gratiæ supernaturalis qua fit assensus fidei magis determinat et firmat intellectum quam

naturalis evidentia ; motio enim quæ a Deo immediate procedit fortius imprimit quam sola natura.

X. — Scholion I. De fide analogice sumpta. Fides proprie accepta est assensus certus veritati inevidenti propter evidentem revelantis auctoritatem. Intrinsece quidem assensus fidei est inevidens, at extrínseca gaudet evidentia» respectu nempe motivorum credibilitatis. Aliquando tamen sumitur fides pro opinione vehementissima, quo sensu dicit Angelicus : « *Credere dicimur quod vehementer opinamur scilicet vel testimonio ahcujus hominis* (1) ».

Iste assensus non est absolute certus, sed quasi certus, quia adeo fortia sunt motiva ut oppositum sit omnino improbabile, et idcirco oppositi formido sit penitus contemnenda. Sicut ergo in fide proprie dicta, voluntas tuto potest imperare intellectus assensum, -nonobstante inevidentia, ita in hac fide analogice sumpta tuto potest voluntas intellectum cogere ad assentiendium non obstante, seu potius, contempta oppositi formidine.

Melius tamen ille assensus diceretur opinio quam fides, opinio quidem vehementissima, superiorisque ordinis, ad moralem certitudinem fere pertingens ; nomen autem fidei assensui absolute certo reservaretur.

In duobus porro differunt fides et opinio. Primo quidem, opinio est assensus *intrinsece* incertus et inevidens, licet extrínseco certus et evidens respectu motivorum probabilitatis; fides autem est assensus intrinsece et extrinsece certus, licet intrinsece inevidens. Secundo, fides molivis extriusecis dumtaxat nititur, opinio vero niti potest tum intrinsecis rationibus quæ errandi formidinem non penitus removent, tum extrínseca auctoritate. Quocirca motiva extrínseca et fidem et opinionem generare possunt : fidem quidem, si omnem errandi formidinem propellunt, opinionem vero si, formidine errandi **non exclusa,** suadent tamen viri prudentis assensum.

XI. — Scholion II. Brevis analysis actus fidei. Actui fidei

(4) *De Veril,* **q. XXIV, art. 2·**

proprie dictee mulli præeunt actus. Fiunt imprimis multiplices operationes quibus mens credibilitatis motiva explorat. Ostenso igitur testem scientia et veracitate gaudere testemque de facto aliquid revelasse, *speculative* concluditur æquum et rationabile esse illius dictis assentire et irrationabile dissentire. Illud quidem judicium circa credibilitatis motiva est intrinsece evidens, adeo ut intellectus ab objecto determinetur. At vero ipsum objectum credendum remanet intrinsece obscurum, nec sufficiens est ad intellectum movendum. Quare aliud expectatur judicium *practicum,* quo decernatur intellectum esse a voluntate determinandum. Hinc elicitur voluntatis actus quo intellectus efficaciter applicatur ad assentiendum objecto credendo absque ulla errandi formidine, qui assensus est ipse fidei actus.

Itaque tria sunt judicia distinguenda : 1° judicium speculativum quo dicitur : *Video esse credendum* ; 2· judicium practicum quo dicitur : *Intellectus est a voluntate determinandus* ; 3° judicium seu assensus, quo dicit intellectus : *Credo.* Istud porro judicium : *Credo* non est conclusio syllogistica primi judicii : *Video esse credendum,* sed aliud quidpiam expostulatur, voluntatis nempe interventus.

Munus porro voluntatis non est nova addere argumenta vel consequentias affirmare quæ non essent in praemissis contentæ, sed dubia imprudentia excludere, Possunt autem suboriri dubia sive propter historicas sive propter scientificas difficultates, sive etiam quia veritas credenda passionibus contrarialur ; aliunde tarnen constat dubia illa non esse fundata, sed imprudentia et temeraria.

Quocirca, ex una quidem parte necessarius est voluntatis interventus ut excludat dubià et intellectum cogat ad assentiendum ; ex altera vero parte legitimus est interventus ille et tuto potest movere intellectum iliique firmissimum et omnis formidinis expertem imperare assensum, quia constat dubia illa esse imprudentia.

Hinc'apparet quomodo in fide concurrant evidentia et inevidentia, necessitas et libertas. Evidentia et necessitas in judicio quo percipiuntur motiva credibilitatis : intellectus quippe necessario assentii isti judicio : Evidens est esse credendum,

quia evidentia sunt credendi motiva. Inevidentia autem et libertas respectu actus quo dicitur : *Credo.* Licet enim credibilitatis motiva sint intrinsece evidentia, objectum credendum remanet intrinsece inevidens, et intellectus indifferens se habet ad illud. Reperitur quoque libertas in judicio practico quo decernitur : Intellectus est a voluntate cogendus ad credendum, nam hic expostulatur imperium quod liberam prsesapponit voluntatis determinationem. Requiritur demum gratia, illuminatio nempe qua judicium practìcum dirigitur et inspiratio qua efficaciter movetur voluntas. Sed de his theologi.

Totus ergo fidei processus sic compendio colligi potest : Non video quidem id quo credo, attamen non credo nisi postquam vidi esse credendum. Video aulem esse credendum quia comperi testantem esse locutum. Comperi vero testem esse locutum propter hæc et illa motiva, quæ quidem inductione vel deductione mihi innotescunt. Rectissime asserere possum : Credo quia video esse credendum, dummodo *quia* conditionem præambulam, non rationem unice formalem assensus, designet : motivarci enim formale est auctoritas revelantis. Licet igitur credam quia video esse credendum, proprie tamen credo propter revelantis auctoritatem. Fusior et. profundior explanatio ad theologos spectat. Vide, si lubet, quæ in periodico *Revue Thomiste* disseruimus (1).

(1) **Tom. X, p. 159. Eadem reperiuntur in opere nostro** : *La Lumiere et la Foi.* **Paris, Lelhielieux.**

ARTICULUS SEPTIMUS

DE CRITERIO EXTERNO QUOD EST AUCTORITAS HUMANA

I. — Sensus communis. Humana auctoritas vim habet movendi sive ut communis naturæ sensus sive ut magisterium et testimonium.

Communis autem naturæ sensus definitur : *Naturalis quædam inclinatio rationis ad admittenda aliqua judicia universalia et constantia apud omnes, circa quasdam veritates obvias ad vitam humanam necessarias.* Dicitur : 1° *inclinatio naturalis,* quia non provenit a studio, reflexione, experientia, seda spontaneitate ; 2° *rationis,* judicia enim communia non procedunt ab aliquo cæco instinctu a ratione distincto, ut vull Reid, cum in nobis unica sit potentia intellectiva quæ omnis judicia profert ; 3° *circa necessaria ad vitam,* ut assignentui objectum et limites sensus communis.

II. – Conditionesjudiciorumquæpertinentadsensum communem Judicia sensus communis debent esse : 1° universalia, constantia, et communia apud omnes tum politiores tum incultas gentes. Designant enim pronuntiata quædam natura rationalis, non prout in uno est individuo, sed prout in universo humano genere reperitur ; 2° debent esse circa necessaria ad vitam sive animalem sive rationalem saltem inchoandam. Ratio est quia sensus communis, proportione servata, se habet in homine sicut instinctus in animalibus ; instinctu? autem proxime circa necessaria ad vitam versatur. Ergo in homine rationali sensus communis vitam spectat humanam et rationalem saltem inchoandam. 3° Oportet ut hæc judicia non possint ab aliqua erroris causa repeti, neque ignorantia,

nec passionum illecebris, nec sensuum illusionibus ; sed ut, exclusis cæteris, remaneat natura rationalis ut sola causa. Sic concors multarum gentium sententia circa pluralitatem deorum non est sensus communis judicium, quia ejus causæ assignari possunt pravus cordis affectus, passiones, etc.

III. — Duplex respectus considerandus In Judiciis sensus communis. Judicia sensus communis considerari possunt ut eliciuntur a singulis individuis sub necessario evidentiae influxu, abstractione facta ab auctoritate cæterorum, sub quo respectu vera erunt physice vel metaphysice si objecta sint talia. Dico : *Homo est liber,* est judicium sensus communis, quippe quod ab universali consensu admittitur, at ego illi assentior propter evidentiam rei intrinsecam, abstrahendo ab aliorum hominum auctoritate. Quaero autem a rustico ; *Esine homo liber?* — Sane — Cur hoc tenes? — Quia est omnium consensus. Quo casu, ut liquet, sensus naturæ est proprium assentiendi motivum.

Hic duplex respectus sedulo distinguendus est ; pro quibusdam enim sensus communis est quidem *medium* veritatem cognoscendi, sed non *motivum* assentiendi, ut diximus de magisterio scientifico (art 6, η. 4). Sed tunc non est sensus communis in acceptione formali. Proprie ergo et formaliter sensus naturæ sumitur ut *motivum* assentiendi, et ut *auctoritas.* Quaerimus autem an hoc modo acceptus sit certitudinis criterium.

IV. — Conclusio : Sensus naturæ communis, circa proprium objectum, est criterium veritatis, criterium quidem ordinis moralis quod tamen resolvitur in aliquod judicium metaphysice certum. Prob. Ia pars. **Arg. Ium.** Natura **non** deficit in necessariis. Sed, si judicia sensus communis essent falsa, natura· deficeret in necessariis, cum hæc judicia versentur circa necessaria ad vitam humanam. Ergo.

Arg. II"m. Origo horum judiciorum, ut constat ex praenotatis, est sola natura rationalis. Atqui natura rationalis per se et intrinsece tendit ad veritatem et veritatis amore trahitur. Ergo judicia illa, quæ non habent aliam originem nisi solam naturam, pro verissimis habenda sunt.

Arg. IIIum. Judicia sensus communis naturaliter dictantur intellectui. Sed quod naturaliter dictatur intellectui est verum perspicuum ; nam intellectus a sola evidentia naturaliter necessitatur. Ergo judicia sensus communis sunt evidentia. Jam vero evidentia est criterium infallibile. Ergo (1).

Prob. IP pars. Sensus communis formaliler sumptus ut auctoritas, est criterium quidem morale, sicut ipsa auctoritas, attamen resolvitur in aliquod judicium metaphysice certum.

Est factum omnes homines de quibusdam judiciis consentire. Ergo hoc factum habet causam. Sed effectum habere causam est principium metaphysice certum. Ergo existentia alicujus causæ a qua fluunt ista judicia est metaphysice certa. Porro hæc causa est ipsa veritas evidens, quæ omnium assensum extorquet. Igitur certitudo sensus communis resolvitur tandem in aliquod principium metaphysice certum.

V. — De testimonio humano· Postquam de sensu naturæ communis actum est, subsequitur consideratio de magisteiio humano prout est testimonium. Testimonium porro est medium quo quis aliquid a se cognitum aliis manifestat. Testis dicitur *immediatus* qui quod testatur non ab alio accepit, sed ipse, vel per experientiam sensuum, vel per rationem, cognoscit. *Mediatus* est qui quod testimonio suo refert ab alterius testificatione accepit. Cum autem non sit procedendum in infinitum, omne testimonium primitus derivatur a teste immediato, sicut omnis motus incipit ab immobili. Testimonium ad longinquos vel posteros triplici instrumento transmitti potest : *traditione^ documento monumento. Traditio* est facti transmissio non scripto sed ore, per continuatam

(1) « *Le sentiment du genre humain* **est considéré comme la voix de toute la nature, et par conséquent, en quelque façon, comme celle de Dieu ; c'est pourquoi la preuve est invincible ; par exemple, parmi tant de mœurs et de sentiments contraires qui partagent le genre humain, on n'a point encore trouvé de nation si barbare qui n'ait quelque idée de la divinité: ainsi, nier la divinité, c'est combattre la nature même. On voit aussi toutes les nations, du moins celles qui ne sont pas tout à fait sauvages, convenir d'un gouvernement : on doit donc croire, sans hésiter, que rien n'est plus convenable au genre humain.** Bossuet, *Logique,* **liv. III, c. xxn.**

testium successionem. *Documentum* est testimonium scripto consignatum. *Monumentum* est opus artis durabile ad memoriam facti conservandam. Assensus autem praestitus testimonio humano est fides humana, vis autem movens ad assentiendurn est auctoritas. Quaeritur itaque an testimonium aliorum sit veritatis criterium.

VI. — Prima conclusio : In rebus scientificis testimonium humanum infimum locum tenet inter criteria ; sæpe tamen est omnino necessarium, et est norma certa quam tuto sequi licet.

Prob. Ia pars. Fides et scientia opponuntur. Ergo testimonium humanum quod fidem generat non potest scientiam parere. At si non generat scientiam non habet rationem criteri! in rebus scientificis.

Insuper, de ratione, assensus scienti Rei est ut sit intrinsece evidens, quia scientia est cognitio certa et evidens per principia intrinseca. Atqui assensus qui fundatur in testimonio est evidens solum extrínseco. Ergo assensus scientificus niti non debet testimonio ; ac proinde testimonium vim criterii non habet in rebus scientificis. Hinc, si discipulus assentii propter magistrum non vero propter veritatem perspectam, scientia proprie dicta non potitur.

Prob. IIa pars. Intellectus noster, qui primo est sicut tabula rasa, scientiam acquirit paulatim, post longum tempus et multo labore; et tamen interim uti debemus multis rebus quarum scientia nondum potimur. Ergo illas res cognoscere debemus auctoritate sapientium, saltem donec illarum scientiam proprio marte comparemus.

Cum enim ratio nostra sit fini Ia et tempus vitae breve sit, et variae occupationes activitatem nosiram coarctent, impossibile est uni homini etiam ingenio excellenti, per se solum omnes adinvenire veritates scientificas quæ ad vitam rationalem necessariae sunt aut utiles. Sic qui philosophiae incumbit, medicinae vacare non potest ; aut qui medicine multum intendit, astronomi® leges scrutari nequit ; imo non raro periti alicujus scientiæ, quasi rudes respectu cæterarum existunt. Ergo testimonium humanum est saepius medium necessarium et unicum veritates scientificas comparandi.

Prob. IIIa pars, scilicet testimonium humanum esse normam tutam quam sequi debemus. Ad hoc sufficit ut sapientes veritatem plene cognoscant et ut aliis celare non velint. Quæ duo sæpissimc constant. Sapientes enim qui alicui scientiæ quasi ex officio et per totam vitam incumbunt, præsertim si sint mulli et in diversis temporibus extiterint, recte supponuntur rationes sufficienter investigasse et rimatos esse. Aliunde eorum honestas et probitas invicte ostendit ipsos nolle scientiam celare, aliosve decipere. Ergo testimonium aliorum sæpius tanquam normam certam sequi tuto possumus. Hinc dictum : *Peritis in arte credendum est,* Generatim sententia communis auctorum in rebus scientificis et philosophicis est veri criterium. Nam fieri non potest ut omnes sapientes, vel maxima sapientum pars, semper et ubique errent. Non datur enim effectus sine causa : hujus ergo universalis consensus debet esse causa, quæ alia assignari nequit nisi ipsa veritas perspicua, seu evidentia.

Hinc colligitur dari posse philosophiam *traditionalem.* Cum enim sapientium auctoritas sit. norma et necessaria et tuta, debet philosophus illos magistros sequi quos comperit scientia et veracitate gaudere. Quare scholastica, et in speciali thomistica philosophia, legitime profitetur imo et gloriatur se traditionalem esse, quia illis fidit sapientibus quos apprime novit et scientia praestantes et probitate claros.

Hinc etiam merito carpendus est Cartesius, qui voluit totum instruere Philosophiæ ædificium nulla adhibita ratione sapientium, imo nec generis humani, quasi ipse solus par esset omnibus veritatibus inveniendis et exponendis.

Pariter carpendi sunt illi qui, scholastica penitus contempta, nullum in philosophando magistrum agnoscunt.

Recolatur hominem, sicut est naturaliter socialis indigens aliorum ministerio ad vitam socialem, ita est ens naturaliter docibile, externo indigens magisterio ad vitam intellectualem ; seu, ut aiebat ille, « l'hornme est un être enseigné, ɳ

Aliunde tamen quum auctoritas sit infimum, licet necessarium, in scientiis criterium, cavendum est ne philosophia sit mere historica, ut contingit apud Eclécticos. Meminerint igitur omnes veram philosophiam esse posse traditionalem,

dummodo sit *scientia* et doctrina, non autem *historia* dumtaxat.

VII. — Secunda conclusio : In rebus facti testimonium humanum est criterium necessarium, quod veram gignere potest certitudinem.

Prob. Ia pars,, scilicet esse necessarium. Qui sint nostri parentes, quæ sit urbs natalis, et alia sexcenta quæ scire Decesse est ad vitam humanam, cognoscere non possumus nisi per humanum testimonium. Ergo nisi aliorum testimonio fidamus, impossibilis evadit vita humana. Insuper, maxime expedit, et etiam necesse est, plurima cognoscere quæ pertinent ad præterita tempora, aut ad distantia loca. Sed unicum medium naturale hæc omnia addiscendi est testimonium humanum.

Prob. IIs pars. Ut testimonium humanum in rebus historicis certitudinem gignere queat, duo requiruntur : 1° ut testis scientia et veracitate gaudeat ; 2° ut ejus testimonium ad nos usque integre et incorrupte pervenerit. Hæc autem duo sæpe habentur. Ergo. Probatur minor. Scientia testis constare potest :

I0 Ex parte facti. Si factum est perspicuum, illustre, coram multis patratum, testis non potuit decipi. Item, si factum est grave et effectus magni momenti habuit, sive in suo tempore, sive in posteriori ætate, adeo ut suppresso illo facio ingens pateat hiatus historicus inter praecedens et subsequens ævum. Quod si res narrata repugnans deprehendatur, vel omnino incredibilis, aut nullius momenti, facile fides testi denegabitur.

2° Ex parte ipsius testis. Si ipse facto præsens adstitit, si sensus habuit rite dispositos, si est perspicax in investigando et prudens in criticem adhibendo. Qui autem critices regulas negligil, frequentius decipitur.

Veracitas testis apparere potest ex multis. Si nullius commodi spe, aut nullius nocumenti metu adducitur ad testandum ; si non praejudiciis sed veritatis amore movetur. Veraces e contra non creduntur testes qui propter commodum aut nocumentum, aut præjudiciaet pàssiones loquuntur.

— Incorruptio libri etiam constare potest. *Authenticus* porro dicitur liber qui est revera auctoris cui attribuitur, aut saltem ad ejus aetatem refertur, secus dicitur *spurius. Integer* est qui

ad nos usque pervenit absque mutatione. Mutatio autem fieri potest dupliciter : vel aliquid demendo et tunc liber dicitur *mutilus* vel aliquid addendo et tunc est *interpolatus.* Librum autem esse authenticum probare posslint tum argumenta extrínseca, traditio nempe testium ininlerrupta, vetusti codices, etc, ; tum argumenta intrinseca : si nempe doctrina, stylus, mores, opiniones, sunt revera doctrina, stylus, mores illius auctoris et illiusævi. Integritas eodem modo probari potest. Insuper, sæpe apparet impossibilem fuisse mutationem sive viventibus auctoribus, qui tunc obstitissent, sive mortuis, quia tunc obstabant diffusio librorum et gravitas ac celebritas factorum quæ narrantur.

Quæ ad propositum nostrum sufficiant; nam philosophi non est diversas eritices leges singillatim expendere. Hinc qui hermeneuticæ et critices praecepta in Logica fuse tradunt videntur extra proprium Logicæ objectum vagari (1).

(i) De magisterio divino vel humano consuli possunt S. Augustinos, **De** *utilitate credendi* ; **S.** Thomas, *QQ. Dispp. De Magistro,* **et** **Π®.** *De fide;* Melchior Canus, *De Locis Theologicis,* **lib. X et XI;** Th. Reid, *Recherches sur l'entendement humain,* Balees, *Philos, fondament.* **lib. I; P.** Janet, *Le témoignage des hommes, Logique,* **section u, c. iv;** Brunetière, *Le besoin de croire ;* Ollé-Laphone, *La certitude morale;* **P.** Lacchidaire, **Discours sur** *la loi de Thistoire,* **etc.**

ARTICULUS OCTAVUS

QUTI) NON POSSIT ESSE CRITERIUM SUPREMUM

I- — Quæstiones de supremo criterio.

Ostensum est dari vera certitudinis criteria in Iriplici ordine, subjectivo nempe, objectivo et extrínseco, et in quolibet ordine multa et varia esse criteria. Quæstio nunc movetur an sit aliquid omnibus istis criteriis commune, seu an detur inter illa aliquod criterium primum quod caetera regat el a quo caetera vim suam derivent. Et hoc dato, quaeritur in quo consistat hoc supremum certitudinis criterium. Duæ igititur quæstiones supersunt nobis solvendæ. In præsenti articulo falsas rejicimus solutiones, in sequenti verum assignamus criterium. Imprimis ergo quaeritur an sit aliquod supremum criterium.

II. — Conclusio : Quamvis non sit unicum criterium, admittendum tamen est aliquod criterium commune et supremum, quod caetera dirigat.

Prob. Ia pars. Ea unicum criterium non sunt in quibus motiva sunt specifice diversa. Atqui in diversis criteriis hucusque assignatis motiva sunt specifice diversa : sic motivum certitudinis in criteriis subjectivis est generatila natura facultatis et indoles cognitionis ; motivum autem in judiciis immediatis est percepta convenientia predicati cum subjecto ; in judiciis vero mediatis seu ratiociniis est percepta connexio consequentis cum antecedente ; in criteriis demum extrinsecis est auctoritas testimonii, scientia nempe et veracitas testis. Ergo non est unicum criterium.

Prob. IIa pars. Licet diversa criteria distincta sint, omnia communem quemdam effectum habent, quod est excludere

omnem errandi formidinem. Atqui ubi est communis effectus, debel esse commune principium a quo effectus dimanat. Ergo admittendum est aliquod principium commune a quo effectus omnium criteriorum derivetur. Sed principium commune a quo cætera derivantur recte dicitur primum et supremum. Ergo datur supremum veritatis criterium.

Insuper, ad omnem certitudinem requiritur ut objectum sit verum, immobile, et ut intellectus videat se cognoscere verum. Ergo debet esse aliquod signum, aliquodve lumen quo in omni certitudine intellectus videat se cognoscere verum. Sed lumen quod relucet in omni certitudine, in omni criterio, est lumen seu criterium commune, quod cætera dirigit, ideoque primum. Ergo datur aliquod commune et primum certitudinis criterium.

III. — Conditiones supremi criteri!. Cum hoc criterium sit id quo nititur omnis certitudo, debet esse I0 ita primum ut ipsi aliud non supponatur, 2° ita necessarium ut ipso corruente cætera corruant ; 3° ita notum ut non sit aliud ipso notius ; 4° ita infallibile ut nunquam possit cum errore componi. Aliunde, cum debeat esse immutabile et invariabile pro omnibus et pro omni tempore et loco, non debet pendere ex affectionibus subjecti, quæ sunt contingentes et mutabiles, sed 50 debet se tenere ex parte ipsius veritatis immutabilis. Tandem 6° « debet esse menti internum. Si enim esset aliquid extra mentem positum alia cognitione interveniente ejus exisientia et certitudo cognosci deberet (1). »

IV. T- Referuntur sententise generales circa supremum criterium.

Omnes sententiae ad tres classes revocantur : aliae illud reponunt in criteriis subjectivis ; aliæ in criteriis extrinsecis ; aliæ demum in criteriis objectives ; et in singulis mira est opinionum diversitas. Praecipua systemata breviter expendemus. Quæ autem spectant Transcendeutalismum et Ontologismum ad Psychologiam remittimus.

(1) Pbsoh. *Log.* **vol. II, p, 383.**

V. — Sententiæ quæ reponunt supremum criterium in subjecto cognoscente.

In subjecto cognoscente duo concurrent : facultates cognoscitivæ ut principium proximum, et natura ut principium radicale. In hoc ergo primo systemate reponendum est supremum criterium aut in ipsis facultatibus externis vel internis; aut in ipsa natura, id est in aliqua necessitate naturali, seu instinctiva quadam propensione, vel fide cæca, etc.

Prima opinio, quæ est Democriti, Epicureorum et Empiristarum, agnoscit solum sensus ut omnis cognitionis principium et normam. Huc accedunt Positivistæ, qui nihil admittunt nisi sit per positivam et experimentalem cognitionem compertum. Alia opinio, quæ tribuitur Galuppi, forte immerito, collocat supremum criterium in conscientia. Reid et Schola Scotica in instinctu naturali de quo dubitare non possumus : natura quippe necessitante admittimus principia quædam quorum rationem nullam reddere possumus, sed est in nobis facultas quædam inspirationis et suggestionis cui debemus primitiva principia quæ sensum communem constituunt.

JoufTroy in quadam fide cæca et irresistibili præstita naturali veracitati facultatum cognoscitivarum ; qua fide non admissa, scepticismus est ultimum pronunciatasi bumanæ rationis. Jacobi, parens scholæ *sentimentalis,* admittit ceu primum criterium affectum, seu fidem quamdam affectivam quæ in nobis persuasionem firmam et invincibilem gignit.

P. Gralry agnoscit in nobis triplicem sensum : sensum *externum,* quo mundum attingimus, sensum *intimum* quo animam sentimus, sensum *divinum* quo Deum et divina percipimus. Porro sensus divinus omnes cæteros dirigit et est unica norma certitudinis. « Quiconque en est privé perd tout. »

VI. — Prima conclusio: Neque sensus externi,* seu cognitio experimentalis, neque conscientia suntsupremum veritatis criterium.

Prob. I*pars. Arg. Ium. Criterium supremum est universale, omnem certitudinem regitomnemquecognitionisordinem complectitur. Sed sensus et cognitio experimentalis non omnem certitudinem regunt, quia solum ordinem sensitivum attin-

gunt, nullatenus autem veritates universales et immutabiles. Ergo.

Arg II"". Id non est criterium supremum quod non habet vim infallibilem nisi per aliud. Sed sensuum cognitio et inductio quæ per sensus acquiritur vim infallibilem probandi non habent nisi accipiant ab intellectu aliquod principium universale. Ergo sensus et cognitio sensus non sunt supremum criterium (1).

Arg. 111"". Ex falsis et ruinosis principiis quibus fulcitur Positivimus. A. Comte, ut suum stabiliat systema, statuit legem de triplici statu. Mens nempe humana per triplicem phasim transit. Imprimis est status *theologicus,* in quo mens phaenomena explicat per voluntates transcendentes, quæ divinae appellantur ; secundo est status *metaphysicus,* in quo mens phaenomena repetit a quibusdam virtutibus seu causis occultis ; ac demum status *positivus,* in quo mens phenomena attribuit legibus positivis, experientia sensibili notis, qui status est ultimus humanae evolutionis terminus. Atqui hæc perperam proferuntur. Verum quidem est superstitiosum vulgus, ad idololatriam proclive, saepius per divinam virtutem phaenomena naturalia explicasse, verum est etiam nostra aetate, novis suppetentibus investigationis mediis, leges positivas per facta experimentalia fuisse facilius adinventas. At facta, legesve positiva, non eliminant causas metaphysicas nec causam primam, Deum. Sicut non valet inductio absque principio universali, sic nec tenet lex aliqua absque causis, quas inter sunt causæ metaphysicæ et causa omnium causa, Deus. Quare status *positivus,* ut certitudine potiatur, supponit statum metaphysicum et statum theologicum; nedum ipsos superet, imo ab ipsis tantum exceditur quantum singularia ab universalibus et contingentia a necessariis, et causæ secundariae a causa prima, superantur.

Arg. IV. Ex Positivismi consectariis. Si sensus **criterium** et regula sunt omnis cognitionis, confugiendam est vel ad purum materialismum, vel ad phænomemsmum idealisticum. In Gallia quidem Positivistæ, omnia præter sensibilia experimenta respuentes, materialismo præsertim adhaerent ; **in An-**

(1) **Cf. Tract. Ill, q. II. De inductione.**

glia vero speciatim phaenomenismo. Experientia enim est quid contingens ; si ergo omnia præter ipsam vana sunt nulla est lex universalis et permanens, sed omnia ad subjectiva conscientiae phaenomena reducuntur.

Cæterum, abs re estPositivismum in speciali confutare, nam huc faciunt omnia quibus passim demonstramus rationis valorem, universalium realitatem, animæ immortalitatem, ordinis spiritualis existentiam, etc. (1).

Prob. IIa pars. Criterium supremum est id quo cognoscimus conformitatem intellectus cum objecto, convenientiam prædicati cum subjecto, et quo de omnibus veritatibus ultimo decernimus. Sed conscientia refert solum facta interna ut actu præsentia in subjecto, penitus autem silet de conformitate facultatis cum objecto, vel de convenientia prædicatum inter et subjectum; nihiljudicare valet deordine objective, veritatibus ælernis, ultimis causis, sed tota intra ordinem subjectivum coarctatur. Ergo.

VII. — Secunda conclusio : Fides osca aut instinctus cæcus minime possunt esse supremum criterium.

Arg. Iu". Criterium supremum dirigit omnes cognitiones certas nec præviam cognitionem præsuppoml. Atqui fides caeca et instinctus cæcus non possunt dirigere cæteras cognitiones, quia eo ipso quod ponantur esse facultates cæcæ, important cognitionis cujusvis carentiam ; nec talis fides et talis instinctus dici possunt rationales, nisi supponant aliquam cognitionem præviam a qua dirigantur : mens quippe irrationabiliter agit, si c®ca necessitate in suis primis actibus ducitur. Ergo.

Arg. IIU". Qui volunt fidem caecam aut instinctum cæcum esse supremum criterium consequenter tenent nullam assignari posse rationem primorum judiciorum. Atqui hæc est ipsa assertio-sceplicorum, qui nihil aliud contendunt nisi cer**titudinem** esse irrationalem ; seu nullam naturalis certitudinis rationem posse assignari. Ergo admittere instinctum cæcum

(i) Cf. Vallet, *Ia Kantisme et le Posiliwne ;* De Broglie, *Le Positivisme et la Science expérimentale ;* Caro, *M. Littré et le Positivisme.*

vel fidem cæcam ut supremum criterium est in scepticismum dilabi.

Vili. — Tertia conclusio : Nec interior animi affectus nec sensus divinus possunt esse criterium supremum.

Criterium supremum debet spectare ad ordinem cognoscitivum, cum dirigat cognitionem, et aliunde esse debet immutabile et invariabile. Atqui interior animi affectus pertinet ad vim appetitivam, et insuper est aliquid contingens et mutabile*: experientia enim constat non esse in diversis hominibus eumdem, imo in eodem homine sæpe secundum diversas affectiones subjectivas frequenter variari. Ergo.

Sensus vero divinus vel pertinet ad ordinem affectivum et appetitivum, et tunc incurruntur incommoda sententiæ Jacobi ; vel pertinet ad ordinem cognoscitivum, et tunc assignandum est quid sit. In anima quippe non sunt aliæ facultates praeter sensus et rationem. Cæterum perceptio rationis non potest esse supremum criterium. Unde ponitur (contra Cartesium)

Vili. — Quarta conclusio : Perceptio, seu idea clara et distincta rationis, non potest esse supremum criterium.

Cartesius animadvertit se non posse dubitare de hoc principio : *Cogito, ergo sum,* eo quod principium illud sit clare et distincte cognitum, unde statuit hanc regulam : *Ideam claram et distinctam, seu quod continetur in idea clara et distincta, esse omnino certum et supremam certitudinis normam.*

Si hæc idea clara et distincta esset ipsa evidentia objectiva, seu objectum in sua luce et perspicuitate, Cartesio assentiremur ; at Cartesiani nomine ideæ claræ et dislinctæ intelligunt subjectivam intellectus perceptionem. Quo sensu principium Cartesianum rejicimus.

Admittimus quidem requiri ad certitudinem perceptionem objecti claram et distinctam tanquam *conditionem* ut vis objectiva menti applicetur; sed inficiamur perceptionem illam esse supremam veri normam.

Supremum criterium debet esse universale, immutabile, non dependere ab ulteriori regula. Sed I0 idea clara et distincta non est criterium universale, non enim se extendit ad

omnes cognitiones, sed ad illas solum in quihus prædicatum videtur in idea clara subjecti ; 2° non est aliquid immutabile, nam perceptio subjectiva ab affectionibus et dispositionibus actualibus subjecti dependet ; 3° indiget ulteriori regula. Certitudo quippe non tenet nisi ostendatur rem aliter esse non posse. Ergo idea clara et distincta non gaudet certitudine nisi supponat aliquid ex parte objecti quo ostendatur rem aliter esse non posse. Ergo idea clara et distincta non est criterium supremum.

IX. — Sententi® quæ reponunt criterium supremum in aliquo extrínseco.

Secundum systema reponit primum principium certitudinis in criteriis extrinsecis ; et, quia tria sunt hujusmodi criteria, revelatio nempe divina, consensus humani generis, et auctoritas humana, triplex exorta est sententia.

Prima est Fideistarum, qui asserunt nullam a nobis obtineri posse veritatem et certitudinem absque divina revelatione. Fideismi primus patronus fuit Huetius, qui in opere *De imbecillitate rationis humanæ,* probare conatus est nullam nobis possibilem esse veri nominis certitudinem nisi ad revelationem et fidem divinam confugiamus. Quam opinionem in oblivione fere sepultara renovarunt traditionalistæ. De Bonald existimat omnem cognitionem supponere loquelam, loquelam vero a Deo nobis communicatam fuisse, et hoc pacto divinam revelationem ad nos per sermonem fuisse traditam. De sermonis origine nonnulla trademus in Psychologie.

D. Bautain propugnavit unicum certitudinis motivum esse fidem divinam.

Lamennais vult hoc motivum esse generis humani auctoritatem, quæ nobis per consensum communem manifestatur. Uniformitas perceptionum et concordia judiciorum, inquit, sunt character veritatis ; hujus autem uniformitatis et concordi® duplex est causa : *proxima* est ratio generalis humana, ratio socialis ; *suprema* autem et ultima est testimonium primitus datum ab ipso Deo, qui est ratio universalis, immutabilis, infinita.

Pater Ventura, qui primo Lamennaisianæ sententi® adhæ-

serat, postea doctrinam temperavit: docuit auctoritatem humanam esse criterium, non quidem certitudinis immediato, ut est certitudo nostræ existentiæ, primorum principiorum; sed certitudinis mediatae, seu demonstrationis, quatenus nulla est vera conclusionum certitudo nisi per auctoritatem sapientium comprobetur.

X. — Conclusio: Neque auctoritas, seu revelatio divina, neque auctoritas, seu consensus generis humani, sunt criterium supremum omnis certitudinis; neo auctoritas sapientium dici potest supremum criterium certitudinis mediatae.

Prob. I* Pars. Id cui aliud criterium præsupponitur et quod vi sui mediatam dumtaxat parit certitudinem, non est criterium supremum. Atqui auctoritas, seu revelatio divina, aliud criterium subaudit, et vi sui generat tantum certitudinem mediatam. Ergo.

Prob min. Ut aliquis credat Deo revelanti debet esse certus se existere, seque intelligere, se percipere testimonium; necnon Deum existere, Deum esse veracem, Deum revelasse et tales veritates revelasse: imprudenter quippe, imo et irrationabiliter quis admitteret revelationem nesciens an existât revelatio et ad quæ se extendat. Ergo revelatio et fides supponunt aliud criterium quo homo cognoscat se existere, Deum existere, Deumque revelasse et tales veritates revelasse.

Itaque fides est cognitio quæ aliam supponit et ex alia consequitur. Sed cognitio quæ ex alia oritur est cognitio mediata. Ergo revelatio quæ fidem generat, parit solum cognitionem mediatam.

Nec reponatur fidei certitudinem esse omnium primam.

Est quidem potior omni alia certitudine, seu est prima dignitate; sed non est prima universalitate, nam fides non se extendit ad omnia; nec prima tempore, ut ostendit nostrum argumentum.

Confirmatur declarationibus S. Congregationis Indicis 12 jul. 1855: α Rationis usus fidem præcedit et ad eam operevelationis et gratiœ conducit, fi

Proh. Il* Pàrs, iisdem fere argumentis.

Arg. I"". Non valet auctoritas, seu consensus generis hu-

mani, nisi prius constet existere hujusmodi consensum et requisitis conditionibus esse præditum. Atqui id constare nequit nisi per aliud criterium quod sit consensu communi prius. Ergo consensus communis aliud criterium subaudit nec ullo pacto dici potest omnium primum.

Arg. IIm Supremum criterium debet esse fons generalis omnis certitudinis, etiam metaphysicæ. Atqui auctoritas generis humani, cum sit ordinis moralis tantum, fons certitudinis metaphysicæ esse nequit. Ergo non est supremum criterium.

Arg. IIIm. Criterium primum debet se extendere ad omnes veritates et esse possibile respectu omnium hominum. Atqui consensus seu auctoritas humana 1° non se extendit ad omnes veritates, sed solum vel ad principia communia vitæ necessaria, vel ad veritates facti et res historicas; 2° non omnes homines, sed soli sapientes possunt testimonium universale consulere. Quocirca, rusticus, qui traditiones generis humani non exploravit, omni certitudine carebit ; nec certus quidem erit se agros possidere, se caput dolere, etc. Ergo absonum est ponere consensum generis humani ceu omnis certitudinis normam.

Prob. IIIa Pars. De ratione demonstrationis est parere visionem, seu scientiam. Sed conclusio quæ tenetur auctoritate sapientium non scitar, non videtur, sed creditur. Ergo, si auctoritas sapientium est criterium demonstrationis, si nempe conclusio non potest admitti ceu certa, nisi accedente sapientum consensu, demonstratio non jam retinet demonstrationis naturam, sed est fides.

Insuper, ratio potest se sola, fatente Ventura, assentici præmissis. Atqui posito assensu præmissis necessario intellectus assentii conclusioni, etiam necessitate exercitii (1). Ergo superfluit auctoritas sapientium.

Tandem, principium P. Ventura, cum non sit primum et immediatum, tenetur per demonstrationem. At hujus demonstrationis vis vel per ipsam valet, vel solum propter aliorum auctoritatem. Si per seipsam valet, habemus intentum ; si

(i) Tract. Ill, q. 1, ari. 3, n. ô ei 7.

vero aliorum consensum et auctoritatem expostulat, principii petitio incurritur, idem per idem probatur.

Ergo auctoritas sapientium non est criterium supremum, licet firmum et necessarium criterium sit in suo ordine, ut probatum est articulo præcedenti (1).

XI. — Sententiae A. Balfour et F. Brunetière.

Animadvertit Balfour determinismum et agnosticismum esse systemata ruinosa et societati nociva. Ut ergo bono societatis provideatur et certitudo aliqualis statuatur oportet auctoritati fidere ; magis enim auctoritate quam ratione vivimus. Sed cuinam auctoritati fidere? Non civili, quæ nulla vi gaudet in præsenti materia ; non religiosæ, quæ in dubium vertitur; nec autoritati rationis, quæ impar est difficultatibus solvendis. Ergo admittenda est fides. Ergo credamus oportet morali, libero arbitrio, Providentiae, præsentiæ Dei inter homines, etc. Fides ista non est quidem absolute certa, sed incertiores sunt hypotheses, quibus nituntur determinismus et agnosticismus ; quinimo admissa ista fide moralitas explicatur, mens quiescit, exstruitur ordinis socialis fundamentum.

Brunetière statuit fundamenta ordinis moralis et socialis non posse scientia exstrui nec scientia niti ; quare ad fidem recurratur oportet, (lationes igitur credendi sunt ordinis moralis, ex necessitate cujusdam regulæ quæ a sola fide praestatur. Hinc credimus quia volumus credere.

XII. — Critica. Legitime quidem propugnant illi philosophi fidem esse in multis necessariam, quod jam asseruimus, art. præced. n° 6 et seqq. At fides non est motus cæcus, nec judicium incertum. Recolantur quæ disseruimus art. 6. Animadvertatur insuper fidei presupponi aliud criterium, et cognitionem quæ fide generatur esse mediatam dumtaxat.

(1) **Consuli possunt** Lamennais, *Essai sur l'indifférence ;* Lacordaire, *Considérations sur le système philosophique de M.de Lamennais ;* Ventura, **Essai** *sur l'origine des idées et sur le fondement de la certitude, Cours de philosophie chrétienne ;* Balmès, *Philos, fondament.* **liv. I** ; Mercier, *Critèriologie,* **liv. HI, etc.**

Ergo non est ad fidem recurrendum tamquam ad primam et universalem normam, n° x.

Cæterum, in sententia Balfour fides non est nisi major probabilitas. Si autem omnis cognitio probabilitate nititur, nulla erit cognitio certa, seu nulla assignabitur judiciorum naturalium ratio, quod est alia via in scepticismum dilabi/ Vid. sup. n* vu.

Quod autem addit Brunetière nos *voluntate* credere, verum esse potest, dummodo concedatur ad fidem concurrere etiam multiplex intellectus judicium. Art. VI, n° xi. Non est ergo fides humana vel divina supremum criterium, licet sit in suo ordine verum et necessarium criterium.

ARTICULUS NONUS

ASSIGNATUR SUPfiEMUM CRITERIUM

I. — Quid restat probandum. Constat ex praecedentium sententiarum expositione et confutatione criterium supremum, ex ordine objectivo esse repetendum. Cæterum id liquet : criterium supremum debet esse aliquid immutabile, se tenere debet ex parte objciti, seu veritatis immutabilis. Sed inter criteria objectiva recensentur principia prima et evidentia. Restat ergo inquirendum utrum criterium supremum in primis principiis an in evidentia reponendum sit.

II. — Conclusio : Supremum certitudinis criterium non in principiis primis sed in evidentia objective spectata reponendum est.

Prob. Ia pars. Quod fundatur in alia cognitione non est primum criterium. Atqui prima principia fundantur in alia cognitione, scilicet in cognitione entis et transcendentalium : sic principium contradictionis : *Impossibile est idem esse et non esse,* fundatur immediate in cognitione entis, nam versatur circa pugnam quæ est inter ens et non ens. Ergo prima principia non sunt criterium supremum.

Prob. IIa pars. Diximus : *in evidentia objectiva,* non tamen excludimus evidentiam subjectivam ; certitudo quippe ex duobus adintegratur : ex evidentia subjectiva ut conditione, et evidentia objectiva ut causa et motivo formali. Sensus ergo est : criterium supremum, licet requirat evidentiam subjectivam, non in ea tamen proprie consistit, sed formaliter in evidentia objectiva menti manifestata (1).

(1) **Hoc sensu forte inteliigi potest Vico, qui docet supreçmm erile-**

Arg. 1um Cum in cognitione duo concurrant : subjectum cognoscens et objectum cognitum, criterium supremum est ex alterutro desumendum. At non cx subjecto ut ex prædictis amplissime constat, quæ probalio ad id fere reducitur: Criterium est immutabile, quæ vero se tenent ex parte subjecti mutabilia sunt. Ergo ex objecto cognito desumendum est criterium. Sed objectum cognitum movet et determinat mentem prout esimenti præsens in sua luce et perspicuitate. Ergo criterium supremum desumitur ex objecto ut est menti præsens in sua luce et perspicuitate. Jam vero objectum menti præsens in sua perspicuitate est objectum evidens. Ergo criterium supremum desumitur ex objecto ut evidenti. Sed, ut animadvertit Gard. Zigliara, objectum non est evidens nisi evidentia. Ergo criterium supremum desumitur ultimo ex evidentia.

Confirmatur. Criterium supremum est id quod perficit et quietai intellectum. Sed perfectio et quies intellectus, ut passim audivimus ex Angelico, est *verum ut cognitum.* Ergo criterium supremum est verum ut cognitum. Verum autem cognitum, verum perspicuum, alio nomine dicitur evidens. Ergo verum evidens, seu evidentia objectiva, est criterium supremum.

Arg. 1iaip. Illud est criterium primum quod non indiget alio criterio, quo sublato, perit omnis certitudo et, quo posito, mens habet normam ad assentiendum veritali absque ulla errandi formidine ; quod non potest cum errore componi; quodque est universale, immutabile, menti internum.

Atqui I0 evidentia non indiget alio criterio, evidens quippe per seipsum el vi sui admittitur. 2° Sublata evidentia omnis certitudo corruit: nisi enim *evidenter* constet de nostra mundique existentia, etc., ingens errandi formido inducitur. 3° Posita evidentia, mens normam sibi praestituit, nam quaerenti cur certus sim de mea mundique existentia, etc., præsto

rium esse *veritatem ut factam.* **Veritas ut facta potest designare evidentiam objecti ut menti manifestam et a mente dictam. Si vero** *subjective* **tantum hæc inlelliguntur, falsa erit illa sententia, ut ostendit** Balmès, *Phil, fondtun.,* **c. xxx — Pariter** *idea clara et distincta* **Cartesianorum potest significare objectum ut menti perspicuum, et tunc ab evidentia objectiva non differì ; at alio sensu intellectum falsum, deprehenditur assertum cartesianum, ut vi-'imus, art. præc. n. vin.**

est responsio : quia hæc omnia mihi evidenter constant. Cur e contra non possim adhærere probabilismo absque ulla errandi formidine ? Quia probabilismi veritas non est evidens. 4° Evidentia non potest cum errore componi ; ostensum est enim (art. i) evidentiae veræ non subesse falsum. 5° Evidentia est criterium universale, so extendens ad omnes certitudines ; sic in ipsis fidei objectis assensus certus non est nisi evidentia sint credibilitalis motiva. 6° Est criterium immutabile, nam evidentia objectiva est ipsum verum immutabile et æternum. Tandem, evidentia est aliquid menti internum ; nam, ut prius dictum est, lux et vis objectiva veritatis, luxque et vis subjectiva intellectus cognoscentis sunt duo elementa omni cognitioni intrinseca. Ergo evidentia est criterium supremum.

III. — Utrum sit duplex criterium ultimum: veritatis et certitudinis.

Quidam auctores admittunt duplex criterium ultimum : alterum veritatis, certitudinis alterum. Sic Rosmini vocat criterium veritatis principium evidens quod veritatem confert cognitionibus quæ ab alio proveniunt; criterium vero certitudinis, principium quod quidem non confert veritatem propositionibus, sed nobis inservit ad indubie agnoscendum utrum propositiones ipsae in se habeant necne veritatem, ac proinde ingerit nobis certitudinem earum veritatis vel falsitatis.

Addit autem Rosmini ens ideale esse veritatis criterium.

At idem debet esse lumen quo discernimus verum a falso et quo certi sumus de vero : hæc enim se mutuo ponunt. In tantum quippe certificatili· yitellectus de vero in quantum videt verum discerni a falso. Ergo idem est veritatis et certitudinis criterium.

Quod autem addit de ente ideali, recto forte sensu intelligi potest, si ens ideale sit ens ut menti manifestum, mentique præsens in sua luce et perspicuitate, seu ens objective evidens.

Alii vocant criterium veritatis id quo ultimo veritas a falsitate distinguitur, et est evidentia objectiva ; criterium autem certitudinis id quo ultimo certitudo ab errore secernitur et est dira perceptio, seu evidentia subjectiva. « Quæ distinctio, ait Pesch, videtur esse subtilior qqam verior. Nam illa clara

perceptio accipi potest dupliciter. **Si** intelligitur ut primo et directe emergens ex subjecto cognoscente, praescindendo a re evidenter percepta, non potest esse ultimum principium certitudinis. Id enim non ex subjecto cognoscente, sed primo ex re cognita accipi debet. Si intelligitur ut effecta ab evidentia objectiva, controversia ad litem de modo loquendi reducitur (1). »

Hic tamen loquendi modus non videtur probandus. Criterium enim supremum, sicut ipsa certitudo, ex duobus adintegratur : ex aliquo subjectivo tanquam conditione, et ex aliquo objective tanquam ratione formali. Atqui unumquodque denominatur non a mera conditione, sed proprie et simpliciter ab eo quod est potius in ipso, scilicet a ratione formali. Ergo criterium supremum est denominandum, non ab eo quod est subjectivum in certitudine, sed ab eo quod est objectivum, seu ab evidentia objectiva. Ergo sola evidentia objectiva proprie et simpliciter meretur nomen crilerii supremi, non autem evidentia subjectiva.

IV. — Opinio Illustrissimi Lorenzelli. Egregius et profundissimus Aristotelis et D.Thomæ interpres, Illm. D. D. Lorenzelli, docet criterium veritatis propositionum demonstrabilium non esse evidentiam objectivam, sed resolutionem earum propositionum in sua principia (2). Sic arguit: 1° Cjim assignatur evidentia objectiva ceu criterium, vel intelligitur de evidentia objectiva principiorum, vel evidentia ipsius conclusionis controversæ. Hoc secundum non potest concedi, quia alter contradicentium precise negat conclusionem eo quod ejus veritas ipsi non apparet, seu quia relate ad ipsum caret evidentia objectiva, quæ propterea producenda manet per aliquem logicum processum ; et hic erit criterium veritatis conclusionis. Sed et primum esse non potest. Nam vel evidentia objectiva principiorum consideratur ut manens in ipsis principiis, et tunc eadem nihil facit ad ostendendam veritatem conclusionis ; vel consideratur ut derivata ad conclusionem, et tunc hæc derivatio manifestanda est, quia ab

(1) *Logic.,* **tom. II, p. 307.**
(2) IV *Pars Log.,* **lect. 5.**

allero contradicentium non conspicitur. Unde criterium non erit ipsa evidentia derivala ad conclusionem, sed potius ostensio derivationis : talis autem ostensio fit per demonstrationem legitimitatis ipsius conclusionis vel sequelae necessariae, a præmissis utrinque concessis,

Resp. Evidentia objectiva quam statuimus supremum et commune criterium vim suam exercens in omni cognitione, non est haec vel illa evidentia objectiva particularis, sed evidentia *objectiva ut sic,* quæ quidem diversimode applicatur in diversis judiciis. In primis principiis est evidentia objectiva convenientiae vel disconvenientia? inter subjectum et prædicatum ; in judiciis autem mediatis est evidentia objectiva connexionis inter antecedens et consequens. Admittit Illustrissimus Auctor criterium esse *ostensionem derivationis, resolutionem conclusionis in sua principia.* Atqui ostensio derivationis, resolutio ad principia requirunt vim evidentiæ. Ergo resolutio non est primum criterium. Prob. min. Ostensio derivationis, resolutio ad principia nullam vim habet nisi perspicuum sit propositionem esse resolubilem, consequens necessario connecti cum antecedente, resolutionem fieri juxta debitas regulas. Atqui hæc perspicuitas qua constat propositionem esse resolubilem, etc., est ipsa evidentia.

Ergo resolutio ad prima principia vim nullam habet sine evidentia. Admittimus sane cum I). Thoma, scientiam et certitudinem conclusionum causari per resolutionem ad principia, sed inde minime sequitur resolutionem esse primum et supremum criterium, cum ipsa resolutio evidentiæ vim requirat. Aliis verbis, resolutio est conditio et causa scientia.*, sed criterium primum est evidentia qua constat propositionem esse resolubilem, consequens connecti cum antecedente, resolutionem fieri juxta debitas regulas.

Arguit 2°. Evidentia non est criterium, sed effectus vel terminus criterii ; est enim terminus omnium judiciorum et ipsius veritatis possessio.

Resp. Quamvis aliqua evidentia sit effectus et terminus, non sequitur evidentiam objectivant *ut sic* esse sub omni respectu effectum prioris criterii.

Est enim quædam evidentia quæ seipsa ponitur, sicut lux

alia luce non indiget ; est quædam evidentia prior resolutione propositionum, nam, ut dictum est, resolutio supponit aliquam evidentiam qua constet resolutionem fieri posse, de facto fieri et juxta debitas regulas. Igitur sub hoc respectu evidentia se habet non ut terminus, sed ut principium et dirigens.

Quod autem sub alio respectu sit terminus judiciorum, non inde impugnatur thesis nostra. Id e contra ostendit evidentiam esse aliquid communissimum et universalissimum quod est simul principium et finis cognitionum certarum : principium, quia est prior resolutione propositionum in sua principia, et ipsam resolutionem dirigit ut recte flat ; est finis, quia est terminus in quo perficitur et quietalur intellectus. Et praecise, quia evidentia est aliquid universalissimum et communissimum, se habens ut principium et finis cognitionum'certarum, recte dici potest universalissimum et supremum criterium.

Caetera quæ addit clarissimus Auctor minoris sunt momenti.

Qua via, inquit, suaderi potest evidentia objectiva tanquam criterium ?

Resp. Est aliqua evidentia quæ seipsa ponitur ut lux diei ; hac admissa utimur ad ostendendam nostram propositionem.

Quod objicitur de veritatibus supematnralibus non cogit. Admittuntur istœ veritates propter intrinsecam et objectivam evidentiam auctoritatis, seu propter evidentem auctoritatem Dei revelantis. Hoc autem rationalismum non sapit, siquidem constat mysteria fidei nostræ esse evidenter credibilia.

Veritas quidem credita est intrinsece inevidens, sed motiva credibilitatis sunt intrinsece evidentia.

Cæterum, thesis nostra est præsertim de criterio certitudinis naturalis.

Tandem objicitur : Conclusiones theologicæ sunt recognoscibiles, non propter auctoritatem Dei revelantis, quæ cadit solum supra principia, nec propter evidentiam objectivam quia hæc non competit conclusionibus sicut nec principiis. Ergo propter resolutionem in principia.

Resp. Resolutio, ut jam diximus, nihil valet sine evidentia. Unde in conclusionibus theologicis criterium est evidentia

connexionis inter antecedenset consequens, seu evidentia qua constet conclusiones necessario ex principiis revelatis deduci.

Concludimus itaque cum Angelico : *Certitudo quæ est in scientia et intellectu est ex IPSA EVIDENTIA eorum quæ certa esse dicuntur* (1). Igitur juxta D. Thomam criterium certitudinis, tum in cognitione mediata *(scientia),* tum in cognitione immediata *(intellectu)* est evidentia.

V. — Utrum criterium solis veritatibus mediatis conveniat.

Objici posset : Criterium illis solis cognitionibus applicandum est in quibus veritas non est manifesta, seu conclusionibus.

Respondemus : Criterium omni cognitioni certæ aliqua ratione applicatur.

Ad omnem quippe cognitionem certam requiritur ut objectum conditione quadam gaudeat, ut sit verum, necessarium, immutabile ; et ut intellectus videat se cognoscere verum ; et ut lumen seu motivum habeat quo determinetur ad assensum firmum. Ergo in omni cognitione certa adest aliqua conditio qua gaudet objectum, aliqua norma quo intellectus videt objectum esse verum, immutabile, et cognoscit se cognoscere verum ; adest quoque motivum seu lumen quo intellectus determinatur ad assensum firmum. Atqui conditio, norma et motivum hujusmodi est ipsum criterium, quod definitur : Motivum determinans assensum firmum, vel : Norma qua discernimus conditiones quibus præditum esse debeat objectum, vel lumen dirigens omnem cognitionem certam. Ergo omni cognitioni certae applicatur criterium.

Cæterum id jam constat ex articulo praecedenti (η. 2), ubi ostensum est existere aliquod supremum criterium quod in omni certitudine relucet, quodque omnia criteria dirigit et a quo omnia criteria omnesque certitudines effectum suum derivant. Sententia vero opposita, quam tenent Sanseverino (2), Ulmus Lorenzelli, non videtur nobis probanda.

In iis tamen quae per se evidentia sunt criterium imbibitur

(4) III *Di$t.* 23, q. II, a. 2, eoi. 3.
(2) *Dynamilogia.,* n° 640.

in ipsa veritate quæ seipsam manifestat, sicut lux seipsa ponitur, licet ratione distinguatur a veritate, ut dictum est de evidentia, art. 4, n. 10 et 11. Quocirca concedi potest criterium specialius applicari cognitionibus mediatis, in quibus veritas non apparet nisi per resolutionem ad prima principia, quæ tamen resolutio ipsa evidentia dirigitur. Unde resolutio ad principia dici potest criterium proximum veritatum demonstrabilium, sed criterium supremum est evidentia, quæ ipsam resolutionem dirigit.

▾ **I. — De æquivocationibue hac in materia vitandis.** Difficultates et dissensio circa supremum criterium inde forte oriuntur quod nou omnes conveniant de propria criterii acceptione. Una, ut videtur, esset Scholasticorum sententia, siæquivocatio tolleretur. Si enim criterii nomine intelligeretiir medium quo pervenitur in cognitionem certam veritatis ignotæ, concedendum omnino esset criterium non competere veritatibus immediatis : judicia quippe immediata non cognoscuntur aliquo medio, nec alio indigent quo certificentur, « Proprium enim est horum principiorum, ait Angelicus (1) quod non solum necesse est ea per se esse vera, sed etiam necesse est videri quod sint per se vera. Nullus enim potest per se opinari contraria eorum ». Cum autem medium seu modus quo mens certificalur de veritatibus mediatis sit resolutio in prima principia, inficiari nemo posset resolutionem illam esse primum criterium. At, si nomine criterii supremi venit conditio generalis qua omne objectum gaudere debet ut mentis assensum rapiat, lumen quod omnem cognitionem dirigit et in omni cognitione relucere debet ut intellectus alicui enunciabili assientiatur, confitendum est omnibus Scholasticis supremum criterium esse evidentiam ; siquidem intellectus non determinatur nec objecto assentitur nisi propter evidentiam vel veritatis vel credibilitatis. Nos vero communiorem Scholasticorum sententiam propugnantes, ostendimus criterium ista generaliori acceptione esse sumendum, darique aliquod lumen generale omnem cognitionem dirigens, quod su-

ti) 1 *Post. Anal.* **lect. 19.**

premunì criterium dicimus. Quocirca tenemus criterium omnibus veritatibus, etiam immediatis, convenire, licet magis necessarium sit veritatibus mediatis ; resolutionem propositionum demonstrabilium ad sua principia esse criterium proximum, non tamen primum, quippe quæ aliud supponit et alio dirigitur : supponit evidentiam et dirigitur evidentia qua constat propositionem esse resolubilem et resolutionem fieri juxta debitas regulas, etc., ut jam monuimus. Recto ergo statuimus evidentiam quae omnem cognitionem dirigit et estconditio generalis qua omne objectum gaudere debeat ut intellectus assensum determinet, esse primum et generale veritatis et certitudinis criterium.

VII. — Evidentia est ratio formalior respectu intelligibilium sub quo cæteræ rationes formales continentur. In omni genere movente seu specificante potentiam est aliqua ratio formalior sub qua cæteræ subordinantur et continentur : invisibilibus hæc ratio formalior est lux, quia nihil videtur nisi quatenus sub luce continetur ; in appetibilibus hæc ratio est bonum perfectum, quia nihil appetitur nisi sub ratione istius boni, unde finis ultimus est ratio et id cujus gratia cætera movent; in intelligibilibus, hæc ratio est evidentia, quia nihil intellectum movet nisi per evidentiam et quatenus sub evidentia continetur. « Et hæc ratio ultima et plena, ait Joannes a S. Thoma (1), ac motiva cælerarum, una est, et per modum unius attingitur, eo quod omnis motio et specificatio potentiarum terminum habere debet, et ibi tamquam in aliquo principaliori sistere, ab illoque unitatem habet, quia sub illo cætera ordinantur ; et, cum moveant sub eodem modo et genere movendi, unitatem quoque ab illo habent. »

Ex quibus eruitur nova sententiæ nostræ confirmatio:

Sicut finis ultimus est primum motivum sub quo continentur omnia appetibilia et a quo unitatem desumunt, sicut lux est primum motivum sub quo continentur omnia visibilia et a quo unitatem suam depromunt ; ita evidentia est primum motivum sub quo continentur omnia intelligibilia et a quo

(1) *Cursus theologicus,* **q. I,** *De ultimo fine.* **art. 5.**

unitatem suam derivant. Atqui primum motivum in ordine inteliigibilium dicitur alio nomine primum criterium. Ergo evidentia est primum et supremum criterium (i).

(I) De criterio supremo consuli possunt Joannes a **S.** Thomas, *loe. cil.* ; ZiGUAHA, *Critic.,* **lit. III;** Pesch. *Logic.,* **t. II;** Lorenzellj, *loc. dr.,* ; Sanseverino, *loc. cit.* ; Janet, *Philos.,* **u· 059, 4°.**

TRACTATUS TERTIUS

DE QUÆSTIONIBUS QUÆ SPECTANT TERTIAM MENTÍS OPERATIONEM

Tertia mentis operatio est ratiocinium, cujus signum est argumentatio, syllogismus nempe et inductio. In hoc ergo ultimo tractatu versandæ sunt quaestiones quæ ad Syllogismum, Inductionem, Scientiam, Methodumque in scientiis adhibendam propius referuntur.

QUÆSTIO PRIMA

De Syllogism

Quæ spectant syllogismi formam in Logica Minori expendimus. Ex parte autem materiæ dividitur syllogismus in apoiicticum seu demonstrativum, probabilem et sophisticum. Flinc disserendum de demonstratione, de argumentatione probabili, de syllogismo sophistico.

ARTICULUS PRIMUS

DE DEMONSTRATIONIS NATURA ET DIVISIONE (1)

I. — Demonstrationis definitio. Demonstratio definitur ab Aristotele : *Syllogismus constans ex veris, primis et immediaiis, notioribus, prioribus, necessariis, causis conclusionis* (2).

I0 Præmissæ debent esse verse. Quia ex falso verum scientifice concludi non potest, nec de falso dari potest scientia ; quod enim non est, sciri non potest.

(<) **Consuli possunt** Aristóteles, *Poster. Analyt.;* **S.** Thomas, *Comment.* **in præfatos Aristotelis libros;** Joannes a **S.** Thoma, *Log.* **II. P. q. 25;** Alamannos, *Logic.,* **q. 21 et seqq.;** Sylvester Maurus, *Question. Philos.,* **vol. I** ; Pesch, *Logic.;* **P.** Janet, *Logique,* **sect. J, c. vi** ; Mercier, *Logique,* **3e partie.**

(2) *Post. Ànalyt.,* **lib. 1, text. 5, n° 4.**

2° Debent esse primæ et immediatæ, seu indemonstrabiles, quia non debet dari processus in infinitum. Carent igitur medio quo demonstrentur, et sub hoc respectu dicuntur ¿m-*mediatæ* ; et aptæ sunt ad alias demonstrandas et sic dicuntur *primæ,* respectu nempe eorum quæ per ipsas probantur.

3° Debent esse priores et notiores conclusione, quia sunt medium quo innotescit conclusio. Si autem conclusio esset notior vel æque nota, non probaretur per illas, nec ex illis deduceretur.

4° Debent esse causæ conclusionis. Est enim de ratione omnis argumentationis ut per præmissas deveniatur ad conclusionem tanquam in causatum per suam causam.

Notandum est autem circa has voces : *notioribus, prioribus,* aliquam propositionem dici per se notam, prius notam, vel *quoad se,* vel *quoad nos.*

In genere propositio *per se nota* dicitur, quando prædicatum includitur in ratione subjecti. Triplici autem ratione potest prædicatum in subjecto includi : I0 ut genus subjecti, 2° ut differentia subjecti, 3° ut proprietas a subjecto inseparabilis.

Dicitur per se nola *quoad se et non quoad nos,* cum prædicatum est quidem de ratione subjecti, sed, apprehensis terminis, non illico apprehenditur eorum connexio ; est per se nota *quoad se et quoad nos,* quando apprehensis terminis statini et absque discursu percipitur eorum convenientia vel disconvenientia.

Notius secundum naturam dicitur quod habet esse prius et perfectius in natura. Verum enim fundatur in esse. Quod ergo habet magis esse, est magis verum, magisve cognoscibile, ideoque secundum se est prius notum.

Notius quoad nos dicitur quod prius cadit in nostra cognitione, ideoque magis accedit ad cognitionem sensibilem, quæ est scientiæ humanæ principium. Causa est secundum se notior effectu, essentia proprietatibus; sed quoad nos effectus, ut plurimum, est notior causa, proprietates notiores sunt essentia. — Ad rationem vero demonstrationis requiritur utpræmissæ notiores sint conclusione saltem quoad nos. Imo ut comparetur demonstratio perfecta, debent esse notiores etiam quoad se. Tunc enim solum paritur cognitio perfecta, cum ordo

logicus et intentionalis ordini rerum perfecte respondet. Ergo tunc solum est perfecta demonstratio, cum præmissæ notiores in ordine logico et quoad nos sunt etiam notiores simpliciter et in ordine reali.

Quoad adjectionem : *causis conclusionis,* animadvertatur præmissaS esse causas conclusionis necessarias, ita ut ipsis positis necessario fluat conclusio. Si autem conclusio contingenter consequeretur, esset syllogismus probabilis, non demonstrativus. Hinc Aristoteles requirit ut præmissæ sint necessari®.

Ratione effectus definitur demonstratio: *Syllogismus faciens scire.* Hæc est definitio descriptiva, ex proprietate demonstrationem declarans. Eo ipso quippe quod syllogismus constet ex veris et necessariis, assensus conclusioni præstitus erit scientificus.

II. — Est autem præmissa necessaria, quando prædicatum dicitur de omni, dicitur per se, dicitur universaliter.

Dici de omni potest intelligi secundum formam prioristicam et secundum formam posterioristicam. In primo casu sufficit ut conveniat *omni,* licet non semper ; sic competit omni homini ridere, non tamen semper. Ad formam vero posterioristicam duæ requiruntur conditiones : prima, ut nullum sit individuum sub subjecto contentum cui non insit prædicatum ; secunda, ut nullum possit accipi tempus in quo ei non insit tale prædicatum. Sic convenit omni homini et semper esse animal.

Jam vero demonstratio requirit hoc utrumque ; si enim prædicatum non inesset semper, non posset conclusio infallibiliter et semper ex praemissis erui.

Quid autem sit dici seu prædicari *per se,* jam alibi fuse explicatum est, ubi de quatuor modis praedicandi (I). Tn demonstratione perfecta, major est in quarto modo praedicandi per se, minor in primo. Nam in demonstratione perfecta probatur passio per medium, quod est definitio subjecti. Sed propositio cujus prædicatum est passio et subjectum definitio

(1) *Log.* **Min. Tract. Ii, q. II, a. 2, n° 3.**

subjecti est in quarto modo praedicandi per se, et illa cujus subjectum est ipsum subjectum passionis et definitio subjecti est prædicatum, est in primo modo. Ergo, quia major habet pro prædicato passionem et pro subjecto definitionem subjecti, erit in quarto modo praedicandi per se, et quia minor habet pro subjecto ipsum subjectum passionis et pro prædicato ipsam definitionem subjecti, erit in primo modo praedicandi per se. — Dici *universaliter* de subjecto est convenire *omni, per se* et *primo ratione sui.* Sic sensitivum dicitur primo de *animali,* non autem dicitur de *homine* primo et ratione sui, quia non convenit *homini* reduplicative ut est homo. Demonstratio vero per se et perfecta requirit ut prædicatum subjecto insit primo ratione sui. Sic *sensitivum ,* non demonstratur de *homine* primo ratione sui, sed in quantum *hamo* continetur sub *animali.*

III. — Demonstratio propter quid. Notissima est divisio in demonstrationem *propter quid* et demonstrationem *quia.*

Demonstratio *propter quid* est illa in qua manifestatur cur prædicatum insit subjecto in conclusione. Demonstratio *quia* dicitur illa in qua concluditur aliquid inesse subjecto, non tamen assignatur causa cur ipsi insit (1).

Unde ad demonstrationem propter quid requiritur : I0 Ut cognoscatur causa rei, formaliter in ratione causæ, seu causa ut causa. 2° Ut cognoscatur fieri non posse ut posita causa non ponatur effectus. 3° Ut sit causa non tantum in cognoscendo, sed in essendo, causa nempe realis vel saltem vidualis. Causa porro realis est quæ reapse influit in effectum a se distinctum; causa autem virtualis æquivalet causæ reali, non influit quidem realiter in effectum, sed est talis naturæ ut, si id cujus dicitur causa expostularet causam realem, non aliam haberet quam ipsam. Dicitur etiam *ratio a priori.* Sic in Deo æternitas non suscipit proprie causarn, sed, si posset habere, hæc causa esset immutabilitas. Unde immutabilitas est causa virtualis, seu ratio æternitatis. 4° Non tamen sufficit quælibct causa in essendo, sed debet esse causa *propria, immediata,*

(1) **Ita.** D.Thomas, **opuse. 48.**

adæquata, cum effectu convertibilis, ita ut causa inferat effectum, et effectus inferat causam. Hinc qui probat aliquid per causam communem non conficit demonstrationem *propter quid.* Sit exemplum : *Omne quod senescit est corruptibile. Corpus senescit. Ergo est corruptibile.* Causa propria corruptibilitatiis non est senescere, sed constare ex contrariis elementis. Item, si procedit per causam remotam. *Omne ens a se est aeternum. Deus est a se. Ergo est æternus. Esse a se* est causa aeternitatis remota dumtaxat. Item, si causa est inad.æquata et partialis, non unica rei causa, v. g : *Qui febri laborat, habet pulsum concitatum. Aliquis homo febri laborat. Ergo habet pulsum concitatum.* Febris non est unica pulsus concitati causa. In sequenti autem exemplo habetur demonstratio propter quid : *Omne spirituale est immortale. Anima est spiritualis. Ergo est immortalis. Spiritualitas* est causa immortalitatis propria, immediata, adæquata. Ex spirituali infertur immortale, et ex immortali spirituale.

Demonstrationi propter quid proprie convenit definitio quam tradidimus ex Aristotele : *Syllogismus constans ex veris, primis,* etc.

IV. — Demonstratio quia. Demonstratio *quia,* sumpta particula *quia,* non ut est causalis, sed ut significat *quod res est,* procedit vel per signa et effectus, vel per causas remotas, communes, inadæquatas. Tria superiora exempla pertinent ad demonstrationem *quia.* Quaerunt autem auctores an demonstratio *quia* suscipiat strictam rationem demonstrationis, et conveniat univoce cum demonstratione *propter quid.* Breviter respondemus : Demonstratio *quia* est proprie, et non analogice tantum, demonstratio, imperfecte tamen rationem demonstrationis participat.

Prob. Ia pars. De ratione demonstrationis estpræstare certitudinem et evidentiam. Sed demonstratio *quia* efficit certitudinem et evidentiam. Ergo. Prob. min. Demonstratio *quia* innititur connexione necessaria inter effectum et causam, vel inter causam remotam et effectum. Sed ubi percipitur connexio necessaria, generari potest conclusio necessaria, certa et evidens. Ergo.

IIa pars manifesta est. Nam demonstratio *quia,* cum non procedat per causas proprias, non valet percipere et rimari propriam veritatis radicem. Porro de ratione vene demonstrationis et scientiæ est ipsam veritatis radicem attingere. Ergo demonstratio *quia* facit imperfecte scire.

V. — Demonstratio a priori et a posteriori. Demonstratio *a priori* est quæ rem ostendit per causam ; *a posteriori* quæ causam colligit per effectum. Unde in demonstratione a priori præmissæ sunt propositiones notiores quoad se, in demonstratione autem a posteriori præmissæ sunt notiores quoad nos, non quoad se, et hinc apparet demonstrationem a posteriori esse imperfectam.

Demonstratio *a priori* non coincidit cum demonstratione *propter quid,* nec demonstratio *a posteriori* cum demonstratione *quia.* Demonstratio enim *a priori* procedit per causas quascumque sive proximas, sive remotas ; demonstratio autem *propter quid,* ut jam novimus, per causas proprias, immediatas, adæquatas. Hinc omnis demonstratio *propter quid* est *a priori,* non tamen omnis demonstratio *a priori* est *propter quid.* Demonstratio *a posteriori* est solum per effectus, demonstratio autem *quia* est per effectus et per causas remotas. Omnis ergo demonstratio a posteriori *est quia,* at non omnis demonstratio *quia* est *a posteriori.*

VI. — Demonstratio regressiva, seu circularis. Est ea in qua, postquam ab effectibus, seu a posteriori, cognita est causa, de causa attente inspecta, descenditur ad effectus. Est ergo progressus a principiis ad conclusionem, et regressus a conclusione ad principia.

Distinguitur circulus *formalis,* et circulus *materialis.* Circulus est *formalis,* cum conclusio ex antecedente illata et ex solo antecedente nota assumitur ad probandum ipsum antecedens. Hic est circulus vitiosus ; nam consequens minus notum ad probandum antecedens magis notum illogice adhibetur.

Circulus est materialis, cum conclusio aliunde et aliis principiis quam antecedens nota assumitur ad probandum ante-

cedens vel aliquam e praemissis unde prius fuit deducta conclusio. Qui animæ immortalitatem probat ex ejusspiritualitate, et rursum ex immortalitate per solam spiritualitatem nota probat spiritualitatem, circulum admittit vitiosum. Sed est processus legitimus ex immortalitate quæ supponitur ex aliis principiis jam probata demonstrare spiritualitatem. Circulus igitur materialis maxime inservii ad perfecte cognoscendam relationem inter res quarum una ex alia infertur. Sic etiam licet ex Scriptura tamquam documento historico et humano Ecclesiæ divinitatem demonstrare ; ex Ecclesia autem jam cognita ut societate supernaturali et infallibili probare Scripturae divinitatem.

Huc accedit demonstratio *reciproca,* quando syllogismi præcedentis conclusio assumitur ut fiat major novi syllogismi, et, minore conversa, ponitur major prioris pro conclusione sequentis. Qui .processus legitimus erit, dummodo circulus sit materialis tantum.

VII. — Demonstratio directa, indirecta, pura, absoluta, etc. *Directa* est, **quæ** rem ostendit ex positivis principiis, ut si evincatur immortalitas ex spiritualitate. *Indirecta, apagogica, ad absurdum,* probat rem ita esse ex absurdis quæ oppositam sententiam comitantur : ut si probetur animæ immortalitas ex eo quod impunita remaneret culpa et virtus absque præmio. Distinguunt quidam auctores demonstrationem *universalem,* quæ est ex propositionibus universalibus, *particularem* ex particularibus, *ostensivam* ex solis affirmativis, *privativam* ex affirmativa et negativa.

Demonstratio *pura* dicitur cujus ulraque præmissa est *rationalis, a priori; empirica,* cujus utraque præmissa est *experimentalis, a posteriori; mixta,* cujus una præmissa est rationalis, altera experimentalis. Demonstratio *absoluta* ea est cujus principia in se vera et certa assumuntur ad demonstrandum aliquid in se certum. *Relativa,* seu *ad hominem,* cujus principia admittuntur ab adversario, et assumuntur ad aliquid contra ipsum inferendum, licet forte in severa et certa non sint.

Sic catholici utuntur principio libertatis cultuum ad Eccle-

siæ libertatem contra acatholicos vindicandam. Dicitur etiam demonstratio *ex datis* ; dato nempe (non concesso) aliquid ita esse, inde arguimus.

Ad argumentationem indirectam referuntur demonstrationes per *retorsionem,* por *inversionem,* per *distractionem.*

Est demonstratio per *retorsionem,* cum ex praemissis vel conclusione plus sequitur quam velit adversarius, adeo ut cogatur ipse suum solvere argumentum. *Hæc objicis ¡retorqueo argumentum.,.*

Per *inversionem,* cum ipsummet medium ab adversario assumptum adhibetur ad conclusionem contrariam consequenti quod ille intulit eruendam. *Hæc profers ; e tuis verbis oppositum concludo.*

Per *distractionem,* cum respondens impellit adversarium ad aliquid prius respondendum vel solvendum. Quo modo respondebat Ghrislus Pharisæis : *Interrogabo vos et ego unum sermonem...*

Quando vero ostenditur objectionem esse indignam cui respondeatur, propter adversarii ignorantiam vel improbitatem, dicitur demonstratio *ad verecundiam, ad invidiam, ad ignorantiam.*

VIII. — Demonstrationes propter quid et quia alias includunt. Manifestum est omnes species demonstrationis reduci ad demonstrationem *propter quid* vel *quia.* Implicat enim assignare demonstrationem quæ non procedat vel per effectus, quo casu est demonstratio *quia,* vel per causas remotas aut indirectas, quo casu est adhuc demonstratio *quia,* vel per causas proximas et adæquatas, quo casu est demonstratio *propter quid.*

IX. — Recentiorum placita de demonstrationis vi et ratione. Stuart Mill contendit demonstrationem omni valore carere, quia major, ut probet, notitiam supponit conclusionis. Qui error jam alibi confutatus est (1).

Alii objiciunt impossibilem esse demonstrationem, quia

0) *Log. Alin.* **Tract. III. q. I, art. 2.**

principiis nititur : ista porro principia vol iterum demonstrantur, et sic inducitur processus in infinitum, vel demonstratione carent, et jam gratuito admittuntur.

Reponimus principia non demonstrari, imo necessarium esse ut omnis demonstratio ab indemonstrabili incipiat, sicut omnis motus ab immobili. Inde tamen non efficitur ut principia illa gratuito admittantur. Sicut enim lux alia luce non indiget, sed seipsa'ponitur, ita principia illa probationem non expostulant, sed propria luce, propriave evidentia ponuntur. Cum ergo evidentiam in se et per se habeant, certiora sunt omni propositione demonstratata, nam id solum efficit demonstratio ut lux principiorum ad conclusionem derivetur. Potius autem est quod habet evidentiam perse eo quod evidentiam derivatam ab alio suscipit.

Ergo, nedum expostulent demonstrationem, imo perfectio ipsorum obstat quominus demonstrentur.

Nonnulli recenliores demonstrationem vocant omnem probationem certam, etiamsi circa veritates contingentes versetur. Hinc demonstratio definiretur : Syllogismus constans, praemissis certis, etsi contingentibus, ex quibus conclusio hypothetice tantum necessaria eruitur.

At, quia demonstrationis est scientiam parere quæ est de necessariis, demonstrationis ratio competit tantum syllogismo constanti ex veris, primis, necessariis, etc. Quocirca duplici ratione dicitur demonstratio necessaria : ratione formœ syllogistic», ratione materiæ, seu objecti (1).

(1) « **Il est maintenant aisé de définir la démonstration : c'est un argument en** *matière nécessaire* **et parfaitement connue, qui en fait voir clairement,** *la nécessité.* **Telles sont les démonstrations de géométrie** », Bossuet, *Logique,* **liv. III. c. xvi.**

ARTICULUS SECUNDUS

DE PRAECOGNITIONIBUS ET PRÆCOGNITIS

I. — Præcognitio et praecognitum. Habita jam demonstrationis natura indagandum est quid requiratur ad demonstrationem rite conficiendam. Aristoteles posuit, hoc principium : *Omnis doctrina et omnis disciplina ex præexislenii cognitione fit.* Quæ prævia cognitio dicitur *præcognitio.* Statuit autem Aristoteles duas esse praecognitiones : *An sit ?* et *quid sit ?* Id autem de quo est præcognitio dicitur *præcognitum.* Tria vero Philosophus ponit praecognita : *Subjectum, passionem, et principia. Subjectum* est id præcise de quo quaeritur scientia; *passio* est prædicatum, seu proprietas quam invenire volumus ; *principia* sunt præmissæ, seu medium quo educitur conclusio et quo ostendimus passionem seu prædicatum inesse subjecto vel non inesse. De singulis aliquid est disserendum.

II. — Quomodo intelligendum sit principium Aristotelis : Omnis doctrina fit ex praecedenti cognitione ?

Imprimis certum est hic sermonem esse tantum de cognitione intellectiva : non enim dari debet processus in infinitum, ita ut omnis cognitio sensitiva oriatur ex alia priori et ita porro. Posset ita intelligi axioma : Omnis cognitio intellectiva oritur ex alia : sic tertia operatio, *ratiocinium,* profluit ex secunda, quæ est *judicium,* secunda procedit ex prima, quæ est *simplex apprehensio,* simplex autem apprehensio oritur ex cognitione sensitiva. Id quidem verissimum est, sed non intenditur in praesenti ab Aristotele. Sensus ergo est : *Omnis disciplina, omnis cognitio discursiva, fit a præcedenti cognitione·*

fîoc autem assertum facillime ostenditur. Cognitio discursiva est cognitio probata et illata. Sed manifestum est cognitionem probatam fieri ex priori cognitione probante ; illatam ex antecedenti cognitione ex qua infertur. Ergo omnis cognitio discursiva fit a praecedenti cognitione.

Insuper, cognitio discursiva est ex qua eruitur veritas ignota. Sed ignotum deducitur ex aliquo principio notiori, in quo talis conclusio est ignota quidem in actu, sed cognita in virtute, seu in potentia.

Ergo omnis cognitio discursiva fit ex praeexistente cognitione.

III. --- Duae praecognitiones. Diximus duas esse praecognitiones : *An sii* et *quid sil.* Non enim datur scientia de non ente. Unde, si quaeritur scientia de aliquo, præsupponendum est illud vel actu esse, vel esse posse, vel verum esse. Praecognitio autem *quid sit* designat quid sit res secundum definitionem realem, vel saltem secundum definitionem nominalem : unde includit *quid nominis* et *quid rei.* Ad praecognitionem *quid sii* reduci potest praecognitio *qualis sit,* nempe quæ sint rei propria vel accidentia.

Quæstio tamen *qualis sit* argumentationi probabili praesertim deservit. In dialecticis investigatur *qualiter* prædicatum rei conveniat. Id autem quadruplici loco probabili erui potest : prædicatum enim subjecto convenire potest vel ut genus, vel ui definitio, vel ut proprium, vel ut accidens. Hinc quadruplex locus dialecticus, vel quadruplex quaestio *qualis sit : a genere, a definitione, a proprio, ab accidente.*

Sed quæstiones *an sil* et *quid sit,* cum rei essentiam et causas spectent, demonstrationi proprie conveniunt,

IV. — Tria praecognita. Tria esse praecognita sic evincitur. Id de cujus scientia per demonstrationem acquiritur est conclusio in qua propria *passio* de aliquo *subjecto* prædicatur, quæ quidem conclusio eruitur ex *aliquibus principiis.* Ergo priusquam habeatur conclusionis notitia, debent praecognosci nliquo modo *subjectum* et *passio* ; et similiter oportet ut cognoscatur *principium* ex quo conclusio infertur, cum ex pr n

cipii cognitione conclusio innotescat. Ërgo tria sunt praecognita : *subjectum, passio, principia.*

V. — Quid vero de his tribus praecognoscere debeamus? De subjecto præcognoscendum est *quid sit* et *an sit.*

Quid sit. Nam quidditas subjecti non demonstratur, sed ex ipsa fit demonstratio, et ita præsupponitur. Sufficit praecognitio *quid nominis,* si subjectum consideratur ut terminus simplex ; si autem consideratur ut pertinens ad cognitionem propositionum requiritur præcognitio *quid rei;* nam *quid rei* subjecti, seu definitio subjecti, est proprium demonstrationis medium.

An sit. Quia de non ente vel de ente ficto et impossibili non instituitur quæstio.

De passione vero, seu predicato, præsupponitur tantum *præcognitio quid nominis.* Quod hæc requiratur, liquet, finpossibile est enim disputare de aliquo nisi prius intelligatur quid illius nomine significetur. Quod autem non debeamus praecognoscere *an sit* prædicatum vel *quid sit,* certum est, quia utrumque per demonstrationem concluditur. Ostendit enim demonstratio passionem inesse subjecto, consequenter ostendit passionem esse ; non enim potest inesse nisi sit. Et pariter demonstratio ostendit passionem seu prædicatum pendere a subjecto in sua intrinseca ratione ; unde simul ostendit quid sit intrinseca predicati ratio.

De principiis precognoscitur illa vera esse. Principia quippe sunt propositiones. Sed idem sonat propositionem esse et veram esse : totum enim esse propositionis est ejus veritas. Igitur de principiis potius supponitur illa vera esse quam esse. Necesse est autem presupponevo ipsa vera, quia conclusionis veritas causam habet precognitam promissorum veritatem.

Non autem præcognoscendum est de promissis *quid sint* definitione reali. Principia enim sunt aliquid complexum. Sed de complexis non datur definitio realis.

« Hominis enim albi non est aliqua definitio et multo minus enuntiationis alicujus. Unde cum principium sit enuncia·

tio quædam, non potest de ipso præcognosci quia est, sed solum quia verum est(l). »

VI. — De medio demonstrationum. Medium itaque debet aliqua ratione præcognosci, cum sit causa perveniendi in notitiam conclusionis ignotæ.

Sed quæritur quid possit esse mediam : utrum omnia causarum genera, an causa formalis dumtaxat. Baco rationem medii soli causæ formali concedit, cæteris vero causis prorsus denegat. Peripatetici autem et Scholastici communiter profitentur medium ex omnibus causis desumi posse, materiali nempe, formali, efficiente et finali, dummodo sint causæ necessariae, immediate et per se.

Ad id enim tendit demonstratio ut liquido manifestetur essentia. Atqui essentia ex quadruplici causarum genere manifestari potest. Ostenditur enim definitione. Porro definitio potest esse intrinseca, per causam materialem et formalem, et extrínseca, per causam efficientem et finalem. Ergo desumi potest medium tum ex causis intrinsecis, materiali et formali, tum extrinsecis, efficiente **et finali·**

(i) D. Th. Past. *Anal.* Lib. I, loot, 11«

ARTICULUS TERTIUS

DE MODO QUO PRÆMISSÆ CONCURRANT AD CONCLUSIONEM

I. — Quæstio. Sæpe monuimus præmissas causas esse conclusionis ; quæritur vero in quo genere causse. Notandum est imprimis præmissas considerari posse materialiter, in quantum ex terminis præmissarum constituitur conclusio. Secundum hoc præmissæ sunt causa materialis conclusionis, quia præbent illi materiam ex qua conficitur : termini nempe, qui sunt materia præmissarum, fiunt etiam conclusiohis materia.

Tota difficultas est de præmissis formaliler acceptis, pro assensu ipsis propositionibus præstito. Quidam Logici censent præmissas concurrere in genere causæ formalis extrinc ;^; communiter tamen docetur ipsas concurrere efficienter.

II. — Conclusio : Præmissæ non concurrunt in genere causæ formalis, sed in genere causæ efficientis.

Prob. Ia pars. Causa formalis extrínseca est vel idea exemplaris, vel objectum. Sed I0 præmissæ non sunt ideæ exemplares conclusionis ; licet enim conclusio a præmissis inferatur, non tamen est instar præmissarum ; 2° præmissæ non sunt conclusionis objectum, sed conclusio proprium sibi vindicat objectum a præmissis distinctum, quod est ipsa veritas illata. Ergo præmissæ non sunt causa formalis præmissarum.

Prob. IIa pars. Illud effective ad conclusionem concurrit ex quo intellectus movet se de potentia ad actum quantum ad notitiam conclusionis. Atqui ex notitia antecedentis intellectus movet se de potentia ad actum quantum ad notitiam consequentis. Ergo antecedens, seu præmissæ, efficienter concurrunt ad consequens, seu conclusionem. Ratio minoris est quia

lumen præmissarum ita determinat intellectum ut ipse actu cognoscat conclusionem iliique assentiat, unde per præmissas efficitur ut intellectus qui erat in potentia cognoscens conclusionem, jam sit actu cognoscens et admittens ipsam.

Præmissæ igitur conferunt intellectui vim, seu lumen, ad acquirendam conclusionem : hinc conclusio procedit ab intellectu ut potentia eliciente et ab assensu præmissarum ut lumine actu illustrante ipsam potentiam eique praebente vim adjutricem et effectivam. Ita Thomistæ.

III· — Objicies : Causa debet existere eo tempore quo producitur effectus. Atqui eo tempore quo elicitur assensus conclusionis, jam transiit assensus præmissarum. Ergo.

Resp. Dieting, antecedens : Causa debet esse eodem tempore actu vel virtute, concedo ; semper actu, nego ; sufficit enim ut virtualiter perduret ejus influxus. Contradist. min : Transiit præmissarum assensus formaliter, concedo ; virtute, nego ; remanet enim in ipsa determinatione intellectus, quæ habetur posito præmissarum assensu.

Cæterum, non concedimus intellectum non posse quasi simul cognoscere præmissas et conclusionem. Repugnat quidem intellectum habere simul plures actus disparatos, et intelligere plura ut plura sunt ; non autem repugnat intellectum habere quasi simul actus subordínalos et intelligere plura per modium unius. Porro in præsenti cognitio præmissarum et cognitio conclusionis sunt actus subordinati per modum unius integri discursus.

IV. — Præmissæ causant per medium terminum. Ostenso præmissas esse causas conclusionis, addimus ipsas per medium terminum causare. Hæc est sententia D. Thomæ(l). « Quia scire opinamur cum scimus causam, demonstratio autem est syllogismus faciens scire, ita consequens est quod *medium demonstrationis sit causa.* »

Probatur breviter. Id est causa cognitionis ignotæ quod invenire desideramus in omni inquisitione scientifica, nam in-

(1) II *Post. Anal.* **Led, 9.**

quisitio scientifica est de causis. Sed quod invenire desideramus in omni inquisitione scientifica est medium. Ergo medium est proprie causa conclusionis ignotæ. Revera, id quod proprie quæritur est id quo invento quiescit intellectus. Sed invento medio quiescit intellectus, et assignato medio statim ex comparatione extremorum cum ipso generatur cognitio conclusionis ignotæ. Manifestum est igitur medium quocum duo extrema comparantur esse propriam conclusionis causam.

V. — An præmissæ nécessitent ad assensum conclusionis. Sciendum est duplicem distingui necessitatem : specificationis, seu contrariefatis, et contradictionis, seu exercitii. Prima est determinatio ad unum specie actum, ita ut potentia nequeat elicere actum alterius speciei, quamvis possit ponere vel suspendere suum actum. Secunda est determinatio potentiæ ad aliquem actum quem non potest suspendere, sed elicere tenetur.

His prænotatis, sit

VI. — Prima conclusio : Intellectus concessis praemissis evidentibus, neoessitatur ad assensum conclusionis necessitate specificationis, id est, non potest facere dissensum.

Probatur. Circa verum ut evidenter verum non potest dari dissensus. Atqui, concessis præmissis evidentibus et cognita bonitate illationis, conclusio est evidenter vera. Ergo intellectus non potest dissentire conclusioni.

Prob. maj. Intellectus objectum formale est verum, sicut objectum formale voluntatis est bonum. Ergo, sicut voluntas circa bonum propositum ut bonum non potest elicere nisi actum amoris, ita intellectus circa verum propositum ut verum non potest elicere nisi actum assensus.

Minor constat. Si præmissæ sunt evidenter verœ, si bonitas illationis est evidens, conclusio etiam erit evidenter vera.

Confirmatur. Intellectus concedendo præmissas, concessit implicite conclusionem quæ in ipsis virtualiter continetur. Ergo, si intellectus, concessis præmissis, conclusionem inficiaretur, sibi ipsi contradiceret.

VII. — Secunda conclusio : Intellectus, concessis praemissis evidentibus, necessitatur ad assensum conclusionis etiam necessitate exercitii ; id est, non potest suspendere actum assensus. Probatur. Potentia naturalis, positis omnibus prærequisitis ad agendum, necessario agit etiam necessitate exercitii, sicut oculus, apertis palpebris, necessario videt etiam necessitate exercitii. Atqui, concessis praemissis evidentibus et cognita bonitate illationis, intellectus habet omnia prærequisita ad assensum conclusionis : præmissæ enim evidentes et recte dispositæ illuminant conclusionem, sicut lux colores. Ergo intellectus necessitatur etiam necessitate exercitii. Voluntas itaque non potest directe impedire hunc assensum ; indirecte tamen potest, vel divertendo intellectum ad alias cogitationes, vel impediendo ne attendat ad præmissas. Hac distinctione adhibita evanescunt difficultates fieri solitae.

Vili. — Explicatur effatum Philosophi : Major cognoscitur prius tempore quam conclusio ; minor vero simul cum conclusione.

Major est propositio universalis, non subsumpta sub alia; potest igitur cognosci secundum seipsam, seorsum, independenter a conclusione, et prius conclusione. Minor autem formaliter sumpta ut minor, est propositio subsumpta, subordinata et disposita sub majore in ordine ad causandam conclusionem.

Non potest ergo cognosci formaliter ut minor, nisi virtualiter cognoscatur conclusio. Quando enim duo collustrantur eodem lumine, cognito uno cognoscitur alterum. Atqui conclusio illustratur lumine quod est in minore. Ergo simul cognoscitur minor et conclusio.

Prob. min. Lumen quo illustratur conclusio est lumen illativum. Sed lumen illativum continetur in minori ; illatio enim fit quatenus major determinatur per minorem ad causandam conclusionem. Igitur eodem lumine illustrantur minor et conclusio.

Effatum intelligitur de cognitione virtuali ; non vero contendimus formali cognitione cognosci minorem et conclusionem per eumdem indivisibilem actum.

Si vero conclusio evidentior sit ipsa minore, syllogismus di-

cilur *abductio,* quia mentis attentio *abducitur* seu avertitur a conclusione ut aciem figat circa minorem.

IX. — Utrum conclusio ad essentiam syllogismi pertineat. Disputant Logici. Cum syllogismus sit discursus in quo *ex* connexione praemissarum infertur conclusio, putant aliqui essentiam syllogismi consistere et in præmissis inferentibus et in conclusione illata. Alii volunt conclusionem esse solum syllogismi effectum, non autem ad illius essentiam pertinere: ratio est quia conclusio est aliquid illatum et effectum. Alii denique tenent syllogismum consistere formaliter in ipsa illatione, seu motu ab antecedente ad consequens, materialiter autem in præmissis et conclusione.

Ad quæstionis solutionem recolatur syllogismum considerari posse multipliciter. I0 Causaliter et active, et hoc modo in præmissis consistit ; nam ipsæ efficienter movent ad veritatem cognoscendam et ad assensum præslandum. 2° Formaliter ut *ratio manifestativa,* et sic reponitur in illatione seu consequentia, quæ dicitur forma syllogismi. 3° Formaliter ut *ratio manifestata,* et sic consistit in conclusione ; ipsa enim est objectum ad quod duæ præmissæ ordinantur, in ratione unius antecedentis. 4° Adæquate, et sic in suo essentiali conceptu dicit orationem compositam et ex præmissis, et ex conclusione, et ex illatione seu consequentia. «Itaque et habet vim illativam, quæ est in præmissis, et habet rem illatam in consequente, et habet ipsam illationem, quæ, passive sumpta, est in consequente illato, active autem, in præmissis inferentibus. Atque ita est quasi organicum instrumentum, quod constat ex parte movente et exparte mota, sicut in viventibus una pars movet aliam (1).

(1) Joannes a S. Thoma, *Log.* 1, **P. q. Vili, art. 4.**

ARTICULUS QUARTUS

Dis argumentatione probabili

1. — Notio probabilitatis. Probabile idem est ac dignum quod probetur, quamvis non necessario sit probandum. Quod est necessario ab intellectu probandum est evidenter verum ; quod autem probari potest sed non necessario, est *verisimile,* nempe id quod apparet verum propter aliquod motivum idoneum, viri prudentis assensum suadens, motivum tamen fallibile quod non excludit partis oppositæ formidinem. Definiri igitur potest probabilitas : *Pondus moiivorum fallibilium quidem, sed sufficienter gravium, quæ assensum prudentem merentur.* Dicitur I0 *pondus moiivorum fallibilium ;* nani motivum infallibile est veritas evidens, probabilitas autem non est ipsa perspicua veritas, sed tantum quidam ad veritatem accessus. 2° *Sufficienter gravium,* id est tum in seipsis, tum in ordine ad sententiam oppositam, itaut oppositæ sententia» motivis non elidantur. Ad hoc vero requiritur ut rationibus oppositis afferrepossint responsionem, non quidem irrefragabilem et apodicticam, sed rationabilem.

3" *Quæ assensum prudentem merentur.* Probabilitas quippe dupliciter consideratur : secundum se, et sic est motivum fallibile sed sufficienter grave ; et in ordine ad assensum, et jam innuit id quod assensum prudentem determinare valet. At etiam hoc modo spectari potest *relative et absolute. Relative,* si attenditur respectu alicujus hominis præ alio ; et hinc fit ut quod est uni probabile alteri improbabile evadat. *Absolute* vero, quando respectu omnium vel saltem plurimorum et sapientium sufficiens est ut assensum prudentem moveat.

II. — Divisio probabilitatis. Præcipua divisio est in probabilitatem *intrinsecam* et probabilitatem *extrinsecam.* Prima petitui directe ex rei natura, proprietatibus, causis ; vel indirecte 0X partis oppositæ incommodis. Secunda desumitur ex auctoritate fide digna, nempe doctorum qui huic sententiae ad hæserunt. Hæc tamen non movet nisi in virtute prioris; auctoritas quippe doctorum non est íide digna, nisi praesumatur docloribus compertas fuisse graves rationes, graviave motiva, huic opinioni assentiendi. Quot vero requirantur doctores ad fundandam probabilitatem extrinsecam, non est mathematice æstimandum.

Si sermo sit dc probabilitate *relativa,* præserlim respectu illiterate non raro sufficit auctoritas unius, v. g. confessarli, patris, aut alterius viri prudentis. Ad probabilitatem *absolutam* quod attinet, magis pensanda est ex auctorum ingenio, eruditione, probitate quam numero. Generation loquendo, sufficiunt quatuor vel quinque insignis nolæ doctores ; imo quandoque sufficit unus, si sit omni exceptione major. Sic in rebus dubiis opinio aliqua probabilis censetur eo ipso quod a D. Thoma doceatur. « Memini de praeceptore meo ipso audire, ait Melchior Canus, cum nobis secundam secundæ partem coepisset exponere, tanti divi Thomæ sententiam esse faciendam, ut, si potior ratio non succurreret, sanctissimi et doctissimi viri *salis nobis esset auciorilas* » (1).

III. — Duo judicia in statu probabilitatis. Duo distingui possunt judicia in probabilitate subjective spectata : alterum quo æstimatur aliquid esse probabile, alterum quo veritati probabili assentitur. Primum esse potest certum, evidens ; quo modo mihi liquido constat opinionem talem D. Thomæ vel S. Alplionsi, vera gaudere probabilitate. Secundum vero, nempe assensus præstitus sententiæ certo probabili, est semper cum errandi formidine conjunctum. Quæ duo sunt probe discernenda, nam corium esse potest aliquid esse vere probabile, quamvis probabile nunquam possit esse certum·

(1) Mblomior Canus, **Lib. XII,** *Loc. Thcol,* **in prooemio.**

IV.— De conflictu plurium opinionum probabilium (1).

QuæsLio est an duæ propositiones contradictoriae esse possint simul probabiles, si inter se conferantur. Circa quod punctum tria solvenda proponuntur: I0 an opinio remaneat vere probabilis, quum pro sententia opposita afferuntur rationes æque probabiles; 2°an remaneat adhuc probabilis, si rationes pro sententia opposita sint probabiliores ; 3° an possit intellectus admittere aliquam opinionem ceu probabiliorem et nihilosecius opinioni minus probabili adhaerere.

Respondemus : 1° Opinio non desinit esse probabilis in conflictu opinionis contradictoriae æque probabilis.

Per accidens quidem destrui potest hæc probabilitas, si elidantur rationes quibus fulcitur, sed tenemus *per se* non evacuari.

Probatur. Arg. Ium. Hlud est vere probabile quod habet motivum grave tum in se tum respectu opinionis opposite, adeo ut illius rationes congruenter solvat. Atqui (ieri potest ut pro utraque sententia militent motiva gravia tum in se tum lespective, adeo ut altera alterius momenta rationabiliter solvat. Ergo. Prob. min. Illud motivum potest rationabiliter solvi quod est fallibile. Atqui motiva utriusque sententiae supponuntur fallibilia. Ergo altera alterius potest motiva et rationes congruenter solvere, quo fit ut altera in concursu alterius probabilis remaneat.

Arg. IIura. Opinio probabilis dicitur quæ vera videtur plurimis vel sapientissimis. Atqui tum in speculativis tum in moralibus haud raro evenit ut pro duabus sententiis contradictorie oppositis decertent multi et sapientissimi et spectatissimi doctores. Ergo duæ opiniones contradictorie oppositae possunt esse simul probabiles.

2° Opinio probabilis non amittit suam probabilitatem etiam in probabilioris concursu.

Probatur. Cum motiva senlentiæ probabilioris semper fallibilia remaneant, possunt alterius sentenliæ motivis congruen-

ti) Rem hic versamus non eodem sane respectu quem considerant moralistes. Isti enim quaestionem movent in ordine ad conscientiam et liceilatem in agendo ; nos autem solum in ordine ad assensum *inteliec' ius,* **qui respectus non est a Logica alienus.**

ter solvi. Atqui motiva quibus alterius sententiæ motiva congruenter solvuntur, adhuc remanent absolute et respective gravia, ideoque vere probabilia censentur. Ergo sententia aliqua potest esse vere probabilis etiam in probabilioris concursu.

Objicies : Tn statera pondus fortius impedit alterum pondus et in suam partem trahit. Ergo sententia probabilior, utpote fortiori pondere prædita, alterius probabilitatem impedit et elidit.

Resp : Nego paritatem. Nam pondus staterae non est momentum fallibile, sed efficax, quo totaliter vincitur oppositum ; pondus vero opinionis probabilioris est motivum fallibile, quo non potest totaliter vinci oppositum, siquidem alterius motiva non valet apodictice ct cogenter solvere (1).

3° Non repugnat ut intellectus adhæreat uni opinioni, dum alteram existimat probabiliorem.

Probatur. Ad hoc duo requiruntur et sufficiunt : 1° ut opinio probabilior et opinio minus probabilis simul consistant, 2° ut sit aliqua causa quæ intellectum ad assentiendum minus probabili determinet Atqui hæc duo non raro concurrunt. Ergo. Prob. min. Primum haberi posse jam ostendimus. Secundum vero a voluntate præslari potest. Cum enim in probabilitate objectum non sufficiatad movendum intellectum, determinatio a voluntate proveniat oportet.

Sed voluntas habere potest specialem quamdam affectionem ratione cujus intellectum ad assentiendum sententiæ minus probabili inclinet. Quod quidem contingit praesertim quum quis temere judicat ; unde videmus homines in rebus religiosis haud raro opinioni quam tamen ratio minus esse dictat credibilem adhærere.

Utrum vero prudenter id fieri possit? Non videtur impossibile. Affectio enim ratione cujus voluntas intellectum ad partem minus probabilem determinat potest esse recta ac legitima, et consequenter assensus hujusmodi erit bonus et prudens.

(4) Si tamen sententia esset *probabilissima,* **vel** longe *probabilior,* **jam plene solveret imo elidere rationes oppositas, et hinc sententia contradictoria ad imprqbabiiitatem vergeret.**

— Non tamen inFundate quis contenderet opinionem cui adhæret intellectus, quamvis *objective et simpliciter* sil minus probabilis, fieri *subjective et secundum quid* probabiliorem, quatenus voluntas ei addit speciale momentum vi cujus intellectus determinatur.

Quaestionem istam de opinionum conflictu sic resumit Joan·* nes a S. Thoma : « Non repugnare circa idem formari diversas et oppositas sententias probabiles, etiam practice, quia neutra affirmat aut negat absolute veritatem, sed solum probabiliter et fallibiliter. Unde judicium quod affirmat hoc esse verum probabiliter non contradicit nec repugnat judicio neganti illud etiam probabiliter. Sicut in modalibus dici solet quod non sunt contradictori® propositiones quæ fiunt cum modo contingenter, ut Petrus contingenter disputat, Petrus contingenter non disputat, eo quod ly *contingenter* includit esse et non esse secundum possibilitatem...

Unde, cum inter duas probabiles opiniones oppositas non negetur veritas unius absolute et simpliciter, sed formetur judicium sub quadam apparentia veritatis, hinc fit quod assensus probabiles oppositi non sunt oppositi et repugnantes formaliter et absolute, sed objective, quia formaliter non affirmatur unum quod negat alterum, sed dicit apparere, seu probari verum, aut apparenter utrumque esse verum, non tamen absolute esse. Ubi objectum illorum assensuum est hoc esse licitum, verbi gratia, hoc non esse licitum, quæ sunt opposita ; formalités vero est apparere unum et apparere alterum, non utrumque esse et non esse... Quod autem solum apparenter, seu probative aut probabiliter, est verum, dat locum alteri parti, quia involvit aliquam formidinem de illa propler incertitudinem qua assentitur ; et ideo ipsemet assensus probabilis ex sua natura sic importat affirmationem de uno ratione apparentiae, quod dat locum apparentiae etiam et probationis parti contrari®... (1) »

V.— Quatuor gradus in opinione probabili. Ex praecedenti bus eruitur quadruplicem distingui opinionem probabilem i

(1) *Cursus Theologicus,* **Edit.** Vives, **tom. VI, p. {43,**

minus probabilem, seque probabilem, probabiliorem, probabilissimam. Minus probabilis dicitur, si minus bene solva motiva oppositae; probabilior, si congruentius solvat ; æque probabilis, si argumenta utriusque eodem jure solvantur ; probabilissima, si molivis oppositœ sufficientissime satisfaciat, dum propria argumenta non possunt ab opposita congruenter solvi.

VI. — Definitio syllogismi probabilis. Dupliciter definitur syllogismus probabilis; Io *Argumentatio quæ ex utraque vel alterutra præmissa probabili conclusionem infert.* Quando utraque præmissa est probabilis tantum, 'conclusio nonnisi ptfobabilis esse potest, ut liquet. Si autem una est probabilis, altera certa, conclusio pejorem sequitur partem. Gum enim una præmissa sit mere probabilis, comparatio cum medio non fit certo et necessario, sed contingenter et fallibiliter. Ergo etiam in conclusione est contingenter et fallibiliter affirmanda.

2® De finitur : *Argumentatio quæ opinionem tantum generare valet.* Quædefinitio est descriptiva; sicut enim demonstratio ex effectu definitur : *Syllogismus faciens scire,* ita syllogismus probabilis dicitur : *Syllogismus faciens opinari.*

Non raro vocatur *topicus,* a nomine græco, τόπο , quod latino redditur *locus,* eo quod e quibusdam sedibus, qui dicuntur loci dialectici, eruatur. Dicitur etiam *dialecticus,* seu *disputatorius,* quia ex praedictis locis desumit argumenta ad quamlibet rem in utramque partem disputandam.

VII. — Looi ex quibus eruuntur syllogismi probabiles (i).

Probabilitatis usus frequentissime in vita humana occurrit ; nam sæpius deest certitudo et requiritur saltem probabilitas ad agendam. Summopere igitur expedit fontes nosse ex quibus erui possunt argumenta probabilia. Qui fontes, seu loci, definiuntur : *Sedes argumentorum, seu, id unde quivis in qualibet materia eruere potest rationes probabiles.* Qua-

(1) Cf. Aristóteles, **Topic.** ; Tullius. *Topic ;* Bossuet, *Logique,* **liv. III, c. XX, et Scholastici veteres.**

druplex autem est locorum divisio : *a genere, a definitione, a proprio, ab accidente.* Singula horum multas patiuntur divisiones, quas non possumus hic prosequi. Divisioni faciliori insistimus, quæ omnes locos in decem distribuit : *a causis, ab effectibus, a subjectis, ab adjunctis, ab oppositis, a comparatis, a nomine, a definitione, a divisione, a testimonio.*

Primus a *causis : materiali,* ut si oslendatnr excellentia hominis ex corporis nobilitate, vel si æstimetur vas quoddam ex materia ex qua est confectum ; *formali,* ut si laudetur homo ex animæ præstantia vel vas ex eleganti forma et structura ; *efficienti,* ut si commendetur homo ex parentibus, vel vas ex artifice ; *finali,* ut si innotescat hominis dignitas ex æterna beatitudine ad quam ordinatur, vel reputetur vas honore dignum eo quod sit servitio divino deputatum.

Secundus *ex effectibus.* Potest cognosci causa ex eo quod producit ut agens et ex eo ad quod concurrit ut instrumentum.

Tertius eæ sù&jectìs, qua ratione ostendimus ideas nobiliores esse phantasmatibus, quia idea subjectatur in facultate epiri* tuali, phantasma vero in facultate organo corporali affixa.

Quartus *ex adjunctis.* Adjuncta sunt duplicis generis: alia sunt intrinseca et inhærentia, ut scientia, virtus ; alia externa et circumstantia, ut divitiæ, honores. Habetur itaque locus *ex adjunctis,* si laudatur aliquis ex ingenio, virtute, scientia, vel dignitatibus, divitiis, etc.

Quintus *ex oppositis* : sic evinco virtutem esse pulchram ex eo quod vitium sit turpe vel e contra vitium esse turpe ex eo quod virtus sit pulchra.

Sextus ex comparatis vel similibus, seu ab exemplis : *Luxuria vicit Samsonem. Ergo et te vincet, Deus pepercit Magdalenas penitenti. Ergo et tibi parcet, si poenitentiam egeris.*

Septimus ex *nomine, seu ex nominis etymologia,* v. g : *Consul significat qui consulit reipublicæ. Atqui Cicero est consul. Ergo consulere debet reipublicæ.* Huc refertur locus qui dicitur *a conjugatis,* id est a nominibus affinibus, quorum unum ex alio derivatur, ut *vir* et *virtus, homo et humanitas**

Ex : *Nero non debet dici vir, quia nihil habet virtutis ; nec homo, quia nihil habet humanitatis.*

Octavus ex *definitione,* nempe ex definitione ad definitum, et ex definito ad definitionem valet sequela, tam in propositionibus affirmativis quam in negativis. Ex : *Est animal rationale ; ergo est Homo. Est homo ; ergo est animal rationale. Non est homo ; ergo nec animal rationale.*

Nonus *ex divisione,* scilicet ex uno membro dividente valet sequela ad divisum. *Est rationale ; ergo est animal.* Ex. diviso autem non valet sequela ad alterum membrum dividens, sed ad omnia membra sub disjunctione : *Est animal.* Non infertur : *Ergo est rationale,* sed : *Ergo est* vel *rationale* vel *irrationale.*

Decimus *ex testimonio,* seu auctoritate, aut *pronuntiatis,* vel effatis, ut cum dicitur : *Plus objicit asinus quam solvit philosophus.* Hic locus duplex est : auctoritatis humanæ et divinæ, de quibus alibi disseritur.Ita communiter Scholastici.

Alia divisio omnes locos ad tres reducit: *analogiam, hypothesim, auctoritatem.* De analogia et hypothesi nonnulla sunt subjungenda.

VIII. — De analogia. Prout hic usurpatur, analogia definiri potest : *Argzimentatio probabilis a simili ad simile.* Deprehendimus plura entia in aliquibus convenire, et ex eo quod sint similia inferimus unum attributo gaudere quod in alio comperimus. Principia analogiæ hæc sunt : *Quod in uno similium valet, valet in cæteris.* Vel : *Pes similes interse, in eo in qu·' sunt similes, eisdem gubernantur legibus et eosdem producunt effectus.*

Analogia est quædam inductio imperfecta, in qua singula non sufficienter explorata sunt ut earum essentia cognoscatur, unde conclusio nonnisi probabiliter et fallibiliter eruitur. Quandoque tamen tanta esse potest similitudo ut analogia ad certitudinem pertingere valeat. Igitur vis analogiæ gradibus similitudinis proportionatur. Usus analogiæ frequentissimus est in scientiis naturalibus, v. g. in physica et medicina ; in sci(utiis moralibus, præsertim in politicis ; in theologia sæpe arguimus ex analogia inter ordinem naturæ et ordinem gra-

tiae, inter naturæ abscondita et fidei mysteria; inter hominem et angelum, inter mentem humanam et SS. Trinitatem, et ·.

IX. — De hypothesibus. Definitur communiter hypothesis : *Propositio neque experientia nota neque ratione probata, quæ tamen assumitur ut vera, eo quod idonea sit ad indicandam causam quorumdam factorum certo exislentium.* Est igitur hypothesis argumentatio probabilis quæ syllogismo conditional! utitur hoc modo : *Si daretur hujusmodi causa, darentur hujusmodi effectus. Atqui dantur hujusmodi effectus. Ergo datur hujusmodi causa.* Minor est certa experientia vel alio modo ; major autem hac ratione suadetur : *Deus et natura nihil faciunt frustra, seu nihil est sine ratione sufficienti. Atqui nisi admittatur nostrum assertum, aliquid erit sine ratione sufficienti. Ergo.* Non tamen liquido constat aliquid esse sine ratione sufficienti ex eo quod negetur prædiclura assertum, quia forte alia est illorum effectuum causa quæ nos latet. Quocirca hypothesis *per se* nonnisi probabilitatem generat. Si quis vero ostenderet non posse aliam latere causam præter assignatam, seu omnes alias hypotheses quæ fingi possunt, esse prorsus impossibiles, vera generaretur certitudo ; sed tunc hypothesis in thesimseu theoriam converteretur. Hypothesis naturale fovet desiderium detegendi causas, caque adhibita, multa novimus quæ forte nos semper latuissent. Est igitur optimum inventionis instrumentum, dummodo intra debitos restringatur limites. Regulæ præcipuæ sunt :

Prima. Facta, seu eventus qui certo constant, exploranda sunt cum omnibus praecipuis circumstantiis, in diversas partes dividenda, in seipsis inspicienda, demum cum aliis factis similibus vel oppositis comparanda.

Secunda. Ut aliquid assignari possit tamquam praedictorum effectuum causa, non sufficit mera conjectura, seu mera fictio, sed requiritur solidum et rationabile fundamentum.

Tertia. Ad habendum vero firmum fundamentum, non sufficit ut hypothesis rationi vel factis et legibus jam comprobatis nullatenus contradicat, sed debet esse apta ad rem in omnibus suis circumstantiis explicandam ; quod si uni tantum circumstanti» contradiceret, eo ipso inepta deprehenderetur.

Quarta. Censetur autem esse apta ad phænomena explicanda, si perspectis naturæ legibus optime consentiat, si alia facta similia jam apprime explicaverit, si quædam conclusiones particulares inde deductæ experientia confirmentur (1).

IX. — Divisio hypothesiuxn. Triplicis generis esse potest hypothesis : *logica, physica, moralis. Logica,* seu *hermenéutica,* cum pro interpretatione alicujus vocabuli vel explanatione alicujus sententiae adhibetur. *Moralis,* cum assumitur ad investiganda et quasi divinanda cordis intima, mores, intentiones, cogitationes, consilia. *Physica* instituitur ad explicandum naturæ phænomena, mundi originem, terræ formationem, etc. Hæc iterum subdividitur in *cosmologicam, astronomicam, geologicam,* etc. (2}.

(1) **Cf. quæ infra disseruntur de inductione ejusque methodis.**

(2) **Ad syllogismum probabilem reducitur argumentum ex** *probabilitatum calculis* **desumptum. « Par exemple supposons; avec S'Gravesande, qu'un homme sort d'un vaisseau dans lequel il y aura 84 Hollandais, 12 Anglais et 4 Allemands : si j'ignore de quelle nationalité est cet homme, on demande quelle probabilité il y a que ce soit un Hollannais, un Anglais ou un Allemand. Tout le monde voit à première vue que la probabilité est en faveur des Hollandais ; mais le calcul des probabilités nous apprend quelle est la valeur exacte de cette probabilité. Le nombre de tous les cas, dans cet exemple, est de 100. Le degré de probabilité en faveur de chaque nationalité sera donc exprimé par le rapport du nombre de chacune au total, par conséquent $\frac{0Z}{}$ pour les Hollandais, pour les Anglais, pour les Allemands, c'est-à-dire par le rapport de 21 à 25 pour le premier cas, 3** *à* **25 pour le second, 1 à 25 pour le troisième. Je pourrai donc dire qu'il y a vingt-et-une chances contre quatre que l'homme en question sera Hollandais. — Tel est le principe du calcul des probabilités. Le développement de ce principe appartient aux mathématiques, non à la logique. »** Janet, **P/iilosophie, n° 294.**

Consuli possunt Ernbst Naville, *Logique de l'hypothèse ;* Laplace, *Principes généraux du calcul des probabilités',* S'Gravesande, *Introd. à la phil.;* Cl. Bernard, *Introduction à la médecine expérimentale.* — **Notetur tamen ex additione probabilitatum non constitui certitudinem, nisi novum addatur elementum quod omnem errandi formidinem propellat. Certitudo quippe et probabilitas sunt ordinis diversi. Quare omnes probabilitatis gradus etiam simul sumpti remanent in ordine a certitudine diverso, semperque errandi formidinem relinent.**

ARTICULUS QUINTUS

DE SYLLOGISMO S0PHIST100 (1).

I· — Triplici modo potest esse fallax syllogismus. Peccare potest syllogismus vel ratione iormæ tantum, vel ratione materia tantum, vel ratione utriusque. Ratione formæ tantum, cum propositiones in se veræ sunt, sed vitiosa est terminonorum vel propositionum forma, seu dispositio. Quo casu non habetur syllogismus sed paralogismus vel *parasyllogismus* ; quare, concessis præmissis, neganda est sequela. Ratione materiae tantum, cum syllogismus est in modo et Qgura debitis, sed ratione alicujus æquivocationis aul alteiius similis, causæ fallit. Quo casu non sufficit consequentiam negare, sed distinguenda est major vel minor, in qua latet æquivocatio aut aliud, vel etiam aliquando neganda. Si vero peccet ratione materiæ et ratione formæ. distingui possunt præmissæ vel negari sequela.

II. — Syllogismus pseudographuss yllogismus sophisticus. Syllogismus *pseudographus* est « qui mendaci et quasi falsaria descriptione nititur, et propositionibus constat quæ necessari videntur, quum tamen falsæ sint ; syllogismum igitur demonstrativum imitatur, et fere semper procedit ex principiis alicujus scientiæ propriis, quæ latius vel pressius vel aliter accipiuntur quam intelligi debent. Cujus generis principium illud est : *Ex nihilo nihil fit* ; quo male utuntur ii qui mundi creatio-

(1) **Consuli possunt, prester Scholasticos,** *logique de Port-Royal* ; Gratry, *Les Sophistes et la critique;* Stuart Mill, *Système de Logique;* Whately, *Loqic* ; Brochaht, *De Cerreur* ; Balmês, *Art d'arriver au vrai·*

nem negant (1) ». Syllogismus *sophisticus* de quo solum hic est sermo, definitur : *Syllogismus procedens ex apparentibus, quæ nempe videntur esse, sed revera non sunt.* Hinc qui hujusmodi utuntur dicuntur *Sophistæ,* non quasi sint veri sapientes, sed apparentes, seu fucati. Singula sophismata exponemus ex veteribus Scholasticis præsertim Thomistis, classicisque utemur exemplis.

III. — Quot sint fallacies seu loot sophistici. Sicut assignantur quidam loci *topici* ex quibus eruuntur syllogismi probabiles, ita aliqui sunt loci sophistici ex quibus fallaces argumentationes depromuntur. Tredecim communiter enumerantur ; sex fallaciæ contingunt in *dictione,* seu vocibus, cum nempe ex unitate vocis unitas rei falso infertur ; septem vero in *rebus significatis,* seu extra dictionem, quum aliquæ res aliquomodo convenientes vel differentes accipiuntur ut eaedem simpliciter vel diversæ. Sex sophismata in dictione sunt : *Homonymia,* seu *æquivocatio, amphibologia, compositio, divisio, accentus* et *figura dictionis.*

Septem sophismata extra dictionem sunt : *Fallacia accidentis, dictum simpliciter et secundum quid, ignoratio elenchi ; fallacia consequentis ; petitio principii, fallacia non causæ ut causæ, fallacia plurium interrogationem ut unius.*

IV. — De æquivocatione et amphibologia. Æquivocatio, seu homonymia, est locus aptus ad decipiendum ex ambiguitate vocabuli quod in multiplici ac diverso sensu accipitur. *Canis esi latrabilis. Sed sidus est canis. Ergo sidus est latrabile. — Mus est monosyllabum. Atqui mus rodit caseum. Ergo monosyllabum rodit caseum. — Qui sanabatur sanus est. Atqui ægrotus sanabatur. Ergo ægrotus sanus est.*

Amphibologia est locus aptus ad decipiendum ex orationis ambiguitate. In æquivocatione adest solum ambiguitas vocabuli, in amphibologia vero concurrit ambiguitas totius orationis, seu sententi®. Id autem tripliciter contingere potest : I0 quia oratio in diversos sensus trahi potest, *Hic liber est*

(1) Pesch, **Mb. II Dial, cap.** hi, **n° 43a.**

Petri, intelligi potest : *Est Petri possessio,* vel aliter : *Est Petri opus.* 2° Ex constructione grammaticali. Exemplum est illud Augustini : *Deus cujus regnum est totus mundust quem sensus ignorat. Quem* referri potest ad *Deum* vel ad *mundum.*

3° Ex eo quod dictum metaphorice expressum accipiatur ab aliquo iu significatione propria : *Qui docet ineptum, littus arat. Atqui ad littus arandum opus est aratro. Ergo ad docendum ineptum opus est aratro. Arare* sumitur in majori metaphorice, in minori proprie.

V. — Fallacia compositionis et divisionis. Est locus aptus ad decipiendum, ex variatione sensus compositi et divisi ; quum nempe a sensu composito vero arguitur ad sensum divisum ialsum, vel e converso. Sensus *compositus* componit non actum vel actum oppositum cum actu ; *divisus* vero dividit actum a non actu vel ab actu opposito, ut dictum est in Logica Minori (1) : sensus compositus importat potentiam simultatis, divisus simultatem potentiae. Contingit hæc fallacia si dicitur : *Qui non potest ambulare non habet potentiam ambulandi. Atqui sedens sedendo non potest ambulare. Ergo non habet potentiam ambulandi.* Vele contra : *Qui habet potentiam ambulandi potest ambulare. Atqui sedens sedendo habe potentiam ambulandi. Ergo sedens sedendo potest ambulare.* Prior syllogismus sic distinguitur : Qui non potest ambulare* in sensu composito nec in sensu diviso non habet potentiam ambulandi, concedo ; qui uon potest ambulare in sensu composito, bene autem iu sensu diviso, non habet potentiam ambulandi nego. Contradist. min. Sedens non potest ambulare in sensu composito, concedo ; in sensu diviso, nego. Et nego conseq. — Secundus syllogismus ita resolvitur : Qui habet potentiam ambulandi potest ambulare in sensu diviso, concedo, in sensu composito, nego.

Concedi potest minor, et distingui consequentia : Sedens potest ambulare in sensu diviso, concedo ; in sensu composito, nego. Aliis verbis sedens habet *simul* potentiam sedendi et ambulandi, non vero potentiam sedendi et ambulandi *simul.*

Fallacia compositionis et divisionis contingit præsertim in

(1) Tract. II, q. U, art. 6, n. fi.

propositionibus modalibus, quæ patiuntur sensum compositum et divisum, sed etiam in aliis habere potest locum.

Quicumque numerus componitur ex duobus et tribus est duo et tria. Sed quinque componitur ex duobus et tribus. Ergo quinque sunt duo, vel quinque sunt tria. Distinctio hæc est : Sunt duo et tria conjunctim sumpta, concedo ; divisim, nego.

VI. — Fallacia accentus et iiguræ. fallacia accentus est locus aptus ad decipiendum ex varietate accentuum vel prolationum ejusdem vocabuli. *Qui quaerit lepores est venator. Sed rhetor quærit lepores (in sermone). Ergo rhetor est venator.*

Fallacia figuræ est locus aptus ad decipiendum ob similitudinem dictionum, quatenus nempe aliqua dictio alteri similis eumdem videtur exprimere sensum, quem tamen nôn refert. Attendi potest hæc similitudo materialiter, nempe in structura et terminatione vocis, et sic habetur transitus de uno genere grammaticali ad aliud. *Omnis substantia affecta albedine est alba. Atqui homo est substantia affecta albedine. Ergo homo est alba.* Contingit deceptio et transitus de genere masculino in femininum ob similitudem materialem terminationis vocabuli in majori et in conclusione. Hac modo distingui potest : Est *alba* quoad rem significatam, concedo ; quoad genus vocis, nego. Aliquando similitudo dictionis attenditur formaliter in re significata, et sic habetur sophisma quo fit gressus de uno genere philosophico ad aliud, id est de uno ad ad aliud prædicamentum. *Video hominem quem vidi anno praeterito. Atqui anno praeterito vidi eum sanum. Ergo video eum sanum.* Resp. : Dist. maj. Hominem quem vidi anno præterito video nunc, quoad substantiam, concedo ; quoad accidens et **qu** dilatem, nego. Idem est sophisma quum dictio trahitur de significato particulari ad commune ; vel de communi ad particulare. *Quod ego sum iu non es. Atqui ego sum homo. Ergo tu non es homo.* Distinguitur : Quod ego sum secundum differentiam individualem, tu non es, concedo ; quod ego sum secundum rationem communem, tu non es, nego. — Gontradist. min. Ego sum tantum homo secundum rationem individualeiu, nego ; nam hoc modo, sum homo *talis,* non homo

id sic ; ego sum homo secundum rationem communem, concedo. Et nego conseq.

VII. — De fallacia accidentis. Est locus aptus ad decipiendum ex eo quod ea quæ accidenti conveniunt aut non conveniunt inferantur convenire aut non convenire subjecto aut e converso.

Est igitur variatio suppositionis vel appellationis ab eo quod prædicatur per se ad id quod prædicatur per accidens et vice versa.

Unitas per accidens cum diversitate in re est propria hujus sophismatis causa. Tres fallaciæ ex hoc loco oriuntur. Prima, cum prædicatum essentiale accidentis tribuitur subjecto, a quo tamen distinguitur illud accidens. *Animal est genus. Homo est animal. Ergo homo est genus.* Secunda, cum prædicatum proprium accidentis tribuitur subjecto, *tìisibile est proprietas. Homo est risibilis. Ergo homo est proprietas.* Tertia, cum prædicalum commune accidentis tribuitur subjecto. *Album est concretum accidentale. Homo est albus. Ergo homo est concretum accidentale.* In primo exemplo *animal* est prædicatum essentiale ; in secundo *risibile* est prædicatum proprium, in tertio *album* est prædicatum commune. Facile refelluntur hujusmodi cavillationes. Animal est genus, quoad significationem logicam, concedo ; significatione reali, et quoad rem conceptam, nego, sic enim est *vivens sensitivum.* Contradist. min. : Homo est animal, quoad significationem realem, concedo ; quoad significationem logicam, nego. Et nego conseq. Eodem modo distingui possunt cætera sophismata.

Huc reducitur celebre sophisma : *Asinus est pater. Sed asinus est tuus. Ergo asinus est pater tuus.* — Dialing : A inus est pater secundum accidens, concedo ; secundum substantiam, nego. Asinus est tuus, secundum eumdem respectum quo est paler, nego ; secundum diversum, concedo ; et nego conseq.

VIII. — Fallacia a dicto simpliciter ad secundum quid Est locus aptus ad decipiendum, quatenus ex eo quod aliquid cum addito et secundum quid alicui tribuatur vel denegetur, infert arguens esse tribuendum vel denegandum simpliciter ei

sine addito, vel vice versa. *Ægroto licet carnes manducare die veneris. Ergo simpliciter licet carnibus vesci die veneris. Petrus est doctus in arte equitandi. Ergo Petrus est simpliciter doctus.* Hæc fallacia contingit etiam in analogiis proportionalitatis, quum ea quæ in aliquo conveniunt infert quis in omnibus convenire. *Sicut se habet risus in homine, ita se habet risus in prato. Atqui risus in homine fit per labia. Ergo risus in prato fit per labia.* Argumenta hujusmodi pede uno dicuntur incedere, et claudicare nonaginta novem, quia concludunt esse simpliciter eadem quæ in aliquo puncto aliqualiter conveniunt, et in plurimis maxime differunt.

XX. — Ignorantia elenchi et petitio principii. Elenchus significat redargutionem, seu contradictionem; unde habetur hæc fallacia quum quis non recte statuendo propositionem loco rei arguendae aliam ponit quæ revera non est arguenda ; unde fit ut difficultatis punctum ignoretur aut ignorari fingatur. Hoc sophisma committunt, v. g., qui confundunt Sumini Pontificis infallibilitatem cum inipeccabilitate **(1).**

Dicitur etiam *locus contradictionis*, quia aptus est ad decipiendum ob apparentiam contradictionis ubi revera non est contradictio, defectu alicujus conditionis ad contradictionem requisita. Quinque vero conditiones contradictioni sunt prœviæ ; unde quinque modis contingere potest hoc sophisma.

Prima conditio ad contradictionem est ut sit de eodem *secundum idem,* defectu cujus conditionis inducitur primus fallaciæ modus. *Æthiops est albus quoad dentes et non albus quoad corpus. Ergo est albus et non albus.* Secunda, ut sit de eodem secundum idem et *eodem modo* sumptum : hinc altera deceptionis occasio. *Velum applicatum corpori tegit, complicatum in arca non tegit. Ergo velum tegit et non tegit.* Tertia,

(i) « Un conseiller municipal reproche â un maire d'avoir fait des dépenses sans l'autorisation du conseil. Le maire répond en faisant valoir l'urgence et les avantages des mesures qu'il a prises. *Ignoratio elenchi I*

Un candidat à la députation se présente avec un programme net et sincère. Un adversaire vient lui reprocher d'avoir, tel jour, refusé d'apostiller une demande d'emploi. *Ignoratio elenchi I* » Liard, *Logique* **p. 206.**

ut sit de eodem secundum idem, eodem modo sumptum, *respectu ejusdem.* Unde tertius fallaciæ modus : *Quaternarius est duplus binarii et non est duplus ternarii. Ergo est duplus et non duplus.* Quarta, ut sit de eodem secundum idem eodem modo sumptum, respectu ejusdem, *pro eodem tempore.* Unde quartus modus fallaciæ. *Aristoteles est natus ante Christum, et non est natus post Christum. Ergo est natus et non natus.* Quinta, ut sit *pro eodem loco.* Unde quintus fallaciæ modus : *D. Thomas mortuus est Fossæ Novæ, et non est mortuus Lugduni. Ergo est mortuus et non mortuus.*

— Petitio principii habetur, cum arguens vel respondens accipit tanquam probationem seu probationis fundamentum ipsam conclusionem controversam, seu id quod esset probandum ; vel probat idem per idem sub alio vocabulo propositum. *Plato est filius Aristonis, quia Aristo est paler Platonis.*

Huc accedit *circulus vitiosus,* quo probatur prius per posterius et posterius per prius, ut quum conclusio ex antecedente illata et ex solo antecedente nota, iterum ad probandum ipsum antecedens assumitur.

X. — **Tres ultimæ fallaciæ.** Fallacia consequentis contingit ex eo quod existimetur antecedens ex consequente profluere sicut consequens ex antecedente oritur, quod tamen falsum est. *Si est homo, est animal. Ergo, si est animal, est homo.* Item, si concludatur ex opposito antecedentis valere sequelam ad oppositum consequentis, sicut valet ex opposito consequentis ad antecedentis oppositum. *est homo, est animal. Ergo, si non est animal, non est homo,* recta consequentia ; sed illegitima ista : *Ergo sinon est homo, non est animal.*

Fallacia non causæ ut causæ committitur quum aliquis effectus alicui adscribitur ceu causæ ipsius, cum tamen vera causa non sit. *Philosophia religioni nocet. Ergo est improbanda.* Non philosophia vera, sed defectus philosophiæ, potest religioni nocere. Item, quando accipitur pro medio id quo revera non est medium nec causa uniendi prædicatum cum subjecto. *Mori et vivere sunt contraria. Atqui mori est corrumpi. Ergo vivere est generari.* Porro vita et mors non sunt contrarie, sed privative opposita.

Fallacia plurium interrogationum ut unius est deceptio proveniens ex eo quod plures interrogationes per modum unius proponantur eo One ut respondens non possit simplici responsione omnibus satisfacere, quo iit ut capiatur a sophista interrogante. *Mei et fel suntne dulcia an amara ?* Si simplici responsione reponis : *dulcia,* infert sophista : *Ergo fel est dulce.* Si eligis : amara, infert : *Ergo mei est amarum.* Solutio hujus sophismatis est distinguere juxta diversitatem interrogationum. Ita communiter Scholastici.

XI. — Hodierna sophistica. Recentiorum sophismata ad praecedentem divisionem reduci possunt ; quædam tamen specialia sunt quæ frequentius usurpantur, scilicet : *Sophisma hypothesis, sophisma inductionis, sophisma enumerationis incompleta*, sophisma analogiae, transitus de genere ad genus.*

Sophisma *hypothesis,* quum ex præconcepto systemate ceu fundamentum inconcussum adhibetur illud quod vel suppositio gratuita est, vel rationi repugnat, ut quum increduli arguunt ex istis principiis : *Materia est aeterna, omnia reducuntur ad motum, homo originem trahit a simia.*

Sophisma *inductionis,* quum ex particularibus insufficienter enumeratis concluditur' lex universalis. Sophisma *enumerationis incompletae* cum aliquis ex uno vult discere omnes, vel asserit de toto quod de quibusdam partibus tantum valet. *Quidam religiosi deficiunt a bono. Ergo omnes. Videmus corporis partem interire. Ergo totus homo interit.*

Sophisma *analogiae* (quod aliquatenus reducitur ad sophisma de dicto secundum quid ad dictum simpliciter), quando infertur simpliciter et in omnibus convenire qu® aliqualem tantum similitudinem et proportionem habent.

Transitus de genere ad genus (quod hodie frequenter committitur) cum principia et facta alicujus ordinis absolute et absque ratione alteri ordini omnino diverso applicantur.

Miraculum non fit per naturae vires. Ergo nec fit virtute supematurali. — Lex quæ valet in ordine mechanico, etiam in ordine vitali valet. — Scientiae progressus ostendit eos erravisse qui Galilaeum impugnavere. Ergo scientiae progressus evincit creationem repugnare.

Plura alia sunt sophismata quæ enumerat P. Lepidi (1). Sophisma *auctoritatis,* cum quis infert ab auctoritate non vera, sed apparenti confirmationem alicujus doctrinae. Sophisma *locutionis,* quæ tota fucata dulcedine sua animos rapit, vel ubertate sententiarum elevat ut sic ab ipsa decepti tanquam ex facie externa judicent imbecilles verum esse quod sophislæ asserunt. Sophisma *eruditionis,* cum quis copiam eruditionis ostendit ad pompam et apparatum, ut sic facilius suæ auctoritali credatur. Sophisma *fulgoris,* quando aliquibus verbis generalibus brevi ac forti sententia falsum ut verum asseritur, vel e converso. Sophisma *sextarii,* quando ea dumtaxat de re dicuntur quæ propriæ sententiae non adversantur ; caetera vero quæ proprium possent turbare intentum radula raduntur. Sophisma *distractionis,* quando vera et falsa, certa et incerta, varia ac disparata inter se, diffusa ac tortuosa oratione simul miscentur.

Admittit Stuart Mill sophisma *simplicis inspectionis,* seu *a priori,* quod non in ratiocinio sed circa ipsa principia committitur. At vero ostensam est mentem nostram non posse circa prima principia errare, sed circa ratiocinia dumtaxat fallibilem esse per accidens (2). Cum ista principia necessario evidentia gaudeant, sophisma circa ipsa esset sophisma evidentiæ. Porro implicat evidentiam esse sophisticam vel illusoriam (3). Non datur ergo sophisma simplicis inspectionis, nisi quis voluntarie confundat evidentiam veram cum eo quod reapse evidens non est.

Baco omnia sophismata ad quatuor classes, seu *idola,* reducit, ut alibi vidimus (4).

Malebranchius ad quinque : I0 errores *sensuum* ; 2° errores *imaginationis ;* 3° errores *miei lectus ;* 4° errores *inclinationum,* ut sunt inquietudo, curiositas, cupiditas divitiarum vel honoris ; 5° errores *passionum.*

Logica *Portus-Regalis* distinguit sophismata proprii inte-

(4) Vol. I, pag. 329.
(2) Tract. II, q. Ill, art. 3.
(3) *Ibid,,* **art. 5.**
(4) Tract. I, q. I, a. 1, n 6.

resse propriive amoris aut passionis, et sophismata quæ ex ipsis objectis oriuntur.

Quæ divisiones, etsi legilimae, rem non ita plene exhauriunt sicut divisio in sophismata dictionis et sophismata rerum.

XII. — Finis sophistarum. *Sophista* in principio designavit philosophum, seu qui sapientiam colit, sed a temporibus Protagora et Gorgiæ audit hominem vanum el captiosum qui falsum sub specie veri suadet. Innumeri extiterunt sophistæ celebrior vero apud Antiquos fuit schola illa cujus duces erant Prologaras et Gorgias ; apud Recentiores vero schola quæ dicitur *novæ scientiæ,* ducibus Bayle, Voltaire, Hegelianis, Renan, etc.

Finis porro sophistis omnibus communis est ex una parle quæstus et lucrum, ex altera vero, legum et religionis contemptus, Fines autem qui respectu respondentis intenduntur quinque sunt : *redargutio, falsum, paradoxum, soloecismus, nugatio. Redargutio,* cum respondens cogitur contradictorium ejus quod concesserat profiteri ; *falsum,* cum trahitur ad absurdum. *Habes quod non amisisti. Atqui non amisisti alas. Ergo habes alas. Paradoxum,* cum inducitur ad aliquid contra communem opinionem audientium. *Soloecismus,* ut in exemplo superius allato : *Substantia affecta albedine est alba. Atqui homo est substantia affecta albedine. Ergo homo est alba. Nugatio* tandem, cum respondens inducitur ad rei inutilis repetitionem, ut inde ridiculus deprehendatur.

QUÆSTIO SEGUNDA.

De Inductione.

Argumentatio syllogismum complectitur et inductionem. Unde expletis omnibus quæ ad syllogismum referuntur, obvius est. ad inductionem processus (1).

ARTICULUS UNICUS

DE INDUCTIONE

1. — Inductio fit per ascensum et per descensum. Inductio definitur ex Aristotele : *A singularibus sufficienter enumeratis ad universale progressio.* Ut si dicas : *iste ignis calefacit, et ille, et ille, etc., etc. Ergo omnis ignis calefacit.* Et, quia oppositorum eadem est ratio, sub hac definitione inductionis, quæ est per ascensum, intelligitur oppositum ejus quod est

(1) **Consuti possunt** Aristóteles, **II.** *Post. Anal,* **c. xv ; D.** Thomas, **in** *Post. Anal.,* **lect. XXX; J**oannes **aS.** Thoma, *Logic, et Cursus theologicus,* **de Virtut. theol. disp. XVI, art. 2** : *De modo quo acquiritur habitus principionm;* Baco, *Novum organum ;* **J.** De Maistre, *Examende laphiloso phie de* **Bacon; J**anet, *Les causes finales,* **et** *Logique,* **c. vu;** Lachelier *Du fondement de l'induction;* Mercier, *Logique;* Fonsegrive, *François Bacon;* Folghera, *Revue, Thomiste* **tom. VIII, p. 310, p. 678; etc.**

descensus, id est ab universali ad singularia progressio. **Inductio** ergo fieri potest per ascensum et per descensum, et utroque casu quadruplex est modus : ascensus et descensus *copulativus,* ascensus et descensus *copulatus ;* ascensus et descensus *disjunctivus,* ascensus et descensus *disjunctus* (1).

Inductio quantum ad ascensum ordinatur ad inveniendas et probandas veritates universales, ut universales sunt. Nec enim potest probari aliquid universaliter esse tale, nisi quia ejus singularia sunt talia. Corpus A est grave, corpus B est grave, et corpus C et corpus D, etc. Hinc eruitur hanc veritatem universalem : *Omne corpus est grave,* esse probatam per ascensum. Descensus autem ab universali ad singularia præcipue ordinatur ad demonstrandam falsitatem universalis, ut est universalis. *Omnis homo est albus.* Falsitatem illius universalis optime evinco descendendo ad singulos homines, singulos Europeos, singulos Afros, singulos Æthiopes, et ostendendo aliquem ex hominibus non esse album.

Si veritas universalis sit jam per ascensum inventa, etiam utilis erit descensus ad probandum universale de facto singularibus sub ipso contentis respondere. Inveni per ascensum hanc universalem : *omnis homo moritur;* nunc descensu ostendo universale illud respondere et Petro, et Paulo, et cæteris singularibus sub homine contentis. Duplex igitur est munus inductionis. Praecipuum quidem est reducere ad sensum probationem universalis a singularibus ascendendo; attamen munus per descensum non est totaliter sub silentio prætereundum, ut fit apud quosdam Logicos.

II. — Comparatur inductio cum syllogismo. Inductio, sicut syllogismus, est vera ratiocinii species : in utraque veritas ignota ex verilate prius nota eruitur. Quare ad inductionem argumentalivam non sufficit quilibet transitus de singulari ad universale : sic actus quo mens ex singularibus abstrahit universalis ideam, vel quo ex singulari propositione ad universalem devenit, non sunt .inductiones proprie dictæ. Sed oportet ut diversus sit motus quo mens fertur in singularia a motu

(1) Cf. Log. Min. Tract, I. q. П, art. 2, ŋ. S.

quo in universale deducitur, et ut ex singularibus prius cognitis ad universale deveniat. Primo itaque intellectus fertur in singularia et, secundo, per singularia in universale tanquam in causatum per suam causam. Intellige causam non in essendo, sed in cognoscendo.

In syllogismo et inductione adsunt tres termini, tria judicia, tres propositiones, saltem implicite.

Diflerentiæ. Syllogismus procedil a majori universali ad minus universale vi principii : *dicium de omni, dicium de nullo;* inductio procedit de singularibus ad universale. Vel si quando ab universali descendit ad singularia, id non præstal vi principii : *dictum de omni, dictum de nullo* (non enim intendit probare subjectum particulare ex eo quod continetur sub universaliori habere prædicata hujus universalioris), sed hoc ideo facit ut per substitutionem individuorum universali, .appareat falsitas hujus universalis, ut universale est; vel etiam ut ostendatur per hanc successivam singularium substitutionem universale de facto singularibus respondere et adæquari. Syllogismus descendendo probat veritatem vel falsitatem particularis ex universali ; inductio probat veritatem vel falsitatem universalis ex singularibus, et hoc facit tum ascendendo tum descendendo.

Per syllogismum videmus minus extremum in majori extremo, per inductionem majus in minori ; per syllogismum partes in toto, phaenomena in legibus, effectus in causis ; per inductionem totum in partibus, leges iu phaenomenis, causas in effectibus. Syllogismus utitur termino medio ad probandum extrema uniri inter se ; inductio vero non assumit medium uniens extrema, ad ostendendum extrema uniri inter se, sed probat aliquod extremum, seu prædicatum, convenire alicui subjecto communi, quia convenit singularibus ; aut singularibus convenire quia communi convenit.

Singularia itaque funguntur officio medii, et hoc medium bis subjicitur, in majori nempe et in minori. Inductio ergo similitudinem quamdam refert cum syllogismo tertis figurae, in qua medium subjicitur in utraque prsmissa; sed in syllogismo tertis figurae conclusio est particularis, in inductione vero conclusio est universalis.

Exemplo apparebit dispositio terminorum in syllogismo et in inductione.

Syllogismus : *Omne vivens se movet ab intrinseco.*
Sed homo, brutum, planta sunt viventia.
Ergo homo, brutum, planta se movent ab intrinseco.

Inductio : *Homo, brutum, planta se movent ab intrinseco.*
Sed homo, brutum, planta sunt omnia viventia.
Ergo omne vivens se movet ab intrinseco.

III. — Inductionis divisio. Dividitur inductio :

I0 In *moralem* et *physicam. Moralis* habetur, cum ex multis factis observatis in humanis moribus infertur aliquid communiter inter homines contingere. *Græci, Romani, Ægyptii, destituti revelatione non potuerunt servare legem naturalem. Ergo homo revelatione destitutus legem naturalem nequii servare. Physica* est argumentatio qua ex multis factis quæ in natura contingere solent, existere legem naturæ universalem concluditur. Hac maxime utuntur rerum physicarum periti.

Non datur proprie inductio mathematica aut metaphysics, nam hujusmodi veritates potius ahstractione quam inductione comparantur.

Quomodo autem procedat inductio physica, pronum est exponere ex Aristotele et D. Thoma. Ex cognitione accepta per sensus externos fit memoria; ex memoria multoties factà circa eamdem rem, in diversis tamen singularibus, fit experimentum, « puta cum aliquis recordatur quod talis herba multoties sanavit a febre, dicitur esse experimentum quod talis sit sanativa febris (1) ». *Experimentum* et *observatio* promiscue sæpe usurpantur; sensu tamen stricto experimentum designat cognitionem acquisitam ex factis quæ per nostram industriam obtinemus, ut sunt multa facta physica et chimica ; observatio vero cognitionem acquisitam ex factis quæ ultro se nobis exhibent, ut facta astronomica, geologica, etc.

Ex multis experimentis fit scientia. Ratio enim non sistit in experimento particularium, sed ex multis particularibus quæ experta est accipit unum commune quod fit principium artis

(1) II Post. *Anal.*, v. cap. X

et scientiae. Quanquam ergo inductio ex particularibus procedat, debet tandem accipere aliquod principium commune quod ex diversis particularibus factis colligitur. Quando autem aliquod factum constanter verificalur in tali et tali circumstantia, potest ex hoc ad legem generalem concludi.

2° Dividitur in inductionem *completam* et *incompletam.* Completa est quæ constat antecedente omnia singularia actu enumerante ; incompleta quæ constat antecedente enumerante actu quædam singularia, caetera vero solum aliqua clausula communi. Incompleta subdividitur in *sufficientem* et *insufficientem.* Sufficiens est in qua, licet omnia individua non sint enumerata, nihilominus tot singularia sunt explorata ut essentia eorurn cognoscatur ; et, quia essentia in omnibus eadem est, de omnibus tuto idem inferri potest. Hujusmodi sunt inductiones quibus concluditur omnia corpora in vacuo pari impetu ferri deorsum, omnia corpora esse impenetrabilia, etc.

Insufficiens est in qua non tot individua explorata sunt ut essentia cognoscatur. Unde hic non fit demonstratio apodictica, sed argumentatio probabilis, a simili ad simile. Hæc vocatur analogia et nititur his principiis : *Quod in uno similium valet, valet m cæleris ; quod in uno eorum non valet, nec in cæieris.*

IV. — De vi inductionis. Multi post Baconem a Verulamio in tantum extollunt vim inductionis probativam, ut putent ipsam plene sibi sufficere, ac syllogismum penitus exsulare. Fuerunt forte quidam scholastici qui inductionis utilitatem non satis agnoverint. Nos vero media via incedentes, tenemus inductionem necessariam esse ad acquirenda syllogismi principia, et aliunde ipsam inductionem indigere aliquo principio universali, ut probare valeat.

V. — Conclusio : Inductio est conditio necessaria ad scientiam acquirendam, sed non est ratio formalis assentiendi principio universali ; nec secundum se est discursus necessarius et infallibilis, nisi ipsi adjungatur aliquis locus probandi, seu aliquod principium universale quo reddatur efficax ipsius probatio.

Prob. Ia pars. Scientia est de universalibus. Sed inductio

paral viam ad universale acquirendum ex sufficienti singularium enumeratione ; et insuper ex singularibus probat veritatem universalis ut universale est, per ascensum vel per descensum, ut prius explicatum est. Ergo inductio est conditio necessaria ad scientiam acquirendam. Cæterum, modus cognitionis nostræ est ut intelligibilia ex sensibilibus ct universalia ex particularibus colligantur. Unde Aristoteles dicit inductionem esse *id ex quo generatur cognitio principiorum, quantum ad aliquem modum,* seu conditionem requisitam.

Declaratur IIa pars, nempe certitudinem principii universalis ita cogniti non inniti inductione tanquam ratione formali.

Quum enim agitur de primis principiis universalibus, ratio assentiendi veritati est ipsa connexio terminorum ad invicem. Cum dico : *totum est majus sua parte,* certitudo mei assensus non experientia et inductione ul ratione formali nititur ; sed ex habitudine terminorum totius et partis generatur.

Experimentum quidem et inductio, præsertim circa principia non nota quoad nos, maxime juvant ad assensum eliciendum, quia terminorum manifestationem præstant ; ipsa autem ratio formalis assensus est habitudo terminorum inter se. Hæc spectant inductionem communiter sumptam.

Nunc probatur IHft pars in qua agitur de inductione proprie argumentativa. Ut conclusio inductionis sit certa, enumeranda sunt vel omnia singularia vel ita sufficienter ut recte ponatur particula : *Et sic de cæteris.* Sed prima hypothesis non est communiter possibilis ; quis enim experiri potest omnia singularia, quæ sunt quasi infinita ? — Altera vero hypothesis non valet nisi addatur aliquod principium universale. Si enim cætera sunt inexperto, respectu illorum inevidens e, incerta est inductio. Non potest ergo dici : *Et sic de cæteris* nisi violata regula : *Conclusio non debet esse latior quam præmissæ.* Ergo inductio non probat necessario et infallibiliter, nisi addatur aliquod principium universale.

VI — Quodnam vero eit hujusmodi principium ? Alii aliud assignant. Quidam id ponunt : *Quod dicitur et negatur de singulis individuis speciei vel generis dici et negari debet de tota specie vel de toto generé.* Sed ab ipsis quaerimus : quando

non sunt enumerata omnia singularia, ut communius contingit, quonam fundamento dici potest de cæteris non expertis et de toto, id quod dicitur de quibusdam individuis? Huic ergo principio aliud præsupponitur.

Principia communiter assignata reduci possunt ad istud effatum 1). Thomæ et Scholasticorum : *Natura determinatur ad unum, uno eodemque modo operatur nisi impediatur, eadem est in singulis.*

Hoc principio admisso efficax redditur inductio. Sic enim procedi potest : Sufficiens est observatio singularium ut ad eorum essentiam tuto concludit possit. Atqui essentia est ad unum determinata, eadem in omnibus. Ergo, observatis quibusdam phaenomenis ad essentiam singularium pertinentibus, recte inferri potest : *et sic de cæteris.*

Quo jam habito, recte subdi potest : Quod dicitur de omnibus individuis speciei vel generis de tota specie vel genere dici potest et debet.

VII. — Qua vero ratione concludi possit aliquid ad essentiam singularium pertinere. Hic est processus : quod uniformiter et constanter et invariabiliter invenitur in mullis, ad naturam eorum pertinet ; omnis quippe effectus habet proportionatam causam : effectui invariabili debet invariabilis respondere causa, id est natura. Atqui id quod observatum est in multis quorum habita est experientia invenitur in ipsis constanter, uniformiter, invariabiliter. Ergo id ad eorum essentiam, seu naturam, pertinet.

Tgitur tota vis inductionis hoc polysyllogismo exprimi potest : Quod est constans et uniforme pertinet ad naturam. Effectus observatus in multis est constans et uniformis in ipsis. Ergo pertinet ad eorum naturam. Sed quod pertinet ad naturam invenitur in omnibus habentibus hanc naturam. Ergo effectus hujusmodi invenitur in omnibus quibus inest natura, et idcirco dici potest de cæteris omnibus, de ipso toto genere et de tota specie.

Principium itaque proximum inductionis est : *Natura determinatur ad unum, est una et eadem in omnibus,* a quo non pifferi quoad sensum, istud : *Leges naturæ sunt constantes,*

inuariabiles. Nititur tamen alio remoto : *Nihil fit sine causa* (1).

VIII. — An reduci possit inductio ad syllogismum ?

Fuerunt ante Wolfium Logici qui asseruerint inductionem ad syllogismum revocandam esse, seu esse enthymema in quo omissa est minor. Wolfiani autem communiter censent esse enthymema in quo omissa est major. Ita etiam opinantur Rosmini, Jules Simon (2). Alii, ut Tongiorgi (3), Barthélemy Saint-Hilaire (4), reducunt inductionem ad syllogismum tertiae figurae. Sed inductionem esse speciem argumentationis irreductibilem apparet ex tribus : I0 Modus procedendi est diversus in inductione et in syllogismo ut jam ostendimus nq II. 2° Principium est diversum, nam principium syllogismi est *dictum* de omni, principium autem inductionis est : *natura determinatur ad unum.* 3° Dispositio terminorum non est eadem, ut constat ex n° II. Nec etiam dicatur esse syllogismum tertiæ figuræ : nam in illo medium est universale et conclusio particularis, in inductione vero medium sunt singularia et conclusio est generalis.

(1) Principium inductionis non fuit inventum a Schola Scotica, cujue nomine dicit Royer-Collard : « Le principe de l'induclion repose sur deux jugements : L'univers est gouverné par des lois stables, voilà le premier; l'univers est gouverné par des lois générales, voilà le second.» Nec etiam a Gravesande : « L'analogie a pour fondement ce principe extrêmement simple : que l'univers est gouverné par des lois générales et constantes ». Nam ante ipsos Peripatetici et Scholastici frequentissime principium usurpabant : *Natura determinatur ad unum eodemque semper modo operatur.* **Quam doctrinam optime expressit Bossuetius : « Mais, dira-t-ou, avez-vous vu tous les particuliers pour en tirer cette conséquence ? Non, sans doute. Aussi n'est-il pas nécessaire ; il suffit que ni moi ni aucun autre que faie vu, ni qui que ce soit au monde, n'ait jamais ni vu ni oui dire qu'on ait vu des hommes faits autrement. Comme donc** *on sait d'ailleurs que la nature va toujours un même train* **je suis assuré par l'induction que non seulement tous les hommes qui Sont aujourd'hui sont capables de rire, mais que jamais il n'y en a eu et n'y en aura d'une autre façon. »** *Logique,* **liv. III, c. xxi.**

(2) *Manuel de Phil.,* **c.** vj.

(3) *Log.,* **lib. J, c. .v.**

(4) *Logique d'Aristote,* **1.1, prét.**

Contendunt Wolfiani inductionem fieri syllogismum stricte dictum si suppleatur major omissa, quæ juxta ipsos est hoc principium : *Quidquid competit singulis individuis inferioribus competit superiori.* At etiam posito hoc principio ut majori non fit syllogismus, ut statim exemplo deprehenditur : *Quidquid competit singulis inferioribus competit superiori. Atqui homo, brutum, planta se movent ab intrinseco. Ergo omne vivens, se movet ab intrinseco.* Subjectum conclusionis non fuit comparatum cum medio in praemissis. Ergo nullus syllogismus.

Aliquo tamen sensu concedi potosí inductionem et syllogismum esse processus ad invicem reductibiles, inquantum ex una parte indiget syllogismus inductione ad acquirenda principia prima, et ex altera parte accipit inductio a syllogismo principium universale quo efficax redditur ejus probatio, ut ostensum est, n° V.

Quoad structuram ergo et formam, syllogismus et inductio sunt proprii juris et ab invicem independentos ; quoad vim probandi et propria principia, se mutuo expostulant : syllogismus requirit inductionem ut principia universalia comparentur, et inductio, ut firmum habeat principium, indiget syllogismo.

IX. — Leges inductionis. Ex prædictis erui possunt. Prima. Si non possunt enumerari omnia individua, tot tamen enumeranda sunt ut possit addi : *Et sic de cæteris.*

Secunda. Tunc vero dici potest : *Et sic de cæteris,* quum ex multis expertis concludi potest ad essentiam singularium.

Tertia. Aliquid autem ad essentiam singularium pertinere censetur, quum ipsis inest constanter et uniformiter : siquidem effectus uniformis causam uniformem et constantem postulat, quæ est natura.

Quarta. Ut demum constet aliquid uniformiter et constanter inesse pluribus, varianda sunt experimenta vel observationes, et inspiciendum est an etiam mutatis adjunctis idem producatur effectus. Si vero non liquet effectum esse constantem et uniformem inductio nonnisi probabilitatem generat. Vide dicta de hypothesi.

X. — Usus inductionis. Maxima fuit inductionis fortuna e Baconis tempore. Mos est apud philosophos Scholasticae osores conclamare inductionis vim a Scholasticis ignoratam penitus fuisse, ipsumque Aristotelem nihil in inductione considerasse nisi partium enumerationem ; ac demum solam legitimam esse inductionem baconianam, cujus est principium : *Non debet affirmari aliquid de aliquo nisi postquam illud negatum fuerit de omnibus quibus non convenit.*

Sed respondemus : I0 Apud Peripateticos et Scholasticos frequentissimum est ascendere de singularibus ad universalia; imo ipsi asserunt inductionem scientiæ comparandae ceu conditionem presupponi. Famosa fuit inductio socratica, quæ per successivas quaestiones et responsiones progrediebatur ad universalia principia.

2° Aristoteles et Scholastici non solam enumerationem partium considerant, sed ipsum principium statuunt a quo vis inductionis pendet. Hoc principium ex Aristotele et D. Thoma deprompsimus : *Natura determinatur ad unum.*

3° Ipsum processum me'hodo proprium assignant. « Ex sensu quidem fit memoria, ait Aristoteles ; ex memoria autem multoties ejusdem facta, experimentum. *Mullae* enim memorias numero experimentum est unum. Ex experimento autem, aut ex omni quiescente universali in anima, uno preter mulla, quod cum in omnibus unum sit et idem, illud est artis principium et scientiæ » (i).

Eumdem processum exponit Angelicus : « Diu medicus consideravit hanc herbam sanasse Socratem febrientem et Platonem et multos alios singulares homines ; est experimentum. Cum autem sua consideratio ad hoc ascendit quod talis species herbae sanat febrientem simpliciter, hoc accipitur ut quædam regula artis medicinæ » (2).

Similia tradit Scotus : « De cognitis per experientiam dico, quod licet experientia non habeatur de omnibus singularibus, sed de pluribus, nec quod semper, sed quod pluries, tamen expertus infallibiliter novit quod ita est et quod semper et in

(1) II *Post. Anal.,* **cap. xv.**
(2) Iu *Post. Anal.,* **lect. XX.**

omnibus ; et hoc per istam propositionem quiescentem in anima : Quidquid evenit ut in pluribus ab aliqua causa non libera est effectus naturalis illius causæ. Quod autem iste effectus evenit a tali causa producente ut in pluribus, hoc acceptum est per experientiam ; quia inveniendo nunc talem naturam cum tali accidente, nunc cum tali, inventum est quod, quantumcumque esset diversitas accidentium talium, semper istam naturam sequebatur talis effectus. Ergo non per aliquod accidens, per accidens illius naturæ, sed per naturam ipsam in se consequitur talis effectus » (i).

4° Inductio tamen, prout scientiis physicis applicatur, plenius fuit a modernis intellecta. Methodus experimentalis quæ hodie mirifica operatur possibilis non fuit veteribus, deficientibus investigalionis mediis. « Il ne faut pas revendiquer pour ces loyaux penseurs un privilège qu'ils eussent été les premiers à répudier, celui de créer de toutes pièces des sciences qui ne peuvent se développer qu'au fur et à mesure de la découverte de moyens nouveaux d'investigation » (2).

5° Principium baconianum reddit inductionem impossibilem. Experiri quis poterit omnia singularia? Si ergo nihil affirmari potest de aliquo nisi negatum fuerit de omnibus quibus non convenit, semper aut fere semper inductio conclusione carebit.

Vera igitur inductio est inductio positiva quæ nititur principio universali et abstracto a quo redditur firma et infallibilis, sicut exposuimus.

XI. — An perfectior sit inductio syllogismo.

Inductio in nonnullis syllogismum superat. Primo quidem est inductio prior ordine inventionis, nam est via ad aequi renda principia universalia, quibus utiturs yllogismus. Secundo, est facilior, manifestior respectu nostri, nam procedit ex singularibus et sensibilibus, quæ sunt nobis notiora.

Simpliciter vero et secundum se perfectior et effîcacior est syllogismus, quippe qui procedit ab iis quæ sunt priora et no-

(1) Scotus, **in I,** *Sent.* **dist. 3, q. IV, 9.**
(2) **D.** Mercier, *Logique,* **p. 232.**

tiora secundum se, scilicet ab universalibus ad particularia, a principiis ad effectus, a legibus ad phæuornena. Insuper inductio pendet a syllogismo, a quo accipit principium universale, quod etiam in scientiis inductivis concurrat oportet.

Animadvertatur tamen inductionem et syllogismum, uLjain pluries monuimus, non esse duos processus separabiles et adaequate independentes, sed ab invicem aliquatenus dependere et se mutuo juvare ; nam inductio inservit ad acquire- da syllogismi principia, et syllogismus praebet inductioni princ ipium generale quo efficax redditur processus inductivos. Ex inductione ergo et syllogismo constituitur unum et integrum scientis instrumentum.

XII. — De quatuor inductionis methodis quæ a recentioribus proferuntur. Stuart Mill quatuor statuit inductionis methodos : *concordanti», differenti», variationum concomi tantium, residuorum.*

Methodus *concordanti»* hoc canone regitur : Si omnes casus alicujus phaenomeni eamdem communem circumstantiam semper et ubique præ se ferunt, hæc circumstantia haberi potest ceu propria phaenomeni causa. Cum enim nihil fiat sine causa, conjunctio constans hujus circumstantiae (aliis exclusis) cum tali phænomeno, arguit habitudinem causalitatis.

Methodus *differenti»* est præcedentis methodi contraprobatio. Si suppressa circumstantia illa communi, supprimitur phaenomenon, liquet circumstantiam illam esse propriam phaenomeni causam.

Methodus *variationum concomitantium* in hoc consistit quod varietur causa, seu circumstantia quæ supponitur causa; si autem varietur phænomenon in eadem proportione, indicium est circumstantiam illam esse veram phaenomeni causam (1).

(i) « Un exemple remarquable et lumineux de l'application des trois méthodes nous est fourni par les expériences célèbres de Pasteur sur la génération spontanée. Supposons que l'on parle de cette hypothèse que la production prétendue spontanée d'organismes vivants ait pour cause la présence de germes en suspension dans l'air, qui vieunen t&

Methodus *residuorum* hæc est : Si ab aliquo phænomeno subtrahitur quidquid vi praecedentium inductionum attribuendum est causis jam cognitis, id quod residuum est effectus erit antecedentium quæ fuerant neglecta et quorum effectus erat quantitas incognita. Hæc regula, quæ ex se liquet, non est nisi particularis determinatio methodi differendae, nec est distincta methodus.

Tres priores methodi fuerant jam a Bacone invectae sub nomine tabularum. Methodus concordantiæ respondet tabulis præsentiæ, methodus autem differentiae respondet tabulis absentiae, methodus demum variationum concomitantium respondet tabulis graduum, seu comparationis.

Cæterum, illæ regulæ non fuerunt Veteribus ignotæ, qui illas simplicius proponebant : *Posita causa ponitur effectus. — Sublata causa tollitur effectus. — Variata causa variatur effectus.*

rencontrer dans un liquide fermentescible un milieu favorable à leur éclosion. Que fera-t-on pour justifier l'hypothèse?

Io On exposera à l'air libre des vases remplis de liquides fermentescibles, et on prouvera que partout 0*< des germes supposés auront pu tomber sur ces liquides, les productions dites spontanées auront lieu : *méthode de concordance.*

2° On pratiquera la contre-épreuve, en soustrayant au contraire ces liquides à Faction de l'air extérieur et en prouvant que des vases fermés où Fair ne peut pénétrer, restent indéfiniment exempts de tout organisme : *méthode de différence.*

3° On montrera que le nombre des organismes produits est proportionnel au nombre de germes que l'ôn peut supposer dans Pair. Par exemple, dans les caves, où Fuir est immobile et où les germes doivent être depuis longtemps tombés sur le sol, on pourra exposer des vases ouverts à l'air libre sans que les organismes se produisent, et si l'on gravit les montagnes, où les germes doivent devenir de moins en moins fréquents à proportion de la hauteur, le nombre des organismes doit décroître proportionnellement; or, tous ces faits se sont vérifiés. C'est la *méthode des variations concomitantes.* **» P.** Janet, *Philos.*, **n° 400.**

QUÆSTIO TERTIA

De scientia.

Solutis quæstionibus de syllogismo et inductione, subsequitur consideratio de scientia, quæ ex illis comparatur. De scientia porro multa utiliter versantur, circa ejus notionem, objectum, partitionem, etc. Et, quia quæstiones de scientia ad Logicum maxime spectant, est clare et accurate expendenda (I).

ARTICULOS PRIMOS

VERA SCIENTIÆ NOTIO

I. — Multiplex vocabuli acceptio. Nomen scientiae quadra*· plici sensu potest sumi. Primo, designat omnem cognitionem, quæcumque sit sive certa sive incerta, sive evidens sive fidei. Secundo, cognitionem certam et evidentem, mediatam vel immediatam ; quo sensu cognitio primorum principiorum di-

ti) Consuli possunt auctores prias citati *De demonstratione* **(q. I, art. 1), et insuper** Bago, *De augmentis scientiarum ;* Auvèhe, *Essai sur la philosophie des sciences ;* Spencer, *Classification des sciences ;* Elie Blanc, *Traité de philosophie, scolastique., Logique* ; **etc.**

cilur scientia. Proprie vero importat cognitionem mediatam quæ per demonstrationem generatur. Et in hac acceptione dupliciter etiam usurpatur : primo, pro scientia *actuali,* \A est pro actu quo rem cognoscimus per suas causas, seu pro assensu scientifico, qui producitur a demonstratione ; secundo, pro scientia *habituali* quæ ex tali actu, et tali assensu generatur. Scientiam hanc habitualem esse intellectui necessariam manifestum est. Cum intellectus sit potentia indeterminata ad assensus plurium et diversarum conclusionum, et ad plures et diversos modos assentiendi eidem conclusioni, necesse est dari qualitates quasdam ratione quarum intellectus quasi per modum naturalis dispositionis determinetur ad assentiendum uni potius quam alteri conclusioni, tali et non alio modo. Sed hujusmodi qualitas inclinans ad determinatum assensum dicitur habitus. Ergo necesse est existere habitum scientificum, seu scientiam habitualem.

II. — Scientîœ definitio. Scientia, nipote effectus demonstrationis, sufficienter jam innotescit ex his quæ de demonstratione disseruimus ; definiri convenienter posset : *Habitus qui versatur circa conclusionem notam ex propositionibus universalibus, necessariis, primis, etc.* Diximus circa *conclusionem.* Scientia enim efficitur a demonstratione ; sed quod efficitur a demonstratione est sola conclusio ; nam principia, seu praemissas, demonstratio supponit, non facit. Habitus autem qui versatur circa principia est intellectus. Hinc effatum. *Intellectus est principiorum, scientia conclusionum.*

Jam vero demonstratio procedit a *primis, necessariis,* etc., ut explicatum est (q. 1). Recte ergo scientia dicitur versari circa conclusionem notam ex *propositionibus universalibus, necessariis,*

III. — Accuratior definitio. Sed-rem accuratius rimari et explicare oportet. Definitur ergo scientia : *Cognitio certa et evidens entis per se, enlis necessarii, entis universalis, per suas causas.*

Dicitur I0 *Cognitio certa et evidens* ut distinguatur ab opi-

nione quæ est assensus incertus, et a tide quæ est assensus inevidens. De his jam habitus est sermo (1).

2° *Entis per se.* Scientia est proprie de ente. Sed ens per accidens est magis non ens, vel ens solo nomine. Ergo scientia non est de ente per accidens. Prob. min. Unumquodque dicitur ens secundum rem quatenus est unum. Sed ens per accidens, eo ipso quod supponatur per accidens, non est per se nec proprie unum. Ergo non est proprie ens, sed solum nomine. Insuper, scientia est de eo quod est semper vel saltem ut plurimum, ut mox constabit. Sed ens per accidens neque est semper, neque ut plurimum, süquidem definitur: *Defectus ejus quod est in pluribus.* Ergo de ente per accidens non est scientia.

Entis necessarii. Ad firmitatem assensus scientifici requiritur ut cognoscamus rem non posse afiler se habere. Recolantur quæ dicta sunt do natura certitudinis (2). Atqui intellectui non constat contingentia non aliter se habere ; tunc enim solum potest de illis certitudo haberi cum cadunt sub sensu; sed quando desinunt videri, seu sentiri, tunc latet utrum sint necne, utrum possint aliter se habere necne. Ergo scientia non est de contingentibus, sed de necessariis.

4° *Entis universalis.* Singularia quippe non sunt necessaria ; possunt aliter se habere, cum sint corruptibilia, mutabilia, defectibilia.

S° *Est cognitio per causas.* Scire enim est perfecte cognoscere veritatem rei et principium veritatis rei. Sed, cum ens et verum convertantur, id quod est principium *esse* rei est etiam principium *veritatis* rei. Ergo cognoscere perfecte veritatem et principium veritatis rei est cognoscere principium *esse rei.* Sed principium esse rei est causa. Ergo scire est cognoscere causam. Verbo : scire est cognoscere rem ut est. Atqui res est per causam. Ergo scire est cognoscere rem per causam.

Insuper, cognitio non est perfecta nec scientiæ nomen meretur nisi intellectum plene satiet et quietet. Sed intellectus remanet inquietus et curiosus quamdiu videns effectum igno-

(1) Tract. II. Q. Ill, art. 6. η. 6.
(2) Tract. II. Q. I, art. 1. η. H.

rat causain. Ergi» scientia debet esse cognitio per causam.

Age vero. Qui cognoscit causam tantum in abstracto, non scit effectum in actu, sed solum in virtute. Atqui scire perfecte et simpliciter effectum est illum cognoscere in actu. Ergo oportet scientem, ut simpliciter sciat, cognoscere etiam *applicationem* causæ ad effectum, seu dependentiam effectus a tali causa. Tandem, ut habeatur cognitio rerum certa et immutabilis oportet cognoscere rem propter hanc causam non posse aliter se habere.

Hæc omnia expressit Aristoteles in sua definitione: *Scire est cognoscere rem per causam propter quam res es/, et quod ejus est causa, ei non contingit aliter se habere* (1). Tria ergo requirit Philosophus : I0 ut cognoscatur causa ; 2° causa in ratione causæ, ideoque dependentia offectus a causa ; 3° ut cognoscatur effectum propter hanc causam non posse alitor esse.

IV. — Quaeritur utrum scientia debeat esse per causas intrinsecas, an sufficiat cognitio per causas extrínsecas

Distinguendum est. Logicus potest quærero scientiam per causas extrínsecas, metaphysicus præsertim per causas internas. Cum enim objectum Logicæ sit ens rationis, logicus non quærit rei existentiam sed modum prædicandi ; potest ergo procedere ex omnibus quae pertinent ad modum praedicandi, sive intrinseca sive extrínseca sint. Metaphysicus autem investigat praecipue *esse,* seu existentiam rerum. Sed finis et agens, cum sint extrínseca, non comprehenduntur sub ipso *esse* rei. Ergo metaphysicus non procedit praecipue per causas finalem et agentem, sed per causas intrinsecas, licet causas agentem et finalem etiam attendat.

V. — Quaeritur an cognitio per causas in cognoscendo mereatur scientiæ nomen.

Rcsp. hic valere quæ de demonstratione diximus. Demonstratio *propter quid* est perfectissima cognitio ; demonstratio vero *quia,* licet imperfecta, est tamen proprie et univoce demonstratio ; ita cognitio per causas in essendo est scientia supereminens, cognitio autem per causas in cognoscendo, licet minus perfecta, est tamen proprie et univoce scientia.

(1) I *Post. Anal.* **cap. IL**

Probatur. Parilur vera scientia, quum intellectus redditur certus et quietus vi demonstrationis. Atqui demonstratio per causae in cognoscendo reddit intellectum certum et quietum. Ergo potest haberi vera scientia per causas in cognoscendo.

Probatur minor. Demonstratio per causas in cognoscendo nititur connexione necessaria et infallibili quæ effectum inter et causam viget. Sed assensus qui nititur connexione necessaria et infallibili, est ipse infallibilis, certus, quietus. Ergo.

Fatendum est tamen intellectum non ita plene quietaci sicut quum videt causam qua res est ; et idcirco cognitioni per causas in essendo competere perfecte rationem scientiæ.

VI. — Scientia et cæteri habitus intellectuales. Natura scientiæ plenissime innotescet ex comparatione cum cæteris habitibus intellectualibus. Quinque præcipui enumerantur: *ars, prudentia, intellectus, scientia, sapientia.* Omnes id commune habent quod sint virtutes intellectuales. De ratione enim omnis virtutis est facere subjectum bonum, seu perfectum. Jam vero perfectio intellectus est verum. Igitur omnis virtus intellectualis debet recto disponere intellectum circa verum. Sed tunc solum habetur recta dispositio intellectus, quum procedit cum firmitate et certitudine ; si enim non est firmatus invero, sed potest deficere, dicitur et est defcctuosus. Ergo omnis virtus intellectualis est habitus certus circa veritatem. Duæ porro ex his virtutibus versantur circa verum *pradicum, ars* scilicet et *prudentia,* tres autem circa verum *speculativum, scilicet intellectus, scientia* et *sapientia.*

VII. — Quomodo scientia differat ab arte, a prudentia et ab Intellectu. Ars est recta ratio *fadibilium,* quæ secundum se sunt singularia et in tali materia fiunt ; scientia autem versatur circa universalia ; insuper, ars potest niti auctoritate extrínseca ; a ratione autem scientiæ excluditur cognitio motivo extrínseco innixa — Prudentia etiam versatur circa practica et, singularia, scilicet actiones humanas, *seu agibilia,* prout conducunt ad finem ultimum vel ab eo retrahunt. Manifeste ergo differt a scientia, quæ circa universalia occupatur.

Distinctio scientiæ ab intellectu jam explicata est. Intellectus est de veritatibus per se notis, absque medio ; scientia est de veritatibus non per se notis, sed per aliquod medium notificandis.

Vili. — De differentia inter sapientiam et scientiam. Hæc notat D. Thomas (1). « Sapientia non dividitur contra scientiam sicut oppositum contra oppositum, sed quia se habet ex additione ad scientiam. Est enim sapientia, ut dicit Philosophus, caput omnium scientiarum, regulans omnes alias in quantum de altissimis principiis est. »

Sapientia igitur includit scientiam eique plura addit. Hœ sunt differentiæ inter utrumque habitum. Prima: scientia procedit per quascumque causas, et requirit solum demonstrationem *quia* ; sapientia vero procedit per causas altissimas, et exigit demonstrationem *propier quid.*

Secunda : scientia versatur tantum circa conclusiones, sapientia occupatur quidem circa conclusiones, nam est habitus illativus, ex principiis procedens ad illationem; sed insuper versatur circa principia ; ascendit usque ad primum principium quod est radix et caput aliorum, explicat et defendit' principia tum sua,tum aliarum scientiarum. Si quis enim hæc principia impugnet, sapientia illa omnia defendet objectionesque propellet, sive declarando rationes terminorum, sive ostendendo ordinem, connexionem, dependentiam quæ est inter ista principia ; ac tandem ascendendo usque ad primam et ultimam radicem a qua omnis veritas et omnis certitudo profluit. Proprium ergo sapientiæ est contemplari hunc mirum ordinem quo connectuntur inter se veritates et a prima veritate derivantur. Id autem non præstat scientia quæ intra ordinem conclusionum coarctatur.

IX- — Scientia non est mera collectio specierum intelligibillum, sed est qualitas primae speciei, nempe habitus.

Prob. Ia pars. Arg. Imn Species intelligibiles ad hoc requiruntur ut intellectus sit simpliciter potens et capax considerandi conclusionem ; scientia vero habitualis ad id ponitur,

(1) *Opuse.* **70, q. II, a. 2, ad. 1.**

non ut intellectus sit *simpliciter potens* et capax considerandi, sed ut consideret *faciliter, prompte ac delectabiliter.* Atqui esse simpliciter potens seu capax considerandi et considerare faciliter, prompte ac delectabiliter, diversæ suntrationis. Ergo scientia non est mera specierum intelligibilium collectio, sed specialem addit perfectionem.

Arg. II"10. Scientia generatur ex actibus intellectus considerantis conclusionem. Atqui species intelligibiles non causantur ex actibus intellectus considerantis conclusionem, sed consideratio supponit species jam productas. Ergo scientia non est collectio specierum. —Ut exponetur in Psychologie, duplex est intellectus : alter qui dicitur *agens* et qui efformat species *intelligibiles per* abstractíonem a rebus sensibilibus ; *alter qui* dicitur *passivus,* seu possibilis, ad quem peí linet intellectio et consideratio. Cum ergo species intelligibiles producantur per intellectum a/entem et scientia per intellectum possibilem, palam est scientiam non esse meram specierum collectionem. Illas quidem supponit, sed ipsis novum addit modum novamque perfectionem.

Prob. IIa pars, scilicet scientiam esse habitum. Scientia ad hoc ponitur 1° ut intellectus, qui est affectus speciebus diversarum conclusionum, determinetur ad utendum istis præ aliis, vel hoc et non alio modo ; 2° ut prompte et firmiter iis utatur; 3° ut iliis ulatur delectabiliter. Sed hæc tria competunt habitui : de ratione quippe habitus est efficere ut potentia ex se indeterminala ad plura, determinetur ad unum præ alio accipiendum ;ut agat prompte, firmiter ac delectabiliter. Ergo scientia habet ratio..mi, habitu.1.

X. — Scientia habitus simplex. Scientia designat non solum cognitionem al.< ujus particularis conclusionis, sedsæpius sumitur pro aliquo-ysternale, seu pro complexu conclusionum quæ interse in îmeconnectuntur et quæ aliæ ex aliis defluunt. Hoc modo sumpta cstne scientia qualitas simplex, an ex pluribus habitibus constituta ? — Est qualitas simplex, si omnes istæ cognitiones ad eumdem ordinem rerum pertinent. Habitus enim est unicus et simplex qui respicit eamdem rationem objecti, Sed scientia respicit suas conclusiones secundum eamdem

rationem objecti; et omnis multiplicitas scilorum est ordinata ad aliquod unum quod principaliter respicit scientia. Ergo est habitus unicus et simplex. Quod ut plene intelligatur sermo estd-eobjectoscientiæ faciendus.

XI. — Utrum scientia sit habitus corruptibilis. Recolendum est habitum quemlibet duplici modo posse corrumpi : *per se,* quando a suo contrario eliditur, *per* accidens, quando destruitur subjectum.

Licet autem habitus principiorum nullatenus possint corrumpi a suo contrario, quia circa prima principia nullus potest errare, scientia tamen corruptioni per se subjicitur. Etenim contrarium scientiæ est discursus fallax quo admittitur error. Atqui discursus fallax sæpius contingit, cum ratio circa ratiocinia sit naturaliter fallibilis. Ergo contrarium scientiæ subrepere potest in intellectu et scientiam corrumpere.

Indirecte etiam corrumpi potest per actus cessationem. Repetiti enim scientiæ actus removent contrarios actus corrumpentes. Quod si interrumpatur vel totaliter cesset scientifica, operatio, de facili subrepunt contrarie operationes quæ contrarium habitum generant.

Ratione autem subjecti non corrumpitur quoad substantiam, sed corrumpi potest secundum quid.

Scientia quippe est principaliter et formaliter in intellectu, secundum quid autem, nempe materialiter et dispositive, in viribus inferioribus quæ intellectui phantasmata ministrant. Atqui intellectus est penitus incorruptibilis, vires autem inferiores possunt aliquatenus corrumpi vel alterari. Ergo ratione subjecti scientia non corrumpitur formalitcr et quoad suisfQntiam, licet possit secundum quid corrumpi.

ARTICULUS SECUNDUS

DE SCIENTIÆ OBJECTO

I. — Objectum per se et per accidens. Objectum generatim designat id quod considerationi alicujus facultatis objicitur. Distinguitur objectum *per se* et objectum *per accidens.* Objectum *per se* est id quod propter se consideratur vel saltem connectitur natura sua et positive cum eo quod propter se attenditur. Objectum *per accidens* aliqualiter refertur ad id quod propter se attingitur, non tamen natura sua et positive cum eo connectitur. Sic *vitia* et *peccata* sunt objectum *per accidens* Moralis ; considerantur quidem a Morali, non tamen propter se, nec natura sua nexum habent positivum cum eo quod propter se quæritur a Morali.

II. — Divisio in objectum materiale et formale. Objectum *materiale* ita dicitur, quia, sicut materia indifferens est ut per diversas formas actuetur, ita objectum indifferens est ut a diversis scientiis sub diverso respectu considerari possit. Est igitur objectum materiale illud quod a scientia attingitur quidem, ea tamen ratione ut circa idem alia vel aliæ scientiæ possint versari. Sic *corpus humanum* est objectum materiale medicinæ, psychologiæ, physiologiae, etc.

Objectum *formale* est id quo objectum materiale, de se indeterminatum e* indifferens ad plura, determinatur ad eum specialem modum quo ab aliqua scientia consideratur. Duplex est : formale *quod* et formale *quo.* Formale *quod* est id quod primo et per se attendilur in objecto materiali et ratione cujus cætera attinguntur ; seu est ratio illa quam facultas in

objecto materiali directe inspicit. Sic Philosophia multa speculatur, sed id quod directe spectat et ratione cujus caetera attingit sunt *allissimæ causæ.* Theologia vero omnia considerat in ordine ad Deum, et id quod directe attendit est *Deus in ratione deitatis.* Hinc Deus in ratione deitatis est objectum formale *quod* Theologiæ — Objectum autem *formale quo* esi vel ratio propter quam res cognoscitur, quo casu dicitur objectum *propter quod,* vel ratio sub qua facultas attingit objectum suum materiale et formale *quod,* quo sensu dicitur objectum *sub quo.* Sic lux est objectum formale *sub quo* oculus attingit suum objectum materiale *corpus,* et suum objectum formale *quod, colorem.* Igitur objectum formale *quod* est quasi materiale respectu objecti formalis *sub quo.*

Hæc duplex ratio *quæ* et *sub qua* respondet duplici rationi quæ in rebus reperitur. Est enim aliqua ratio qua res constituitur in genere entis, in propria natura specifica ; et ratio qua res constituitur in genere scibilis, unde vocatur ratio scibilitatis. Ratio porro qua res ponitur in genere entis præstat objectum formale ^«o^seu rationem formalem *quam;* ratio vero qua res ponitur in genere scibilis præbet objectum *sub quo,* seu rationem *sub qua,* vel *medium quo.* Porro hæc ratio scibilitatis illustrat, illuminat veritates ; unde vocatur *lumen sub quo.* Itaque principia scientiæ quæ sunt lumen quo scientia suas conclusiones illustrat dici debent objectum formale *quo,* seu ratio *sub qua.*

HI. — Subjectum scientiæ. Non raro occurrit apud scholasticos mentio *subjecti* scientiarum, de quo plura utiliter quæruntur. Subjectum scientiæ est genus rerum circa quod versatur scientia: sic subjectum mathematicæ est corpus quantitate præditum ; apud veteres enim genus frequenter dicebatur subjectum. Jamvero in scientiis considerari potest duplex subjectum, nempe *subjectum attributionis* et *subjectum attri. butum.* Subjectum attributionis est objectum saltem genere unum quod per se et principaliter quæritur, et in ordine ad quod cætera attinguntur ; subjectum autem attributum est illud quod ab eadem quidem scientia attingitur, sed secundairo et per respectum ad subjectum attributionis. Subjectum

attributionis est in scientia sicut imperator in exercitu. « Nam, sicut imperator est unus et primus ad quem cæleri ordinate reducuntur, ait Sylvester Maurus, et esi principium totius ordinis qui est in exercitu : sic subjectum attributionis est unum et primum in scientia, ad quod cætera ordinate reducuntur et est principium totius ordinis, qui est in scientia » (1).

Quidam auctores hanc statuunt differentiam subjectum inter et objectum scientiae. Recolendum est tria in scientiis requiri praecognita : *subjectum,* de quo quaeritur scientia, *passio,* seu proprietas quam invenire desideramus, et *principia* ex quibus ostenditur proprietatem convenire subjecto. Juxta hos auctores objectum est tota conclusio constans ex subjecto et proprietate quam demonstratio probat convenire subjecto ; subjectum autem scientiæ est tantum subjectum conclusionis cui proprietatem convenire per demonstrationem ostenditur. Generatilo tamen subjectum attributionis et objectum formale *quod* promiscue usurpantur.

Bis prænotatis quæritur an scientiæ specilicentur, id est desumant suam unitatem vel diversitatem specificam, ex objecto.

IV. — Prima conclusio : Omnis scientia specificatur a suo objecto formali.

Probatur. Quod non potest definiri nisi per ordinem ad aliud specificatili' ab illo. Atqui scientia non potest definiri nisi per ordinem ad objectum. Ergo. Ratio majoris est quia species cognoscitur ex definitione. Ergo unumquodque definitur ab eo a quo specificatur. Minor vero liquet : objectum scibile cognosci quidem potest independenter ascientia, sed concipere scientiam absque objecto scibili omnino implicat. Ergo non potest definiri nisi per ordinem ad objectum scibile. Scientia quippe est ad objectum sicut motus ad terminum. Sed omnis motus definitur a suo termino. Ergo scientia definitur seu specificatur a suo objecto.

.Diximus ab *objecto formali.* Motus enim non specificatur a termino materiali ; sic lapidis casus non specificatur ex eo

(i) Nova edit. tom. I, p. ib6.

quod ejus terminus sit aqua vel tellus ut sic, sed a termino formali, scilicet ab aqua vel tellure quatenus sunt deorsum. Ergo motus scientificus non specificatur ab objecto materiali, sed ab objecto formaliter sumpto.

V. — Secunda conclusio : Specificatio provenit ab utraque ratione formali, quæ et sub qua ; sed præsertim a ratione formali sub qua.

Probaturi0 pars, sc. provenire a ratione formali *quæ*. Cum praecipuum scientiae munus sit cognoscere propriam naturam rerum, scientia sane specificatur ab eo quo res constituitur in propria natura. Atqui id quo res constituitur in propria natura est ratio formalis *quæ*. Ergo ratio formalis *quæ* specificai scientiam .

Probatur IIa pars, scilicet specificationem provenire a ratione formali *sub qua*. Ratio formalis *sub qua* constituit objectum in ratione scibilitatis. Sed ratio scibilitatis est inseparabilis a scientia, ideoque est specificaiiva scientiæ. Ergo.

ProbaturIIIa pars,nempespecificationem provenire præcipue a ratione formali *sub qua*.

Arg, lum. Ratio formalisjwôçwa se habet ad rationem formalem *quæ* sicut differentia ad genus, sicut forma ad materiam ; constat ex dictis, nam sicut objectum formale *quod* determinat objectum materiale, ita objectum *sub quo* determinat objectum *quod*. Atqui diversitas specifica rerum ex diversitate differentiarum resultat. Ergo diversitas specifica scientiarum ex diversitate rationis formalis *suj) qua* præcipue desumitur.

Arg. 11°“. Id est potius in scientia quod est potius in demonstratione : nam demonstratio est syllogismus facien® .scire, seu generans scientiam. Atqui id quod est potius in demonstratione est medium ; præmissæ enim vim causandi non habent nisi per medium, ut alibi ostensum est (i). Ergo id quod potius est in scientia, et quod itaque præcipue specificai scientiam, est medium, seu objectum formale *sub quo*.

Arg. IHum. Cum scientia; sit habitus faciens proraptitudinem et facilitatem in actu considerationis, id præcipue scientiam specificai quod præcipue respicit facilitatem actus. Sed

(1) **Q. I, art. 3, u. 4.**

facilitas in scientiis precipue oritur ex mediis et principiis : qui enixn media et principia bene noverit facile et prompte in· considerationis actu procedet. Ergo specificatio in scientiis precipue resultat ex mediis et principiis. Media autem et principia constituunt objectum formale *sub quo*. Ergo specificatio ex objecto *sub quo* precipue resultat.

Igitur, si duplex est objectum formale *quod,* duplex manifeste erit scientia ; at contingere potest ut sit unum objectum *quod,* et plures tamen inducantur scientiæ, dummodo objectum *sub quo* sit diversum.

Exemplum tritum est in Theologia. Deus sub ratione deitatis est objectum formale *quod* commune theologiæ naturalis, theologiæ viatorum, theologiæ Beatorum ;ex qua parte non diversificatur scientia, sed inducitur specificatio ex objecto formali *sub quo*. Ratio enim *sub qua* theologia Beatorum attingit Deum est lumen gloriæ, ratio *sub qua* theologia viatorum quaerit Deum est revelatio virtualis et mediata, ratio *sub qua* theologia naturalis speculatur Deum est lumen naturale intellectus.

VI. — Unitas rationis sub qua desumitur tandem ab eadem luce evidentiæ objectivæ sub qua conolusiones manifestantur. Tota evidentia et certitudo conclusionum a principiis oritur et causatur, sicut planta a semine. Ergo una erit specie evidentia conclusionum, et idcirco una erit ratio sub qua in scientia, si una specie sit evidentia principiorum a quibus derivatur conclusio : cum enim plura una et eadem luce collustrantur, necesse est illa sub eadem luce cognosci. Quare, si lux omnium principiorum sit specifice una, liquet lucem omnium conclusionum esse pariter specie unam.

Porro lux objectiva omnium principiorum est specifice una, quum principia ista propria proxime reducuntur ad unum principium illi scientiæ proprium. Eo ipso enim quod omnia principia uni principio proprio proxime conjunganturet immediate subordinentur, eumdem ab illo influxum eamdemque lucem evidentiæ participant, ac proinde sunt specie una, et ejusdem speciei erunt omnes conclusiones ab illis derivatae.

Quocirca tota specificationis scientiarum theoria in his pau-

cis constat : Scientiæ unitatem specificam desumunt polissimum ab unitate rationis formalis *sub qua.* Ratio autem *sub qua* una est specie cum specifice una est lux objectiva evidentiæ sub qua omnes conclusiones manifestantur. Una porro est lux conclusionum st una sitlux principiorum proprioruma quibus illæ derivantur. Demum una est lux principiorum, quum omnia ista principia ad unum principium proxime reducuntur, quod sit illi scientiæ proprium, et cui omnia immediate subordinentur.

ARTICULUS TERTIUS

I)β SCIENTIARUM PARTITIONE

I. — Quæstio. Explorato quid sit scientia etundenam unitatem aut multiplicitalem accipiat, rectus expostulat ordo ul doctrinam illam in concreto inspiciamus et quaeramus quot in genere sint scientiæ, quæ sit scientiarum partitio et subalternado.

II. — Conclusio : Scientiæ ex diverso abstractions amatoria gradu distinguuntur ; ac recte in quinque primarias dividuntur: Physicam scilicet, Mathematicam, Metaphysicam, Logicam et Moralem.

Notandum est abstractionem duplicem distingui : unam activam et formalem, quæ est ipsa actio intellectus rem depurantis a materia ; aliam vero passivam et radicalem, quæ est ipsa immaterialitas rei. De hac in præsenti est sermo.

Probatur conclusio. Diversitas scientiarum præcipue desumitur ex diversitate rationis formalis *sub qua.*

Atqui diversitas formalis sub qua pendet ex diverso gradu abstractions a inateria. Ergo diversitas scientiarum desumitur ex diverso gradu abstraclionis a materia.

Prob. min. Ratio formalis *sub qua* est scibilitas, seu intelligibilités rei. Sed diversitas scibililatis desumitur ex diverso gradu abstractionis, seu immaterialitatis. Objectum quippe tanto magis est intelligibile et scibile quanto magis est conforme naturæ intellectuali. Sed natura intellectus constituitur per immalerialitatem. Ergo objectum tanto magis est intelligibile et scibile quanto magis est immateriale vel a inateria abs-

tractum. « Astractio a materia, aitBannez (1), est conditio objecti scibilis ei annexa et manifestativa differentiae luminis scientifici, quod tanto perfectius erit quanto magis abstracta a materia manifestaverit. Est tamen advertendum circa hoc fundamentum, quod differentia abstraclionis fundamentum habet in ratione formali objecti *quæ,* prout res est. Ex eo enim quod res ipsa in se magis aut minus participat de materia, provenit quod intellectus circa illam versetur cum majore vel minore abstractione a materia. »

Quocirca tot suntgradus scibilitatis quot suntgradus abstractionis. Ex quo paratur via ad probandam alteram conclusionis partem.

Prob. 11® pars. Tot sunt scientiæ primariae et generales quot sunt classes generales scibilium ex diversis gradibus abstractionis provenientes. Atqui quinque sunt hujusmodi classes. Ergo.

Prob. min. Triplex est abstractio: abstractio nempe a materia singulari} abstractio a materia sensibili, abstractio a materia intelligibili. Nomine porro materiae singularis intelligitur id omne quod pertinet ad individuationem, sive singularitatem rei, materia autem sensibilis est quidquid ad sensus pertinet et ab aliquo illorum percipi potest ; materia demum intelligibilis dicitur quæ a solo intellectu attingi potest, cujusmodi est ipsa substantia corporea, quantitas sive discreta sive continua, qua constat corpus mathematicum.

Abstractio a materia singulari præbet primam classem scibilium, quæ pertinet ad *Physicam·,* abstractio vero a materia sensibili efficit secundam classem scibilium, quæ refertur *ad Mathesim,* abstractio demum a materia intelligibili trifariam spectari debet. Objectum enim abstractum ab omni materia vel est aliqua entitas quæ efficitur in mente et\ mente tantum, et ita habetur tertia classis scibilium quæ constituit *Logicam* : vel est aliqua entitas realis inspecta secundum se, et ita habetur quarta scibilium classis, quæ propria est *Metaphysics*^ vel est entitas aliqua considerata prout ordinatur ad dirigendam voluntatem in suis operibus, et sic habetur quinta classis scibilium quæ constituit *Moralem*..

(1) *Comm,* **in I, P, q. 1, art. 3.**

Constat igitur esse quinque generales classes scibilium ideoque quinque scientias generales. Moralis etLogica habent specialem immaterialitatis gradum, et specialem constituunt classem propter specialem respectum quem attendunt in suo scibili. Logica enim considerat ens abstractum intentionale, prout est directivum trium mentis operationum ; Moralis vero ens abstractum intentionale, directivum voluntatis operationum ; dum Metaphysica attingit ens abstractum reale.

Moralis itaque aliquid habet de Logica in quantum versatur circa ens intenlionale, et aliquid de Physica, in quantum experientia utitur. Igitur immatérialités in Metaphysica, Logica et Morali dici potest diversa, quia diverso modo intellectui applicatur.

III. — Ratio specifica scientiarum non sumitur solum ex recessu a materia, sed etiam ex accessu ad determinatum gradum immaterialitatis. Sicut in angelis differentia propria sumitur non tantum ex recessu a materialitate, sed etiam ex accessu ad determinatum modum habendi spiritualitatem et ad actum purum, ita in scientiis species atoma consideranda est ex diverso modo habendi immaterialitatem. Sic, in mathematicis, geometria et arithmetica distinguuntur realiter : quamvis sit idem recessus a materia, nempe abstractio a materia sensibili, arithmetica tamen magis accedit ad immaterialitatem ; nani quantitas discreta, objectum mathematicae, minus pendet a loco et tempore, quam quantitas continua, objectum geometriæ, siquidem quantitas continua dicit partes copulatas in loco.

Pariter Logica, Metaphysica, Theologia habent eumdem recessum a termino a quo, sed diversum accessum, seu diversum modum immaterialitatis ; in Logica enim est tantum immatérialités *negativa,* non realis et positiva ; in metaphysica vero est major immatérialités, quæ est positiva, suprema nempe ratio entis ut abstrahit a creato et increato. Theologia magis adhuc accedit ad actum purum, siquidem respicit ipsum Deum ut cognitum lumine revelationis virtualis.

In scientiis ordinis supernaturalis specificatio fit, non per abstractionema rebus, sed per participationem et derivationem

a lumine divinæ scientiæ. Hoc. modo, fides, prophetia, scientia infusu, scientia beala distinguuntur ; nam lumen divinum aliter participatur a fide, quæ est obscura, aliter a prophetia, quæ potest esse clara vel obscura ; aliter a scientia infusa, quæ quidditates supernaturales quidditative cognoscit; aliter a scientia beata, quæ Deum clare in se attingit (1).

IV. — Solentia speculativa et practica. Præter generalem scientiarum divisionem, aliæ sunt partitiones ; quasdam exponere juvat. Dividitur itaque scientia in *speculativam* et *practicam.* Scientia quippe principaliter attenditur ex eo ad quod essentialiter ordinatur. Sed scientia essentialiter ordinatur ad objectum tanquam ad finem. Ergo scientia consideranda est ex parte finis.

At duplex est finis scientiæ : unus quidem est contemplatio veritatis, et ab hoc fine denominatur scientia *speculativa ;* alter vero est operatio, et ab illo constituitur scientia *practica.* Utraque autem, speculativa et practica, veritatem contemplatur ; sed speculativa sistit in hac operatione tanquam in ultimo fine, practica autem veritatem illam ordinat ad opus. Quocirca respicere debet «illas res quæ nostro opere fieri possunt, ut earum cognitio in operationem quasi in finem ordinari possit. Speculativarum autem scientiarum materiam oportet esse res quæ a nostro opere non fiunt » (2).

Quæ divisio in speculativam et practicam est essentialis. Cum enim scientiæ essentialiter diversi(icentur ex gradu abstractionis et immaterialitatis, illæ differunt essentialiter quæ differunt secundum immaterialitatem. Atqui speculativa et practica scientiæ differunt secundum immaterialitatem ; speculativum enim, cum sit necessarium et universale, est magis spirituale, practicum vero, cum sit contingens et singulare, minus participat de immaterialitate. Ergo.

V. — Scientia practica dividitur in activam et factivam. Scientiæ practicæ est ordinare operationes hominis.

Sed duplex in operationibus hominis attenditur ordo :

(1) Cf. Joan., a S. Th. *Log.* II, P. q. XXVII, art. 4.
(2) S. Th., In *Boet.,* De Trinitate, q. V, a 1.

unus quem ratio considerando facit in operibus voluntatis, et secundum illum respectum scientia practica dicitur *activa* seu *moralis ;* alter quem ratio considerando facit in exterioribus rebus quarum ipsa est causa, ut in arca et in domo, et hic ordo pertinet ad scientiam *factivam* et artes mechanicas.

VI. — De eubalternatione scientiarum (1). Divisio notissima est in scientiam subalternantem et subalternatam. Ratio hujus divisionis est quia aliquae scientiae ita se habent ut una sub altera constituatur. Potest autem una scientia esse sub altera triplici ratione : I° ratione finis, quando una respicit finem superiorem et alia inferiorem priori subordinatum : sic ædificativa subjicitur architectonicæ et militaris politicae. 2° Ratione objecti, cum objectum unius continetur sub objecto alterius, vel essentialiter tanquam species sub genere, sicut scientia de homine est de subjecto contento sub animali ; vel accidentaliter, sicut musica agit de numero sonoro, sonorum vero accidentaliter se habet ad numerum. 3° Ratione principiorum, quando una scientia accipit sua principia ab alia superiori a qua pendet.

Jam vero ad propriam subalternationem de qua hic agimus, non sufficit primus modus. Subalternatio enim debet veritatis manifestationem praebere. Sed ex eo quod finis unius scientiæ subordinetur fini alterius, non praestatur veritatis manifestatio. Secundus modus pertinet quidem ad subalternationem, sed oportet ut objectum inferioris addat differentiam *accidentalem* objecto superioris, non essentialem. Nam objectum subalternatæ debet esse objecto subalternantis extraneum, secus eadem esset scientia. Sed species essentialiter sub genere contenta non reddit objectum extraneum ab objecto generico, cum eadem scientia de genere et de speciebus generis agat. Ergo objectum subalternatæ addere debet differentiam accidentalem, non vero essentialem. Tertius modus proprie etiam requiritur. Scientia quippe subalternata ea proprie dicitur quæ non habet principia propria et immediata, sed tanquam principia sumit conclusiones demonstrabiles in scientia superiori. Subalternaos e contra nititur principiis pro-

(1) **Cf. S.** Thomas, **I. P., q.** I ; Cajetanus, Bannex, **in h. loc.**

priis et immediate notis, quatenus nempe evidentiam suorum principiorum ab intellectu principiorum propriorum directe accipit. Dicimus ab *intellectu principiorum propriorum,* nulla quippe scientia est de principiis, sed de conclusionibus. At hæc est differentia inter subalternantem et subalternatam, quod principia subalternantis sint immediate visibilia in intellectu principiorum, principia vero subalternatæ sint visibilia mediante alio habitu scientifico, id est, scientia subalternante.

VII. — Tria requiruntur ad subaltemationem. Hinc colligitur tria requiri ad subaltemationem scientiarum : Oportet 1° ut objectum subalternatæ contrahat objectum subalternantis, iliique superaddat aliquid quod sit radix novæ scibilitatis, nam scientiæ scibiiitatem proprie respiciunt ; 2° ut addat differentiam, non essentialem, sed accidentalem quæ reddat objectum subalternatæ distinctum ab objecto subalternantis ; 3° ut principia subalternatæ accipiantur a subalternante.

Hæ conditiones verificantur in musica respectu arithmeticae. Musica enim contrahit objectum arithmeticæ, scilicet numerum ; addit aliquid accidentale, nam *sonorum* accidentaliter se habet ad numerum ; tandem musica supponit principia demonstrata in arithmetica. Item medicina subalternatur physicæ. Contrahit objectum physicae, *corpus naturale ;* addit differentiam accidentalem, nam *sanabile* accidentaliter respicit corpus ; tandem medicus supponit principia physicæ, juxta illud effatum. *Ibi incipit medicus, ubi desinit physicus.* — E contra inter quinque primarias scientias non adest proprie dicta subalternatio. Nam objectum unius non contrahitur objecto alterius, sed unaquæque proprium sibi vindicat objectum ab alterius objecto plane diversum. Quaelibet etiam habet principia sibi propria. Licet Metaphysics principia aliarum scientiarum defendat, deducendo adversarium ad impossibile, aon tamen illa directe et positive demonstrat; licet etiam ex principiis Logicæ aliæ scientiæ aliquando procedant, non tamen dependent totaliter ab illa in evidentia suorum principiorum, sed ab ea solum juvantur. Ergo non datur subalternatio proprie dicta, sed secundum quid.

VII. – An subalternata habeat propriam rationem scientiae. Corcedunt omnes scientiam suhallernatam esse proprie scientiam, si conjungatur cum subalternante : sic musica vera est scientia in eo qui simul est arithmeticus et musicus. Disputatur autem an subalternatæ competat scientiæ vis et ratio in absentia subalternantis ; an musicus qui non est arithmeticus vera gaudeat scientia. Sententiam affirmativam tenent fere communiter Thomistæ ; negant quidam alii.

VIII. — Conclusio: Subalternata etiam in absentia subalternantis est proprie scientia, in statu tamen imperfecto· Arg. I'll". Subalternata etiam in absentia subalternantis natura sua inclinatur ut conjungatur cum illa. Atqui nisi esset scientia non postularet conjunctionem cum subalternante. Ergo.

Prob. maj. Unumquodque naturaliter postulat conjungi illi a quo accipit suum principium, suamque perfectionem.

Atqui subalternata omnia sua principia et suam perfectionem accipit a subalternante. Ergo naturaliter petit uniri cum illa.

Prob. min. Nihil inclinatur ad sui destructionem. Sed, si subalternata non esset scientia et tamen inclinaretur ad subalternantem, ad sui destructionem tenderet, nam tunc fieret scientia, et idcirco destrueretur. Ita Thomistæ.

Confirmatur. Si subalternata non est scientia, est habitus inevidens. Atqui habitus inevidens non inclinatur ad evidentiam. Ergo si subalternata non esset scientia, non inclinaretur ad subalternantem, quæ est habitus evidens.

Arg. II"". Cum scientia sit proprie de conclusionibus, habetur vera scientia, quum mens videt conclusionem evidenter et necessario deduci ex principiis. Atqui in scientia subalternata mens videre potest conclusionem liquido et necessario profluere ex principiis ; licet enim principium non sit actualiter evidens, illatio ex principio potest esse omnino et perfecte evidens. Ergo scientia subalternata est vera scientia.

Cæterum, quamvis subalternata non habeat evidentiam actualem et intrinsecam principiorum, suscipit tamen evidentiam *radicalem,* quia inclinat ad subalternantem ; et *extrinsecam,* nam cognoscit evidenter principia quæ a tot et tantis sapien-

tibus admittuntur esse omnino certa et infallibilia. Potest ergo ab hujusmodi principiis, absque ulla errandi formidine, conclusiones infallibiles deducere.

Est tamen imperfecta quoad statum, quia evidentia actuali suorum principiorum non potitur. Sicut puer usum rationis nondum plene adeptus est simpliciter homo, in statu tamen imperfecto, ita scientia subalternata nondum evidentiam suorum principiorum adepta, simpliciter est scientia, licet in statu imperfecto.

IX. — Objicies : Ubi deficit evidentia, deficit scientia, quæ est habitus evidens. Sed in scientia subalternata deficit evidentia. Ergo deficit ratio scientiæ.

Resp : Disting. maj. Ubi deficit evidentia tum illationis tum principiorum, deficit ratio scientiæ, concedo ; ubi deficit solum evidentia principiorum, adest vero evidentia illationis, deficit ratio scientiæ periectæ, concedo ; ratio scientiæ imperfecta, nego. Gontradist, min. et disting conclus. Subalternata non habet rationem scientiæ perfectae, concedo ; imperfectæ, nego.

Solutio patet ex dictis. Scientia est proprie habitus illativus; unde, si adsit evidentia illationis, aderit essentialis ratio scientiæ. Constat vero illationem posse evidentem esse, quamvis principium fide teneatur, ut in hoc argumento : *Verbum divinum assumpsit naturam humanam. Atqui natura humana includit voluntatem. Ergo Verbum assumpsit voluntatem.* Consequentia, seu nexus antecedens inter et consequens, est omnino evidens, licet antecedens fide teneatur.

ARTICULUS QUARTUS

DE DIGNITATE ET SUBJECTIONE SCIENTIARUM INTER SE

I. — Una scientia potest esse altera nobilior et secundum se et in ordine ad intellectum soientis.

Ia scientiis secundum se consideratis tria attendi possunt : *subjectum, modus cognoscendi* et *finis.* Sub lioc triplici respectu una scientia potest esse alia nobilior. Sic illa quæ verslatur circa res divinas et altissimas causas nobilior est illa quæ causas proximas attingit; nobilior est pariter illa quæ res cognoscit per modum magis remotum a materia ; tandem quæ versatur circa finem altissimum dignior est aliis quæ finibus particularibus attendunt.

In ordine vero ad intellectum scientis dicitur nobilior quæ facilius et perfectius capitur ab intelligente. Porro in intelligente tria concurrunt : potentia intellectiva, lumen quo intelligit, et species intelligibilis. Igitur dignior poterit esse scientia tripliciter. Primo, si intellectus est perfectior ; quo modo scientia Christi nobilior est aliorum hominum scientia. Secundo, si lumen est fortius vel altioris ordinis. Tertio, si species intelligibilis est perfectior ; vel quia est a Deo infusa, vel quia est plurium rerum representativa. Hoc modo scientia Christi scientiam hominum, imo et angelorum, excedit.

II. — Utrum una scientia sit alia certior.

Ex parte qua excluditur errandi formido una scientia non est alia certior (1), sed ex parte firmitatis assensus una scientia potest esse alia certior tripliciter. Primo, scientiæ quæ dicunt causam et *propter quid* certiores sunt illis quæ solum

(1) Tract. II. q. I, art. 1, n° 12.

dicunt effectum et *quia,* nam priores procedunt ex notioribus simpliciter. Secundo, scientiæ quæ quærunt formam certiores sunt illis quæ versantur circa materiam sensibilem : ratio est quia forma est magis nota magisque intelligibilis quam materia. Tertio, scientiæ quæ abstrahunt ab omni materia, etiam intelligibili, certiores sunt illis quæ circa materiam intelligibilem occupantur, quia quod est magis abstractum est magis cognoscibile.

Hæc intelliguntur de certitudine considerata ex parte causæ, nempe, scientiæ certiores sunt quæ certiorem habent causam. Ex parte vero subjecti, certior dicitur scientia, quæ plenius et perfectius percipitur, seu quæ magis proportionalur conditionibus scientis.

III. — Scientia certior, sed de ignobiliori objecto, est simpliciter inferior scientia de nobiliori objecto, licet hæc sit incertior.

Omnis scientia laudatur ex actu. Porro duo sunt quæ actui conferunt dignitatem : objectum et qualitas, seu modus actus. Igitur dignitas scientiæ attendi potest ex objecto et ex qualitate seu modo. Ex primo capite, nobilior est quæ nobilius habet objectum ; ex secundo, nobilior quæ firmior et certior est. Simpliciter tamen dignior est quæ honorabilius speculatur objectum. Etenim illud quod habet nobilitatem ex se et ex sua substantia simpliciter nobilius est eo quod habet dignitatem ex modo et qualitate. Sed scientia quæ est de nobiliori objecto habet dignitatem ex se et ex sua substantia, nam objectum essentialiter constituit scientiam ; dignitas vero quæ provenit ex certitudine est dignitas ex modo et qualilate. Ergo scientia de honorabiliori objecto est simpliciter dignior scientia quæ est certior, sed de ignobiliori objecto. Unde melius est scire modicum et minus certe de rebus nobilioribus et altisaimis quam multum et per certitudinem de rebus minus honorabilibus (I).

IV. — An scientiæ speculatlvæ nobiliores sint practicis. Ex parte modi nobiliores sunt speculativæ, quia procedun

(1) I *De Anim,,* **lect. 1.**

cum majori certitudine. Practicæ enim considerandae habent multas singularium operabilium circumstantias, speculative autem procedunt a paucioribus, et versantur circa rerum naturas in universali, de quibus facilius est certitudinem consequi. Ex parte objecti, Theologia, quæ agit de Deo, Metaphysica, quæ disserit de primis principiis et altissimis causis, Philosophia naturalis, quæ rimatur hominis substantiam, etc., nobiliores sunt practicis quæ versantur circa operationes internas vel externas hominis. Scientiæ vero mathematica inferiora habent objecta iis quæ in scientia morali tractantur : sic figura, linea, nobilitate inferiores sunt virtutibus.

V. — Quomodo in dignitate ordinandae sint quinque scientiæ primariae.

Metaphysica est simpliciter prior. Habet objectum nobilius, nempe prima principia, altissimas causas. Ab aliis non dependet ; cæteræ e contra ipsa indigent quantum ad notiones fundamentales entis, substantiæ, accidentis, unius, veri, boni ; quantum ad prima principia, nam proprium est Metaphysicæ tum sua tum aliarum scientiarum principia defendere.

insuper, ratione influentiæ quam exercet in principia et conclusiones aliarum scientiarum, Metaphysica omnibus imperat, imperio scilicet speculativo.

Si vero agatur de imperio practico, et considerentur scientiæ ratione finis, præstantior est Moralis. Probatur. Ratione finis scientia dicitur nobilior quæ ultimum finem respicit et omnia alia in finem dirigit. Atqui Moralis ultimum finem respicit, et alia in finem dirigit, etiam Metaphysicam ; etenim Metaphysica inutilis aut nociva fieret, nisi in ultimum finem juxta regulas Moralis tenderet.

Tandem Logica, in aliquo ordine, nempe ratione directionis quam in mentis actibus exercet, est potior ; ipsa enim viam edocet per quam homo faciliter et ordinate et sine errore procedat : et insuper ipsa formam syllogisticam qua aliœ scientiæ utuntur conficit.

VI. — Quomodo ordinandae sint scientiæ ratione oertitudinis. Metaphysica simpliciter et secundum se est certior ;

quoad nos vero Physica est certior Metaphysica, et Mathematica est certior Physica.

Prob. Ia pars. Scientia dicitur certior simpliciter quæ magis facit scire causam et *propter quid;* et cujus objectum est magis abstractum a materia. Atqui inter omnes scientias Metaphysica magis facit scire causam et *propter quid,* nam procedit per causas in essendo, imo causas primas et altissima»; ejus objectum est magis abstractum, nam ipsa speculatur res ab omni materia, etiam intelligibili, abstractas, quæ habent immaterialitatem positivam. Ergo Metaphysica est certioi simpliciter et secundum se.

Prob. IIa pars. Illud est certius quoad nos quod facilius menti applicatur et magis quietai intellectum. Atqui res sensibiles de quibas disserit Physica facilius applicantur intellectui quam abstracta et invisibilia circa quæ Metaphysica versatur. Ergo quoad nos Physica est certior Metaphysica.

Prob. IIIa pars. Illud majorem certitudinem quoad nos parit quod notiones a sensibilibus abstractas applicat subjecto magis immobili : quando enim videt intellectus subjectum, seu objectum, majori gaudere immutabilitate, magis in seipso quietatili'.

Atqui Mathematica notiones a sensibilibus abstractas applicat subjecto magis immobili quam est subjectum Physicæ. Ergo Mathematica majorem parit certitudinem quoad nos ; hinc est quod de Mathematicis non experiamur dubitationes quæ de rebus physicis suboriri possunt.

Declaratur minor. Mathematica, sicut Physica, accipit notiones a rebus sensibilibus ; sed dum Physica versatur circa corpus naturale, seu mobile, Mathematica notiones subjecto abstracto et immutabili applicat. Sic triangulus, superficies, prout considerantur a Mathematica magis sunt immobiles quam corpus quod attingit Physica.

VU. — De Sacra Theologia, α Cum ista scientia quantum ad aliquid sit speculativa, et quantum ad aliquid sil practica, omnes alias transcendit tam speculativas quam praeficas. Speculativarum enim scientiarum una altera dignior dicitur tum propter certitudinem tum propter dignitatem materne.

Et quantum ad utrumque hæc scientia alias speculativas scientias excedit. Secundum certitudinem quidem, quia aliæ scientiæ certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanæ, quæ potest errare ; hæc autem certitudinem habet ex lumine divinæ scientiæ, quæ decipi non potest. Secundum dignitatem vero materiæ, quia ista scientia est principaliter de his quæ sua altitudine rationem transcendunt ; aliæ vero scientiæ considerant ea tantum quæ rationi subduntur. Practicaram vero scientiarum illa dignior est quæ ad ultimum finem ordinatur, sicut civilis militari. Nam bonum exercitus ad bonum civitatis ordinatur. Finis autem hujus doctrinae, in quantum est practica, est beatitudo aeterna ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. Unde manifestum est secundum omnem modum eam digniorem esse aliis (i). »

(1) **I P. q. I, art. 5.**

ARTICULUS QUINTUS

'0E DIVISIONE ET ORDINATIONE SCIENTIARUM IN PHILOSOPHIA MODERNA

I. — Divisio baconiana. Traditis veris principiis veraque doctrina de scientiarum divisione et ordinatione, haud abs re erit quædam addere, eruditionis gratia, de divisione el lúe–rarchia scientiarum in philosophia moderna.

Prima divisio, quam invexit Baco et tenuerunt d'Alembert et alii non pauci, scientias partitur non per ordinem ad scibilia, sed per ordinem ad facultates cognitionis. Triplicis autem generis esse autumant facultates cognoscitivas : imaginationem, memoriam et rationem. Hinc triplex scientiarum partitio : ad imaginationem reducitur *poesis,* ad memoriam *historia,* quæ est naturalis vel civilis ; ad rationem *philosophia,* quæ circa Deum, naturam et hominem versatur.

Quæ divisio inepta facile deprehenditur. Imprimis est manca, incompleta, quippe quæ non omnes scientias complectitur. Falsissime ponit imaginationem esse facultatem sciendi, nam imaginatio ad sensibilia tantum, non vero ad scibilia quæ sunt universalia et abstracta, se porrigere valet. — Unica est sciendi facultas, nempe ratio ; ergo unica erit scientia, si divisio ex parte facultatum desumitur. Ruinoso ergo fundamento nititur illa partitio, cum scientiæ non ex facultatibus, sed ex objectis propriis et formalibus speciiicentur.

II. — Divisio amperiana. J. Ampère, attendens ad objectum scibile, animadvertit duo esse objecta generalia, *materiam.* nempe et *spiritum.* Unde duplex classis generalissima : scientiæ nempe *cosmologica^,* circa *materiam,* et scientiæ *noo**

logicæ, circa *spiritum,* seu mentem. Utraque autem classis m duas subdividitur, et istæ in alias et ita porro.

Sequentibus versibus enumerantur scientiæ primi ordinis, numero triginta dus? :

A. **Hæc ubi cuncta animo peragrare licebit,**
(arithm.) (geom.) (mechanic.) (uranologia.)
Jam numeros, spatium, vires, et sidera noris ;
(physic.) (technologie) (geologia)
Corpora, fabrorumque artes tractabis et orbem
(orychtotechnia circa mineralia terræ infossa).
Lustrabis, latebras penitus rimabere terræ.
(botan.) (agricult.)
B. **Herbarum inquires genus, agricolæque labores.**
(zoologia) (zootechnia)
Jam qum sint, jam quos hominum fingantur in usus,
(hygienic.)
Et quibus ægrescant vigeantve animalia disces.
(physic-medic.) (nosologia)
Nunc firminda salus, nunc noscere morbos ;
(medicina practica.)
Nunc ægris lethum durosque arcere dolores.
(psychol.) (ontol.)
C. **Tum mentem res atque Deum meditabere et inter**
(ethic.) (thelesiologia)
Affectus hominum, virtus ut libera regnet ;
(technæsthetic.) (glossologia)
Tum voces et scripta simul, tum noveris artes
(littéral.) (pædagogic.)
Ingenuas, et quæ pueri sit cura magistro.
(ethnolog.) (archæol.) (histor.)
D. **Mox populos, monumenta et facta notabis ;**
(hierologia)
Quos gentes servent ritus, quod numen adorent ;
(oeconomia socialis)
Jura fori, leges populorum et munia disce
(militaris) (nomologia)
Bellantum ; mox gentium opes scrutare ducesque
(politica)
Ut paci valeant et bello imponere morem.

HI. — Critica. — Quæ divisio admodum ingeniosa, imo et aliqualiter utilis est, nec ullatenus spernenda. In multis tamen

deficit. Negligit imprimis fundamentale specificationis principium, scilicet objectum formale ; non enim sufficit inspicere objectum concrete sumptum, scilicet materiam et spiritum, nam plura objecta materialia ad eamdem scientiam referri possunt, sed attendendae sunt rationes formales quæ in uno objecto materiali diversas inducunt scientias. Aliunde, divisio amperiana rectam non servat ordinationem inter diversas scientias ; nam philosophiam, non ut primariam et universalem scientiam exhibet, sed solum per membra dispersa commemorat ; ac Logicam inter scientias tertii ordinis amandat. Thelesiologiam, id est, scientiam voluntatis, ceu specialem, imo primariam scientiam ponit, cum tamen voluntatis cognitio ad Psychologiam vel Moralem reducatur.

IV. — Divisio Positivistarum, — A. Comte scientias partitur in *abstractas* et *concretas.* Porro concretas scientiæ nondum sunt constitutæ ; abstract® autem sex in sectiones precipuas scinduntur : *mathematicam, astronomiam, physicam, chimiam, biologiam* et *sociototjiam.*

Spencer distinguit scientiam *'abstractam,* scientiam *abstractam-concretam,* ac scientiam *concretam.* Ad abstractam referuntur Logica, Mathematica ; ad abstractam-concretam, Mechanica, Physica, etc.; ad concretam demum Astronomia, Biologia, Psychologie, etc.

Quæ divisiones multiplici laborant vitio. Animadvertatur imprimis nullam scientiam esse proprie concretam, cum scientia de universalibus sit et abstractis. Preterea nititur hæc divisio falsissimis principiis quæ omnia ad ordinem sensibilem et concretum coarctanl, Mctaphysicam vero et omnem ordinem spiritualem penitus subvertunt.

V. — Scholasticorum divisio scientias omnes complectitur. Scientias in quinque primarias dispescimus, at singulae illarum plurimas sub se continent, ita ut omnes scientiæ possibiles ad unam ex quinque primariis reducantur. Sic ad *Physicam* referuntur *physica* proprie dicta, *chimia, mineralogia, botanica, zoologia, biologia, physiologia, geologia, astronomia* ; omnes quippe considerant abstractionem a materia in.

dividuali, sed adhuc retinent materiam sensibilam. Ad Mathematicam vero reducuntur scientiæ quæ abstrahunt a materia sensibili, sicut illæ quæ versantur circa quantitatem abstractam : scientia nempe *algebrica* circa quantitates abstractions, *arithmetica* circa quantitatem discretam, *geometria* circa quantitatem continuam, etc.

Ad Moralem referuntur *jurisprudentia, politica, (economia socialis,* etc., etc.

QUÆSTIO QUARTA

De methodo

Quæstionem de scientia logice subsequitor consideratio de methodo in scientiis adhibenda. Logicam ergo absolvemus nonnulla disserendo de methodo in genere, do melhodo in philosophando, ac de methodo disputandi in scholis (1).

ARTICULUS PRIMUS

DE METHODO IN GENERE

I· — Notio methodi. Vi etymologiæ (μετά οδό), methodus est via ad aliquid. Quemadmodum viator, ut iacilius et tutius ad terminum pertingat, viam eligit brevem et expeditam, ita mens in suo itinere ad veritatem, debet aliquam sibi preestituere viam, seu rationem ordinate procedendi. Mens vero non uno actu, sed multiplici operatione, finem suum, qui est cognitio veritatis, obtinet. In hac igitur operationum serie debet esse ordo, et methodi scopus præcise est illam cognitionum

(1) Consuli possunt S. Thomas, **I* Ilæ, q. 44, a. 5;** Bago, *Novum organum;* Leibnitz, *Nouveaux essais; Logique de Port-Royal,* **IVe partie;** Pascal, *Discours sur l'esprit géométrique;* Balmès, *L'art d'arriver au vrai* ; **Di:**Hamel, *Méthodes dans les sciences de raisonnement;* Janet, *Logique,* **sect. U;** Lepidi, *Log.,* **lib. IV** ; **et Scholastici recentiores.**

seriem rite ordinare, ut tuto et facile veritatem consequamur. Potest igitur definiri methodus : Ordo quem intellectus in suis operationibus sequitur ut veritatem adipiscatur et scientiam sibi comparet.

Cum autem methodus designet aliquam viam, seu motum, tria necessario requirit : *Principium,* a quo incipit; *finem,* ad quem tendit ; *processum,* a principio ad finem. Principium est terminus *a quo',* finis, seu cognitio veritatis, est terminus *ad quem,* sed proeessus est id quod *formaliter* constituit, methodum ; sicut via non consistit formaliter in initio nec in termino, sed in progressu ab initio ad terminum. Unde posset strictius definiri methodus : *Modus ordinate procedendi a principio a quo mens incipit, ad ipsum finem, qui est veritatis adeptio et scientiæ acquisitio.*

II. — Leges methodi. Attendi possunt ex parte principii, ex parte ordinatae progressionis, ex parte finis.

Primo quidem, ex parte principii, oportet ex notis ad ignota, vel a notioribus ad minus nota, procedere. Hic est enim naturæ ordo, quem transgredi nunquam licet. Sufficit vero ut principia sint notiora quoad nos.

Secundo, quo ordinatior sit progressio, debet mens minutatim et gradatim procedere, ut clare perspiciatur nexus inter immediata principia et immediatas conclusiones, ac deinde inter primas conclusiones et remotiores illationes. Quæ connexio non manifeste apparebit, si proceditur per saltum. Pariter, ut ordinata sit progressio, oportet omnia quæ ad statum quæstionis conferunt dilucide exponere ! objectum in seipso saltem confuse apprehendere, deinde in suas partes dividere ; ex partibus, eas quæ ad propositum non faciunt seponere, cæteras vero singillâtim considerare, et postea ad invicem conferre.

Tertio, ex parte finis tria servanda sunt. I0 Nemo debet inquirere de his quæ captum suum transcendunt. 2° Quoad ea vero quæ sunt proprio captui proportionata, non est de omnibus et per singula disserendum, sed de his tantum quæ vel necessaria sunt scitu, vel utilia scitu, vel pulchra scitu. 3° Non est quærenda certitudo in iis in quibus certitudo esse

non potest, nec etiam eadem in omnibus indiscriminatim scientiis exigenda est certitudo. Hinc deridendi sunt illi qui in maierits ubi possibilis est sola certitudo moralis, nihil recipere volunt nisi dicatur eis per modum mathematicum.

III. — Quotuplex sit methodus. Distinguunt methodum *prudentias,* cui non præscribuntur certæ et speciales leges, sed quæ regitur juxta commanes et generales normas prudentiæ ; et methodum *artis,* quæ specialibus Logicæ legibus regulatur. De hac in præsenti est sermo.

Methodus porro artis multipliciter dividitur.

Ex parte mediorum quibus utitur dividitur in *experimentalem* et *rationalem.* Experimentalis adhibet *præcipue* observationem, experimentum, inductionem ; rationalis vero principia a priori, definitiones, divisiones, demonstrationes; licet non detur methodus quæ sit *unice* experimentalis vel *unice* rationalis, juxta ea quæ docuimus de inductione et syllogismo, q. II.

Ex parte finis dicitur methodus *inventionis,* si ordinatur ad scientiam proprio marte, propriaque investigatione comparandam ; methodus autem *disciplinaris,* si scientia ab aliis-sive legendo sive audiendo addiscitur.

Methodus quæ ordinatur ad discipulos instruendos vocatur *didascalica* ; quæ autem ad veritatem ab adversariorum impugnationibus vindicandam, dicitur *apologetica* ; quæ tandem ad errorem impugnandum et propellendum, *polemica.*

Sed famosior divisio quæ alias complectitur est in methodum *anatyticam* et *syntheticam.*

IV. — Analysis et synthesis. Vi etymologiæ methodus analytica eadem est ac resolutiva (ἀναλύω) et synthetica idem sonat **ac** compositiva (συν-τίθημ:). Quid vero sit processus compositivus et resolutivus explicat S. Thomas (1). « In omni inquisitione, inquit, oportet incipere ab aliquo principio ; quod quidem, si, sicut est prius in cognitione, ita etiam sit prius in esse, non est processus resolutorias, sed magis composilivus-

(I) I II q. 14, art. 5.

Procedere enim a causis in effectus, est processus composìtivus, nam causæ sunt simpliciores effectibus. Si aulem id quod est prius in cognitione, sit posterius in esse, est processus resolutorios, nipote cum de effectibus manifestis judicamus, resolvendo in causas simplices. »

igitur, juxtad. Thomam, processus resolutorias seu analyticus « est procedere ab iis quæ sunt notiora et priora tantum quoad nos ad ea quæ sunt notiora et priora simpliciter, et ab iis quæ sunt magis composita ad ea quæ sunt simpliciora ». Processus vero compositivas, seu synthetica?, est procedere ab iis quæ sunt priora in esse ad ea quæ sunt posteriora simpliciter, et ab iis quæ sunt magis simplicia ad ea quæ sunt magis composita. Jam vero causa est prior effectu, partes actuales sunt priores suo toto ; principia priora conclusionibus ; leges priores phaenomenis ; pariter universalia sunt priora et *simpliciora particularibus. Unde methodus analitica procedit* ab effectibus ad causas, a toto actuali ad partes actuales, a phænomenis ad leges, a particularibus ad universalia. Et e contra, synthetica procedit a causis ad effectus, a partibus actualibus ad totum actuale, a legibus ad phænomena, a principiis ad conclusiones, ab universalibus ad particularia.

V. — Exempla utrlusque methodi. Analysi utitur Philosophus qui, acturus de homine, procedit ab ipso composito ad partes, et ex operationibus animæ infert ejus essentiam ; Chimicus qui, inquisiturus naturam aquæ, ipsam resolvit in oxygenium et hydrogenium; Physicus qui, observatis multis phænomenis quoad corporum gravitatem, leges generales de corporum gravitale statuit; Rhetor qui,ex auditione vel lectione multorum virorum eloquentium, colligit generalia rhetorices et eloquenti» præcepta.

Synthesi utitur Philosophus qui prius tractat de simplicibus intentionibus quamde propositionibus, et prius de istis quam de argumentatione, vel ille prius disserit de materia et forma et postea de composito, aut prius de corpore et anima ac postea de homine ; Chimicus qui exoxygenio et hydrogenio aquam efformat; Geometra qui ex axiomate demonstrat theorema; Physicus qui leges determinatis materiis applicet ; Rhetor qui

præcepla eloquentiae jam statuta alicui concioni appropriât.

VI. — Falsee notiones methodi analytic® et synthetic®. Praefata methodi notio, quæ est clarissima et traditionalis, non semper retinetur a modernis ; sed processum analyticum nonnulli esse dicunt, quum mens incipit ab aliquo simplicissimo resoluto, ut est idea entis universalissimi et indeterminati ; syntheticum vero quum mens incipit ab aliquo composito in quo totam cognitionem involvi dicunt. Qui tenent illud unum esse ideam logicam entis universalissimi, cujus esse est quoddam juge fieri, quædam indefinita et continuata progressio, ut loquitur Hegel, horum methodus vocatur *synthelico-Lranscendentalis.* Qui tradunt illud unum esse propriuni *Ego,* prout variis modificationibus afficitur, ut Cartesio tribuitur, horum methodus nuncupatur *synlhetico-psychologica* vel *synthetica-subjectiva.* Qui tradunt illud unum esse Deum in quo omnes intelligibiles rationes immediale concipiuntur, ut docent Onlologistæ, horum methodus nominatur *synthetico-ontolagica* vel *s.ynthelico-objactiva* (1).

Quorum omnium doctrina nititur falsis principiis ideologicis, quæ confutabuntur in Psychologie.

Nonnulli etiam synthesim cum analyst confundunt, processum a toto ad partes vocant synthesim, cum is ab aliis analysis nuncupetur. Confusio ex eo provenit quod nesciant distinguere inter totum potentiate et totum actuale. Recolantur quæ sæpe dicta sunt de idearum extensione et comprehensione : extensio designat numerum subjectorum quibus idea convenit, comprehensio vero numerum notarum seu elementorum quibus constituitur. Universale excedit extensione sua inferiora : *animal* enim plura subjecta habet quam homo ; sed ab eis exceditur in comprehensione : *homini* quippe plures adseribuntur notæ quam *animali.* Juxta primum modum, universale se habet ut totum ; juxta alterum.modum se habet ut partem. Hinc, si attendatur comprehensio, processus a toto universali ad totum actuale est processus a partibus ad totum, et ita dici potest synthesis. Comprehensio autem importat ma-

ti) Cf. P. Lepidi, **L0/7 fib. IV, cap.** 1.

jorem compositionem quam extensio ; ratione quippe extensionis entia sunt magis simplicia, ratione vero comprehensionis magis composita sunt. Unde processus a comprehensione ad extensionem, seu a toto actuali ad totum potentiate, est a compositis ad simplicia, et ita dici potest analysis (1).

VII. — Comparantur iterum analysis et synthesis.

Synthesis ergo incipit ab extensione et terminatur ad comprehensionem ; analysis autem incipit a comprehensione et ad extensionem terminatur. Compositio actualis est principium analysis, totum vero potentiate est principium synthesis. Hac explicatione intelligitur cur dicant Scholastici totum logicum analysi dividi, synthesi colligi ; totum actuale synthesi componi, anaiysi resolvi. Semper tamen analysis et synthesis distinctæ remanent ; semperque analysis est processus a compositis ad simplicia, synthesis autem processus a simplicibus ad composita ; analysis processus a toto actuali ad partes actuales, synthesis vero a partibus actualibus ad totum.

Methodus synthetica adhibetur in syllogismo, qui procedit ab universalibus ad particularia ;analytica in inductione, quæ ex particularibus ad universale, ex phænomenis ad leges progreditur.

Analysis est prior synthesi ordine temporis et generationis ; simpliciter tamen synthesis est prior et nobilior. Probatur breviter. Analysis et inductio sibi respondent ; jam vero os-

ti) « Toute méthode peut se ramener à deux procédés essentiels, ait Janet : l'analyse et la synthèse. Ges deux termes ont été employés par les logiciens dans des sens bien différents : ce qui jette beaucoup d'obscurité sur la théorie de la méthode ». Exponit deinde ille auctor quomodo fuerint illæ methodi a Condillac, a Logica *Partus Regalis* intellectae, quæ sit geometrarum analysis, ac demum concludit cum Duhamel omnem analysim ad analysim mathematicam reduci *(Logique,* sect. 2, c. i). Rabier *(Logique,* c. xvi) animadvertens analysim mathematicam esse omnium analysium typum et normam, asserit analysim essentialiter esse regressionem a conditionato ad conditionem, synthesim vero progressionem a conditione ad conditionatum.

Fonsegrive *(Revue philosophique,* t. XIV) optime exponit qua ratione fieri potuerit ut quod ab aliis dicebatur analysis fuerit ab aliis synthesis nuncupatum, difficultatemque solvit adhibita distinctione extensionis et comprehensionis.

tensum (q. 2^ inductionem esse medium necessarium ad comparanda principia universalia quibus utitur synthesis. Ergo analysis synthesim praecedit. At vero illa methodus est simpliciter prior et nobilior quæ progreditur ab iis quæ sunt simpliciter priora et nobiliora, quia tunc ordo cognoscendi ordini essendi respondet. Sed ex notione synthesis constat ipsam procedere ab eis quæ sunt simpliciter priora, scilicet a causis ad effectus, a legibus ad phænomena. Ergo est simpliciter analysi prior.

Cæierum, analysis et synthesis non sunt duo processus separabiles, sed ex utroque integratur et perficitur humanæ mentis progressio. Optima ergo est methodus quæ utraque vicissim utitur, ut fusius ostendetur, cum loquemur de methodo scholastica (Art. seq. n. 3).

VIII. — Regulæ utriusque methodi. Ex ipsarum notione profluunt. In synthetica methodo incipiendum est a rei principiis, rei notione et definitione; deinde procedendum gradatine, a simplicioribus ad composita, ab universalioribus ad particularia. In analysi vero, quæ originatur a compositis, incipiendum est a divisione totius ; membraque principaliora sunt subdividenda, et deinde singulæ partes considerandæ, ac tandem de toto id solum concludendum est quod de partibus fuit consideratum. Gseterum, cum analyse sit processus inductivos, in ipsa servandæ sunt omnes inductionis leges.

ARTICULUS SECUNDUS

DE PRÆOIPUIS METHODIS QOÆ *IN PHILOSOPHANDO ADHIBENTUR*

I. — Ratio articuli. Philosophiae non est tradere **in** speciali methodum singulis scientiis propriam, sed solum methodi naturam, divisiones et leges in genere exponere. Non ergo immorabimur, ut faciunt plures auctores,in describendo singulas singularum scientiarum methodos.

Ut enim unicuique scientiae propria assignetur methodus, inspicienda est scientia in seipsa, in suis principiis, suo objecto, suoque fíne et ordine. At consideratio principiorum, ob* jecti vel finis singulis scientiis propriorum, est quid a Logica penitus alienum. Ergo assignare in speciali methodum singulis scientiis propriam est extra Logicæ limites excurrere. Sicut philosophi non est mathematicae aut physicæ principia tradere aut objecta speculari, sic nec ad ipsum spectat mathematicae aut physicæ methodos inquirere, nisi sub ratione methodi in génére.

Quare melhodologia prout a quibusdam adhibetur qui in Logica omnium scientiarum methodos tradunt/ videtur contra fundamentalem methodi regulam peccare : Nulla disciplina extra proprium ordinem excurrat.

Ad Logicam tamen maxime pertinet investigare qua methodo in philosophando utendum sit. Unde quædam disseremus de diversis methodis quæ in scholis philosophicis adhibentur.

Præcipuæ vero methoui quæ de facto proponuntur vel fuerunt adhibitae, sunt methodus *Scholastica, Idealistica, Empirica, Ecclectica, Traditionalistica, Ontologistica.*

II. – Methodus Scholastica. Calumniatores et adversarios mullos nada est Scholasticorum methodus. Sed facile vindicabitur si attente inspiciatur quid sit, quomodo procedat. Hæc autem servatur ratio apud Scholasticos : Primo, status quæstionis proponitur. Quod ut recte fiat, praemittuntur quædam prænotarnina seu præsupposita. Si opus sit, rem definiunt, aut dividunt ; ex partibus vero divisis illam tantum assumunt de qua est controversia, cæteras eliminant. Ponunt rationes dubitandi, diversas opiniones vel sententias referunt. Deinde conclusionem statuunt, et ipsam probant sive auctoritate, sive experientia, sive a pripri ; demum rationes dubitandi solvunt. In toto processu utuntur oratione brevi, pressa, simplici, cujusque artificii vacua. His explicatis, sit

III. — Conclusio : Scholasticorum methodus omnino est approbanda. Egregia est methodus quæ analysi vicissim ct synthesi utitur. Sed Scholastica methodus utitur analysi vicissim et synthesi. Ergo. Prob. maj. Excellens methodus di/o debet præstare : I0 scientiæ acquisitionem, 2' scientiæ certitudinem. Sed ad acquisitionem scientiæ requiritur analysis, ad ejus certitudinem requiritur synthesis. Ergo perfecta methodus est quæ analysi et synthesi vicissim utitur.

Probatur Ia pars minoris. Analysis est quæ a sensibilibus et particularibus ad intelligibilia et universalia progreditur. Sed omnis scientiæ acquisitio procedit a sensibilibus et particularibus ad intelligibilia et universalia ; nam nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu. Insuper, objectum intellectus humani esi quidditas rei materialis. Sed, ut cognoscatur plene rei materialis quidditas, requiritur repetita ipsius rei materialis experientia. Ergo scientiæ acquisitio analysim exposcit.

Probatur IIa pars minoris, videlicet, ad scientiæ certitudinem requiri synthesini. Synthesis est quæ a principiis universalibus et necessariis procedit. Sed ad certitudinem scientiæ requiritur processus a principiis universalibus et necessariis. Ergo ad certitudinem scientiæ requiritur synthesis. Declaratur minor. Certitudo scientiæ ex firmitate et stabilitate objecti dependet. Sed objectum non est firmum et stabile nisi sit universale et necessarium : singularia quippe et contingen-

tía perpetuo iliriui et mutationi subjacent. Ergo scientia non erit certa nisi ex objectis, seu principiis, universalibus et necessariis procedat.

Argumentum alterum. Præstans est methodus qua^ hominem dirigit tum circa inventionem tum circa disciplinam, id est, tum in acquirenda tum in docenda veritate. Atqui methodus quæ utitur analysi et synthesi hominem et circa inventionem et circa disciplinam instruit. Ergo.

Analysis enim et inductio sunt medium veritatem per seipsum adipiscendi, et hac via generaliter omnes artes et scientiæ ab hominibus inventae sunt. Synthesis vero praecipue valet ad alios docendos. Nam in scientiis tradendis procedendum est a facilioribus, ideoque a simplicioribus, ad magis composita. Insuper, discipulus magis proficit, quum videt in praecedentibus rationem eorum quæ sequuntur. Sed hoc praestatur per synthesim : hæc namque originatur a principiis quæ in ordine reali causa sunt et ratio eorum quæ sequuntur.

Licet autem communiter synthesis opportunior sit ad docendum, non debet tamen magister ab analysi abstinere; sed optima disciplina debet cx synthesi et analysi, participare, ut discipuli per experientiam et inductionem quasi sensibiliter certificentur de his quæ a priori ct per deductionem didicerunt. Igitur qui analysi vicissim et synthesi utitur perfectum habet modum tum ad inveniendum tum ad docendum.

Probatur nunc Scholasticorum methodum esse simul analyticam et syntheticam.

Scholastici enim uno ore illud aristotelicum effatum conclamant : *Nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu.* Et aliud pronuncialum : *Per experientiam ars et scientia hominibus efficitur.* Hinc docent inductionem necessariam esse ad acquirendum prima principia et scientiam. Non a priori systemata conficiunt, sed ex particularium notione cJ universalia, ex effectibus ad causas assurgunt. Sic D. Thomas animæ naturam colligit et demonstrat ex ejus operationibus ; passiones ex intima cordis humani scrutatione describit, etc.

Aliunde in sola analysi non sistunt, sed ut cognitiones in unum colligant, synthesim adhibent ; statuuntque principia

universalia et necessaria a quibus scientia suam mutuat firmitatem et certitudinem; et ita miro nexu analysim et synthesini conjungunt.

Confirmatur thesis auctoritate Ecclesiæ, quæ in *Syllabo* sequentem damnavit propositionem : « Methodus et principia quibus antiqui Doctores Scholastici Theologiam excoluerunt temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progrès sui minime congruunt. »

Hinc colliges methodum scholasticam recte vocari *psychologico-rationalem,* quia et ex psychologica experientia et rationalibus principiis conflatur. Humanæ naturæ et humanæ cognitioni apprime congruit.

Sicut homo ex corpore et anima, parte nempe sensibili et parte rationali, absolvitur, ita methodus vera et sensuum experimentis et rationis abstractione utitur ; sicut humana cognitio incipit in sensu et perficitur in intellectu, sic genuina methodus progreditur a sensibilibus, quæ per inductionem et analysim manifestantur, ad universalia et necessaria, quæ sunt synthesi propria.

Inficiandum tamen non est, deficientibus investigationis instrumentis, analysim et experientiam fuisse apud veteres in pluribus neglectas. Quare, licet quoad substantiam et modum procedendi, sit retinenda Scholastica, potest tamen hodie in melius immutari, quatenus, sarta tecta servando veterum principia, plus inductioni et experientiæ indulgent, ac positivis scientiis frequentius innitatur.

Aliunde cavendum est ne scientiæ experimentales supra modum in Philosophia adhibeantur, sicut apud nonnullos fit, quorum philosophia eo pauperior et debiliore vadit quo scientiæ historie», physicae, mathematicae, etc., magis in eorum operibus abundant.

IV. — De cæteris methodis. Non multa hic sunt disserenda. *Idealismus,* qui tenet scientiam esse a priori, jam improbatus remanet ex his quibus ostensum est inductionem, analysim, experientiam requiri omnino ad scientiæ acquisitionem, et amplius confutabitur in Psychologia. *Empirismus,* qui in sola experientia sistit, iterum in Ideologia explodetur,

et jam exsufflatus est sufficienter, siquidem constat inductioni vim infallibilem non competere nisi adjungatur illi aliquod principium universale, et synthesim requiri ad scientiae certitudinem. Methodus vero *onto logistica* in Psychologia expendetur; *Traditionalismus* jam expunctus est (1), et iterum in Psyehologia impugnabitur.

Methodus *auctoritativa* non differt **a** traditionalismo et **ex** iisdem principiis confutatur. Recolantur quæ disseruimus contra illos qui supremum criterium in aliquo extrínseco reponunt. Restat solum ut pauca de methodo ecclectica subjiciamus.

V. — Ecclectismus Vi etymologiae designat quamdam selectionem. Est ergo methodus in hoc consistens quod seligantur et extrahantur veritates in quocumque systemate repertae, a quocumque auctore traditæ. et inde in unum doctrina; corpus adigantur. Duplex est : *absolutus* et *temperatus.* Absolutus dicitur etiam *syncretismus,* et nititur hoc fundamento : Dari non posse errorem purum, cum omnis error sit veritas incompleta, seu relativa; unde heri potest ut, decursu temporum et per indefinitum humanæ rationis progressum, ea quæ prius ut falsa habebantur postea ceu vera agnoscantur. Quare methodi scientificæ erit colligere omnes doctrinas, omniaque elementa quæ in diversis systematibus reperiuntur, ct ex hac cogitationis humanæ historia conflabitur scientiæ aedificium.

Temperatus ecclectismus hæc habet principia : Non omnia quidem in omnibus systematibus vera et perfecta sunt, sed in omnibus, etiam maxime erroneis, aliqua vera falsis admiscentur : philosophi autem erit has veritates seligere et. ex diversis partibus selectis integrum scientiæ systema conticere. Neoplatonici primi referuntur qui eccleclismum docuerint. Syncretismum profitentur Transcendentales Germani eorumque discipuli, Renan, Scherer; ecclectismi autem temperati defensor præcipuus fuit Cousin.

VI.— Conclusio : Ecclectismus, sub quacumque forma consideratus, admitti nequit ut vera philosophandi methodus. Primo, Ecclectismus absolutus simpliciter implicat.

(1) **Tract. IH, q. Il, art ß,**

Error opponitur vero contrarie ; verum enim est simpliciter conformitas, error autem est simpliciter difformités intellectus cum objecto. Sed duo contraria esse idem prorsus repugnat. Ergo implicat errorem esse veritatem etiam incompletam. Unde Ecclectici coacti sunt vel contrariorum Identitatem profiteri, vel concedere verum nihil absoluti extra mentem existentis referre, quod est scepticismus. Insuper, ideo Ecclectici tenent errorem purum cadere non posse in rationem, quia putant rationem esse supremam veri normam. Suprema autem regula veri est Deus. Eccleclismus ergo Pantheismo ansam præhet.

Secundo, quoad Ecclectismum temperatum, animadvertatur opposita systemata prout se mutuo excludunt nihil veri præ se ferre. Sic materialismus quatenus negat esse spiritus et idealismos quatenus negat existere corpora, e regione opponuntur et sunt simpliciter erronei. Ex parte vero qua se complent, v.g,, quatenus materialismus asserit esse corpora et idealismos asserit esse spiritus, legitime ponit Ecclectismus aliqua vera, in falsis systematibus, errori misceri. At etiam hoc modo acceptus nequit adhiberi Ecclectisinus ut genuina philosophandi methodus, propter tria :

I0 Selectio verorum a falsis supponit media, instrumenta, praecepta selectionis. Sed hujusmodi media, praecepta sunt ipsa methodus. Ergo Eccleclismus, nedum methodus sit, methodum supponit. 2° Vera methodus debet esse scientifica, mediaque praebere ad veritates novas addiscendas, scientiamque proprio marte comparandam. Sed Ecclectismus est historicus dumtaxat, tradit solum opiniones aliorum, non autem confert media ad veritatem proprio marte inveniendam. Ergo non est vera philosophandi methodus. 3° Nimis est periculosus. A prudentia est deflectere sese inter verum et falsum injicere, non prius habitis principiis discernendi verum a falso, præsertim cum agitur de juvenibus quibus facilior est deceptio. Ergo Ecclectismus, nisi ipse dirigatur alia jam methodo quæ tradat normas discernendi verum a falso, est periculis refertus. Hinc Ecclectici vel in varios errores inciderunt, vel, tot videntes systemata, et nescientes quibus fiderent, in scepticismum delapsi sunt.

ARTICULUS TERTIUS

DE METHODO DISPUTANDI, SEU DE CONCERTATIONE SCHOLASTICA.

I. — Quid sit disputatio. Definitur a S. Thoma (1) : *Actus syllogisticus unius ad alterum, ad aliquod propositum ostendendum.* Dicitur : I0 actus *syllogisticus,* id est *argumentations,* qui comprehendit et syllogismum proprie dictum et inductionem, et exemplum. 2° *Unius ad alterum,* quia, sicut nullus miles contra seipsum dimicat, ita nullus contra seipsum disputat ; sed duo saltem adsunt contendentes : *opponens,* seu *arguens,* et *respondens.* 3° *Ad propositum ostendendum,* ut innuatur finem disputationis non esse meram logomachiam, nec libidinem rixandi aut adversarium decipiendi et deridendi ; sed veri ostensionem vel obscuri elucidationem. Hinc apparet disputationis utilitas. Quando enim aliquod problema per disputationem in omnes suas facies versatur, æquivocationes tolluntur, vera a falsis secernuntur ; plura quae in expositione thesis caligine involuta erant, in discussione patescunt. Insuper, mens acuitur, promptior et celerior redditur, dum ab arguente agitatur.

Sciendum est autem quadruplicem esse disputationis speciem : *doctrinalem,* seu *didascalicam, dialecticam, tentalivam* et *sophisticam. Didascalica* ea est quæ fit inter docentem et addiscentem, et ordinatur ad scientiam pariendam ; quocirca procedere debet, sicut syllogismus demonstrativus, ex primis, veris, perse notis et scientiæ ilii propriis.

Disputatio *dialectica* procedit ex probabilibus, et ordinatur

(i) Opuse. XXXIX, cap. i.

ad opinionem generandam. *Tentativa* potius tendit ad experimentum de aliquo sumendum per ea quæ nota sunt aut videntur respondenti.

Sophistica tandem est quæ fallaciis utitur et inanem gloriam intendit, ut nempe quis victor et sapiens videatur.

Disputatio porro scholastica, quæ inter discipulos fieri consuevit, habere potest aliquid de disputatione tentativa, imo etiam, ratione modi, aliquid de sophistica, in quantum objiciens aliquid falsum interdum miscet ; sed ratione finis debet semper esse doctrinalis, aut saltem dialectica ; ad hoc enim instituitur ut vera scientia, aut saltem solida opinio, generetur.

II. — Officia disputantium. Ambo contendentes convenire debent in principiis communibus, secus impossibilis evaderet disputatio ; imo etiam in principiis quæ alibi probata supponuntur, secus nimis pateret disputationis ambitus. Oportet insuper ut quæstionem versandam uterque apprime calleat, eodem sensu intelligat, secus extra difficultatis punctum vagarentur.

Respondens tria præstare debet : *exponere, probare, solvere ;* exponit breviter sed clare propositum ostendendum; probat, considerando rationes intrinsecas et extrínsecas et ordinationem hujusmodi motivorum ad invicem, quo clarius et efficacius thesis demonstretur. Demum solvit, vel concedendo, vel transmittendo, vel distinguendo, vel negando.

Opponens, consideratis rationibus eversivis propositi earunique ordinatione ad invicem, sumit contradictoriam propositi, quam statim probare conatur. Uti debet syllogismo simplici et informa perfecta. Permittitur interdum dilemma, et etiam enthymema in concertationis decursu ; sed sorites et polysyllogismus omnino excluduntur. Syllogismus opponentis non debet esse omni ex parte sophisticus ; major generatila ea debet esse quæ non possit simpliciter negari, sed sit vel concedenda vel distinguenda. Negare majorem esset quamdam injuriam objicienti irrogare ; quare, si quando cogitur respondens negare majorem omni ex parte falsam, debet quasi veniam petere, dicendo: *Salva reverentia.* In majore et minore non impugnet objiciens quod non negat defendens, et in conclusione non inferat quod non impetit defendentem, quamvis id sit

verum. Incipere debet ab aliqua ratione eversiva quæ esteras implicite complectatur, adeo ut istæ videantur esse solummodo instantiæ prioris, et naturaliter subinducantur post aptas distinctiones, concessiones, vel negationes respondentis. Quocirca debet arguens praevidere responsiones et distinctiones et semper in sensu ultirnæ distinctionis urgere. Quantum ergo fieri potest, servetur idem impugnationis medium. Quandoque tamen difficultas post paucas instantias totaliter exhauritur, et tunc cavillatio esset in eodem medio instare ; nihilominus debet opponens medium terminum non per saltum dimittere, sed paulatim, et novum medium cum priori ita connectere, et novas objectiones cum præcedentibus ita colligare, ut eadem semper urgeri videatur.

Defensor primo recitat integrum argumentum, postea ad singulas præmissas, redit, de quibus suum profert judicium : *Concedo,* si propositio sit vera; *transmitto, transeat,* si non constet de veritate aut falsitate propositionis, vel, si nihil inde contra ihesim inferri possit. *Nego,* si propositio falsa sit ; *distinguo,* si propositio ambigua sit. Frequentissime datur locus distinctioni, non raro est negandum, aliquando concedendum, juxta versum :

Sæpe nega, concede raro, distinga frequenter.

Praecipuum igitur munus respondentis est distinguere, et perfectus existit disputator qui perfecte noverit distinguere.

Unde quædam de modo distinguendi juverit addere.

III. — De modo distinguendi. Generatine hac ratione proceditur : *Distinguo majorem, contradistinguo minorem, et nego conclus.* Minor *conlradistinguitur,* quatenus membrum quod conceditur in majori negetur in minori, et membrum quod negatur in majori concedatur in minori. Ex : *Quod pendet a corpore est materiale. Atqui anima humana pendet a corpore. Ergo est materialis.* Respondeo : *Distinguo* majorem. Quod pendet a corpore *subjective et intrinsece,* est materiale, concedo ; quod pendet a corpore *objectioe, exlrinsece, instrumenlaliter* tantum, est materiale, nego. *Contradistinguo mi-*

norem : Anima humana pendet a corpore *objective, extrinsece, instnimentaliter,* concedo; *subjective* et *intrinsece,* nego. Et nego conclus.

Formulae distinguendi quasi innumerae sunt ; quasdam ex celebrioribus hic subjicimus.

Per se, per **accidens.** Medicus per se curat, per accidens cantat.

Simpliciter, secundum quid. Projicere merces in mare urgente naufragio, est voluntarium simpliciter, involuntarium secundum quid. — **Directe-indirecte.** Judex vult directejusti tiam, indirecte rei mortem. **— Formaliter, materialiter. Ob**jectum intellectus et objectum voluntatis sunt idem materialiter, formaliter autem sunt diversa. Qui occidit hominem putans esse feram committit homicidium materialiter, sed non formaliter. — **Formaliter, virtualiter, eminenter.** Calor est formaliter in igne, planta ust virtualiter in semine, pentagonum est eminenter in hexagono, perfectiones creaturarum sunt eminenter in Deo.

Formaliter, causaliter. Deus vivificat hominem causaliter seu effective, non forraaliter; anima autem vivificat corpus formaliter. — **Materialiter, seu objective, formaliter, seu subjective.** Beatitudo consistit materialiter et objective in summo bono, quod est Deus ; formaliter et subjective in actu quo prœfatum bonum attingitur. —**I. Formaliter, dispositive, radicaliter, imputative.** Peccata venialia sæpius repetita causant mortale, non iormaliter, sed dispositive ; cupiditas continet omnia mala, non iormaliter, sed radicaliter. Pravus scriptor qui docet furtum, homicidium, fur est et homicida, non formaliter, sed imputative. — **Formaliter, reduplicative, specificative.** Homo ratiocinatur formaliter et reduplicative ut homo, sentit autem specificative ut homo.

Iu actu signato, in aotu exercito. Mater quæ filium verbis increpat, ipsum admonet in actu signato; sivero puerulum propter culpam verberat, increpat in actu exercito. In omni judicio intellectus cognoscit suam conformitatem cum objecto, in actu exercito, non tamen in actu signato. (Tract. II, q. I, a. 2). — **In sensu composito, in sensu diviso.** Sedens potest ambulare **in** sensu diviso, sed non in sensu composito. — **Absolute, by-**

pothetice. Si Petrus sedet, necesse est ipsum sedere, hypothetice, concedo ; absolute, nego.

Antecedente!·, consequenter. Judex antecedenter vult bo* num et vitam omnibus, consequenter vero ad peccatum vult reo màlum et mortem. — In recto, in obliquo. Unitas, seu unum significat principaliter et in recto ens ; minus principaliter et iu obliquo carentiam divisionis. — Univoce, analogice. Animal dicitur univoce de homine et bruto ; ens autem dicitur analogice de Deo et creaturis, de substantia et accidente.

Distributive, collective. Omnes religiosi sunt conventus non distributive, sed collective ; omnes vero homines sunt mortales distributive. — Entitative, denominative, terminative. Creatio est aeterna entitative, temporalis vero denominative; est etiam entitative et formaliter immanens, terminative autem et virtualiter transiens; entitative est infinita, terminative finita.

Essentialiter, accidentaliter, participative. Homo est essentialiter rationalis, accidentaliter doctus ; Deus est ens essentialiter, seu per essentiam, homo vero est ens participative, seu per participationem. — Fieri, lactum esse. In actione successiva prius est fieri quam factum esse; sic prius est calefieri quam calefactum esse ; in actione autem instantánea simul est fieri et factum esse, v.g., simul est inteliigi et intellectum esse.

IV. — Cætera cilicia distinguentis. Quinque munia.incumbunt distinguenti juxta hunc versum :

Divide, defini, concede, negato, probato.

Divide, nempe distingue duplicem propositionis sensum.

Defini, nempe explica, ostende revera propositionem duplici gaudere sensu.

Concede, scilicet partem propositionis veram ; negato, falsam partem ; probato, nempe adjunge rationem cur negaveris.

Ex : *De essentia libertatis est indifferentia. Atqui in Deo non est indifferentia. Ergo in Deo non est libertas.*

Divide. De essentia libertatis est indifferentia *activat* concedo ; *passiva,* nego. Conlradist. min. et neg. conclus.

Defini. Ut ostenditur in Psychologie, duplex est indifferentia; una *passiva* et suspensa, quæ est capacitas ad plures

determinationes recipiendas ; altera *activa,* quæ importat eminentiam voluntatis ad plura objecta, ita ut non necessario ad hnum determinetur.

Concede. Hæc indifferentia* est de essentia libertatis, ut ibidem ostendetur.

Negato. Sed nego indifferentiam passivam esse de libertatis essentia.

Probato. Nam hæc indifferentia innuit suspensionem, po» tenlialitatem, imperfectionem. Porro imperfectio non potest esse constitutivum libertatis essentiale, quæ in suo conceptu nonnisi perfectionem involvit. Eodem modo proceditur ad minorem.

Quando distinctio ex se liquet, necesse non est multas adjungere rationes, præsertim si opponens statim instantias inducat.

Quandoque sufficit conclusionem distinguere ; nonnunquam duplici vitio laborat argumentum, et tunc dupliciter responderi potest. Resp. : I0 Nego majorem, quia... resp. : 2° Transmissa majore, dist. min., vel neg. min., vel dist. conclus. Si argumentum non est in forma, possunt concedi major et minor et negari conclusio ; si argumentum non est ad rem, sufficit reponere : Concedo totum, at nihil inde contra thesim.

V. — Soberna disputationis scholasticae.

Detendens, stans, hoc modo incipit : Thesis propugnanda sic se habet : *Facultates inter et essentiam animæ realis viget distinctio.* Tunc sedet, thesim exponit et probat. Postea surgens : *Ita videtur probata thesis; si qua tamen obscura remanent, forsitan ex discussione patebunt.* Iterum sedet ; tunc **Opponens** : *Optime thesim exposuisti et probasti, attamen ego contra : Facultates inter et essentiam animæ nulla realis viget distinctio. Ergo falsa thesis.*

Defendens : *Sic favet insurgere contra thesim meam N. studens philosophise et carissimus condiscipulus. Facultates inter... nulla viget distinctio... faveas probare antecedens.*

Opp. Probo. Id a quo desumitur differentia essentialis non distinguitur ab essentia. Atqui facultates sunt id a quo desumitur differentia essentialis. Ergo.

Reap. JL)ist. maj. Id a quo desumitur, id est *constituitur* differentia essentialis, non distinguitur ab essentia, concedo ; id a quo desumitur, id est *cognoscitur* differentia essentialis non distinguitur ab essentia, nego. Contradist, min. Facultates sunt id aquo sumitur, id est, *cognoscitur* differentia essentialis, concedo ; sunt id a quo *constituitur* differentia essentialis, nego. Et nego conclusionem.

Explico. Id a quo differentia essentialis desumitur potest esse vel ejus *constitutivum* vel ejus *mani/estativum.* Si sit constitutivum, ad essentiam sane pertinet ; si autem sit solum manifestativum, non inde arguitur essentiale, quia res ex acci·* dentibus dignosci potest.

Opp. Atqui facultates sunt id a quo *constituitur* differentia essentialis. Ergo stat difficultas.

Resp. Faveas probare subsumptum.

Opp. Probo. Id a quo constituitur differentia essentialis est sensitivum vel intellectivum. Atqui sensitivum et intellectivum sunt facultates. Ergo facultates sunt id a quo differentia constituitur.

Resp. Dist. maj. Differentia essentialis est sensitivum vel intellectivum sumptum pro *primo principio vitæ sensitivas vel intellectivae,* concedo ; sumptum pro *ipso sensu vel intellectu,* nego. Contradist. min. Sensitivum vel intellectivum sumptum *pro sensu vel intellectu* est facultas, concedo ; sumptum pro *primo principio vitæ* sensitivæ vel intellectivae, nego. Et nego conseq.

Explico. Sensitivum et intellectivum non raro usurpantur pro primo et radicali principio vitæ sensitivæ et intellectivae, quo modo non designant facultates, sed ipsam animæ essentiam, ut est radix sensib¡litatis vel rationalitatis. Alio modo, sumuntur pro sensu vel intellectu, qua acceptione non sunt differentia essentialis, sed solum id ex quo differentia essentialis innotescit.

Opp. Atqui intellectivum sumptum pro intellectu est differentia essentialis. Ergo remanet tota difficultas.. Illico probo antecedens. Quod ingreditur rei conceptum est differentia essentialis. Atqui intellectivum sumptum pro intellectu, ingreditur animæ conceptum. Ergo est differentia essentialis.

Resp. Disi. maj. Quod ingreditur conceptum rei ut prædicatum *essentiale* et *constitutivum,* est differentia essentialis, concedo ; quod ingreditur conceptum rei ut *proprium consecutivum,* est differentia essentialis, nego. Contradist. min. Intellectivum sumptum pro intellectu ingreditur animæ conceptum, ut *proprium consecutivum,* concedo; ut *essentiale constitutivum,* nego. Et nego conseq.

Explico. Aliquid potest rei conceptum ingredi dupliciter: ut constitutivum, et ut consecutivum. Constitutiva dicuntur predicata essenlialia, inler quæ invenitur differentia essentialis ; consecutiva autem sunt proprietates quæ ab essentia necessario dimanant, sed ab ea realiter distinguuntur, frteilcclus porro est hujusmodi ; ingreditur animæ conceptum, ut proprietas, non vero ut prædicatum essentiale.

Opp. Insto in sensu distinctionis. Consecutivum, seu proprietas, non potest esse accidens. Atqui quod non est accidens ingreditur rei conceptum ut prædicatum essentiale et ut differentia essentialis. Ergo et consecutivum rei est differentia essentialis. Ergo nulla distinctio.

Resp. Dist. maj. Proprietas non potest esse accidens *predicabile,* concedo ; *prædicamentale* nego. Contradist. min. Quod non est accidens *predicabile* nec *prædicamentale,* est prædicatum essentiale, concedo; quod non est accidens *predicabile,* sed est accidens *prædicamentale,* est prædicatum essentiale, nego. Et nego conseq.

Explico. Maxima intercedit differentia inter accidens prædicamentale et accidens predicabile. Accidens predicamentale designat ens quod non existit in se, sed in alio ; accidens vero predicabile importat aliquid quod potest esse vel abesse, salva rei essentia. Inter essentiam et accidens prædicamenlale non datur medium, inter essentiam vero et accidens predicabile mediat aliquid, scilicet proprium. Intellectus porro et cætere facultates sunt hujusmodi : non sunt essentia, nec accidentia prædicabilia, sunt tamen accidentia predicamentalia, ab essentia distincta quidem, sed inseparabilia.

Opp. Insto. Accidentia hujusmodi essent partes animæ. Atqui repugnat ut sint partes in anima. **Ergo.**

Resp Dist. maj. Essent parrtes *potestative,* concedo ; essent

partes *essentiales* vel *integrales,* nego. Contradist. min. Repugnat ut sint in anima parles *essentiales* vel *integrales,* concedo ; ut sint partes *potestalivæ,* nego. Et nego conseq.

Explico. Partes essentiales dicuntur partes physicæ, sicut inateria et forma ; partes vero integrales illae sunt quæ adintegrant totum, seu complent ejus quantitatem, ut pedes, brachia, etc., quæ partes manifeste excluduntur ab anima. Partes vero potestativae sunt principia operativa, quæ in essentia radicantur. Minime autem repugnat ut principia operativa in animæ essentia ceu in subjecto radicentur.

Opp. Insto. Etiam partes potestativae repugnant animæ. Ergo remanet difficultas. Probo antecedens. Ânimæ competit perfecta simplicitas. Atqui perfecta simplicitas excludit omnem compositionem ex partibus. Ergo anima excludit compositionem etiam ex partibus potestativis.

Resp. Dist. maj. Animæ competii perfecta simplicitas, *quæ convenit substantiæ creatæ* et *formæ corporis,* concedo ; simplicitas *quæ convenit actui vuro,* nego. Contradist. min. Simplicitas perfecta *quæ convenit actui puro* excludit omnem compositionem, concedo ; simplicitas *substantiæ creatæ* quæ est corporis forma, nego et nego conseq.

VI. — De disputatione solemni. Regulæ hucusque assignatæ servandœ sunt etiam in disputatione solemni ; sed hoc in casu adhibere decet exquisitiorem argumentandi formulam. In 'Gallia hac uti solent : *Si prius jusserit reverendissimus superior, vel* (si adsit Episcopus) *Illustrissimus ac Reverendissimus Præsul, et annuerint sapientissimi magistri, faveritque ornatissima adstantium corona, argumentabor, dilectissime condiscipule, contra unam e thesibus tuis sic positam :* Facultates' ínter ἐτ· èssentiam animæ realis viget distinctio. *Ego vero contendo : Nulla realis viget distinctio, unde mihi videtur minus recte posita tua thesis.*

Mos est ut præter discipulos, argumententur alii sive ex magistris sive ex adstantibus. Isti etiam forma syllogistica uti debent ; sed fert mos ut in disputationis exitu aliquid extra formam objiciatur. Ex. : Impugno nunc tuam thesim : 1° experientia, quæ oppositum testatur ; 2° ex testimonio scientifi-

eorum, qui contrarium docent ; 3° ex inconvenientibus innumeris quibus illa sententia scatet.

Defendens singulis respondet brevi, dilucido el quasi oratorio sermone.

His omnibus de logicali disciplina traditis, habet sibi ratio media et normam ad veritatem naturalem consequendam, qua cognita, ulterius per gratiam progrediendum est ad Eum Qui est prima Via primaquo Veritas et Vita, et cujus visio erit ultimus animæ finis suminaque beatitudo.

Explicit Logica.

INDEX RERUM ANALYTICUS

PH1L0S0PHIÆ PROLEGOMENA

ARTICULUS PRIMUS

De Philosophia in genere.

I. Vocabuli fortuna. — II. Philosophi» definitiones. — III. Rectæ definitiones. — IV. Explicatur definitio. — V. Quid per causas altissimas intelligatur. — VI. Dicitur naturali rationis lumine comparata. — VII. Objectum Philosophiae. — VIII. Philosophi» excellentia, utilitas, necessitas. — IX. Jucunditas ex Philosophi» studio proveniens. — X. Partitio Philosophi». — XI. De ordine partium Philosophi». 1

ARTICULUS SECUNDUS

De Existentia et causis Philosophise.

I. Quaestio. II. Prima conclusio : Existit aliqua veri nominis Philosophia. — III Secunda conclusio : Non existit Philosophia in statu perfecto. — IV. Tertia conclusio : In statu præsenti naturæ humanæ, non existit Philosophia quæ possit de Deo et veritatibus religiosis ac moralibus ordinis naturalis sufficientem præbere cognitionem, ut homo recte et honeste vivere queat. — V. De causis Philosophias. — VI. Causae efficientes. — VIL Causa occasionalis est admiratio. — Vili. Causae formalis, materialis et finalis..... 13

LOGICA

APPARATUS AD TOTAM LOGICAM

I. Logicæ definitio, — 11. Logicæ objectum. — III. Prima conclusio : Sub objecto materiali Logicæ continentur omnia quæ sunt materia discursus et etiam tres mentis operationes : apprehensio nempe, enunciatio, argumentatio. — IV. Objectum formale. — V. Ens rationis. — VI. Secunda conclusio : Objectum formale Logicæ non sunt voces, nec etiam tres mentis operationes ; sed ens rationis ut direc* tivum trium mentis operationum. — VII. Solvuntur difficultates. —* VIII. An Logica sit scientia. — IX. Prima conclusio : Logica est vera scientia. — X. Secunda conclusio : Logica est scientia tota speculativa. — XL Logicæ divisio. — XII. Præstantia Logicæ. — XIII. Prima conclusio : Ad acquirendas scientias in statu imperfecto, non requiritur Logica artificialis. — XIV. Secunda conclusio : Logica artificialis necessaria omnino est ad cæteras scientias perfecte addiscendas. — XV. Tertia conclusio : In demonstrationibus aliarum scientiarum forma syllogistica efficitur a Logica. — XVI. Logica est omnia et nihil. — XVII. De Logicæ fortuna. — XVIII. Scriptores de re logica..... 17

LOGICA MINOR SEU DIALECTICA

TRACTATUS PRIMUS

DE SIMPLICI APPREHENSIONE EJUSQUE SIGNO NEMPE TERNI'O

QUÆSTIO PRIMA

De elementis simplicis apprehensionis.

ARTICULUS PRIMUS

Prsenotiones generales.

I. Quid sit cognitio. — II. Cognitionis elementa. — 111 Cognitionis divisio, — IV. Species sensibilis, phantasmata, idea. —› V. Verbum, con-

ceptus. — VI. Intentio, notio, not®. — VII. Simplex apprehensio. — Vili. Diversi actus qui reducuntur ad apprehensionem - - - 30

ARTICULUS SECUNDUS

De divisione conceptuum.

I. Quatuor divisionis fontes. — II. Ex parte objecti, conceptus est positivus vel negativus. — III. Conceptus simplex, conceptus compositus. — IV. Conceptus geometricus et purus. — V. Conceptus concretus et abstractus. — VI. Conceptus intentionis primæ et intentionis secund®. — VII. Conceptus singularis ct universalis. — VIII. Conceptus particularis et generalis. — IX. Conceptus particularis dividitur in particularem determinatum et particularem indeterminatum. — X. Conceptus generalis dividitur in distributivum et collectivum. — XI. De secunda partitione conceptuum : ex modo repr®senlandi. — XII. — De tertio fonte divisionis conceptuum, nempe ex comparationes idearum inter se. — XIII. De quarta partitione conceptuum, nempe ratione originis sc-u in ordine ad mentem. — XIV. Schemg. omnium conceptuum..... 36

ARTICULUS TERTIUS

De univocis analogis, etc.

I. De univocis. — II. Analoga. — III. Divisio analogi®. — IV Conditio analogorum. — V. Modus loquendi sancti Thom®. — VI. De Æquivocis. — VII. De Denominativis. — Vili. Sc-holion de causis analologi®..... 45

ARTICULUS QUARTUS

De transcendentalibus et universalibus.

I. De transcendentalibus. — II. Universale. — III. Universale directum, reflexum. — IV. Prædicabilia. — V. Quinarius est prædicabilium numerus. — VI. Definiuntur et explicantur prædicabilia. — VII. Definitio prædicabilium in abstracto. — VIII. Quæstio: An necesse sit universale esse actu in multis.— IX. Conclusio : Non potest dari genus habens unicam speciem : bene autem dari potest species habens uni-

cum individuum. — X. An species habens unicum individuum dici possit universalis. — XI. Quomodo exprimenda sint universalia. 52

ARTICULUS QUINTUS

De universalibus in particulari.

I. De genere. — II. Quid sit genus sumi a materia. — III. De multiplici differentia. — IV. Qua ratione differentia dicatur universalis. — V. De specie. — VI. Qua ratione species dicatur universalis. — VII. Speciei corresponde! individuum.— Vili. De proprio. — IX. Proprium habet rationem universalis per respectum ad individua speciei. — X. De accidente. — XI. Accidens habet rationem universalis per ordinem ad subjecta qua? denominat, non vero per respectum ad propria inferiora..... 60

ARTICULUS SEXTUS

Universalium coordinatio.

I. Genus dividitur in supreinum seu generalissimum, in subalternum seu medium et in infimum seu proximum. — II. Species dividitur sicut genus. — III. Triplex etiam est differentia. — IV. Arbor Porphyliana. — V. Scholion : quidam modi loquendi..... 67

ARTiCULUS SEPTIMUS

De praedicamentis, seu categoriis in genere.

I Aristotelis tractatus. — IL Anteprædicamenta quinque assignantur. — iII. Conditiones ut aliquid poni possit in praedicamento. — IV. Definiuntur Praedicamenta : Suprema genera ad quae revocantur omnia quæ prædicari possunt de omni ente aliquam essentiam babente. — V. Duplex consideratio praedicamenti. — VI. Praedicamentum logice acceptum. — VII. Praedicamentorum numerus. — VIH. Do differentia inter accidens praedicabile et accidens prœdieamentale, 70

ARTICULUS OCTAVUS

Explicantur singulæ categories.

I Substantia. — II. Quantitas. — III. Qualitas. -- IV. Relatioi — V. Actio. — VI. Passio. — VII. Ubi. — VIII. Situs. — ¡X. Quando. — X. Habitus..... 77

ARTICULUS NONUS

De poslprædicamentis.

I. Postprœdicamenta. — II. Oppositio. — III. Prioritas. — IV. Simultas. — V. Motus. — VI. De modo **habendi**..... 84

QUÆSTIO SECUNDA

De his quibus manifestatur simplex apprehensio.

ARTICULUS PRIMUS

De signis ei terminis.

I. Signum in communi. — II. Signum dividitur in formale et instrumentale. — HI. Ali® partitiones signi. — IV, In quo prœdicamenlo sit reponendum signum in communi, et an debeat esse aliquid sensibile. — V. Signa logica. — VI. De sermone. — VII. Inter omnia signa vocabula principatum obtinent. — VIII. Nomen. — IX. Verbum..... 90

AIUIGULUó SLCUNDUS

De divisione et proprietatibus terminorum.

I. Terminorum divisio. — II. De suppositione. — III. Suppositio termini non habet locum extra propositionem. — IV. Suppositionis partitiones. — V. De descensu. -- VI. Suppositio distributiva, collectiva, disjunctiva et disjuncta. — VII. llegulao suppositionis. — VIII. Appellatio. — IX. Regulae appellationis. — X. Ampliatio. — XI. Restrictio. — XII. Alienatio..... 98

QUÆSTIO TERTIA

De modo solendi.

ARTICULUS PRIMUS

De modo sciendi in communi.

f, Modus sciendi sumitur tripliciter. — II. Quid oratio. — 111. Sola oratio enunciativa pertinet ad logicam. — IV. Conditiones modi sciendi.

⊢ V. Modi sciendi tres recte assignantur : Definitio, divisio, argumentatio. — VI. Solvitur **dubium**..... « . 105

ARTICULUS SECUNDUS

De definitione.

F. Notio definitionis, — II. Definitio nominis èt rei. — III. Definitio conceptualis. — IV. Subdivisiones definitionis realis. — V. Regulae quoad definitionem. — VI. Regulae quoad definitum. — VII. Processus ad inveniendas definitiones duplex est : descensivus et ascensivus..... 108

ARTICULUS TERTIUS

De divisione.

I. Notio divisionis. — II. Totum reale. — III. Totum logicum. — IV. Totum potestativum. — V. Reguiœ divisionis. — VI. Divisionis utilitates. — VII. Divisio secundae operationi praesertim deservit . 113

TRACTATUS SECUNDUS

DB SECUNDA MENTIS OPERATIONE, NEMPE JUDICIO, BJUSQUB SIGNO, NEMPE PROPOSITIONE

QUÆSTIO PRIMA

Be natura et partitionibus judicii.

ARTICULUS PRIMUS

De natura judicii.

If Judicii notio. — II. In judicio tria sunt elementa distincta. — III. De actibus qui requiruntur ad judicium. — IV. Judicium qualitas sim plex. — V. Objicies. — VI. Judicii diversa nomina. — VII. Judicio proprium est..... 116

ARTICULUS SECUNDUS

Judiciorum partitio.

I. Judicium certum, prudens, etc. — If. Judicium immediatum et mediatum. — III. Judicium analyticum, syntheticum. — IV. Num sit medium inter judicium syntheticum et analyticum. —V. Conclusio. Repugnant judicia synthelica a priori qualia a Kanlio adstruuntur. — VI. Judicium attributionis et judicium existentiœ - - - - 123

QUÆSTIO SEGUNDA

De propositione ejusque partitionibus.

ARTICULUS PRIMUS

De propositione in genere.

I. Enunciatio. — II. Propositionis definitio. — 111. Elementa propositionis. — IV. Propositio de primo, de secundo, de tertio adjacente. — V. Naturalis ordo in terminis propositionis. — VI. An veritas propositionis sit significatio veri. — VII. De interpretatione. — Vili. De propositione mentali..... 127

ARTICULUS SECUNDUS

De propositionum speciebus.

I. Ad quatuor re.ertur propositio. — II. Ratione materine. — III, De modis prædicandi per se. — IV. Ratione formæ. — V. Qua ratione negatio afflcere debeat copulam. — VI. Ex parte qualitatis. — V1Ï. Suppositio subjecti in propositione indefinita. — VIII. Triplex universalitas. — IX. Extensio prædicati. — X. Prædicati comprehensio..... 131

ARTICULUS TERTIUS

De divisione propositionis ratione unitatis.

I. Unitas simplicitatis et compositionis in propositione. — II. Divisio in categoricam et hypotheticam est divisio essentialis. — III Propo-

sitio occulte simplex. — IV. Propositio incidens. — V. Propositionis compositas divisiones. — VI. Propositionis aperte composita praeipua species sunt : copulativa, causalis, rationalis, discretiva relativa, hypothetica. — VII, Propositio hypothetica. — VIII. Triplicem distinguunt propositionem hypotheticam : conditionalem, disjunctivam et conjunctivam. — IX. Regula hujus propositionis. — X. Regula propositionis proprie disjunctiva. — XI. Disjunctiva resolvi potest in conditionalem. — XII. Conjunctiva..... 138

ARTICULUS QUARTUS

Propositiones exponibiles.

I. Propositiones exponibiles. — II. Exclusiva. — III. Exceptiva. — IV. Comparativa. — V. Propositio reduplicativa 144

ARTICULUS QUINTUS

De modalibus

I. Notio modi. — II. Divisio modi. — III. Quid requiritur ad essentiam propositionis modalis. — IV. De re, de dicto. — V. Necessitas consequentia et consequentis. — VI. Sensus compositas et sensus divisus. — VII. Potentia antecedens et consequens. — VIII. Modalium quantitas ex parte subjecti. — IX. Quantitas ex parte modi. — X. Quid sit forma in modalibus. — XI. Quadruplex fleri potest dispositio affirmationis et negationis in modalibus. — XII. Quid sit propositio officiane. — XIII. Schema omnium propositionum . . . 146

QUÆSTIO TERTIA

De proprietatibus propositionum.

ARTICULUS PHIMUS

De oppositione.

I. Quid oppositio. — JI. Quoluplex oppositio. — III. r,'finiun!ur diversea oppositionum species. — IV. Quomodo designentur propositiones. — V. Oppositionum schema. — VI. Leges propositionum oppositarum. — VII. Maxima omnium oppositionum est contradic-

tona. — Vili. Natura divisionis in oppositione. — IX. Oppositio modalium.....153

ARTICULUS SECUNDUS

De conversione propositionum.

I. Quid conversio. — II. Quotuplex conversio. — III. Regulas conversionum. — IV. De conversione propositionis singularis. . . 158

ARTICULUS TERTIUS

De æquipollentia propositionum.

I. Definitur æquipollentia. — II. Conditiones æquipollentiœ. — III. Regula æquipollentiœ. — IV. Signa æquipollentiœ. — V. Subcontract non sunt capaces æquipollentiœ.— VI. De æquipollentia modalium — VII. Schema æquipollentium modalium - - - - - - - 161

TRACTATUS TERTIUS

OB RATIOCINIO EJUSQUE SIGNO NEMPE ARGUMENTATIONE

QUÆSTIO PRIMA

De syllogismo secundum se.

ARTICULUS PRIMUS

De ratiocinio et argumentatione in genere.

1. Ratiocinii definitio. — II. In ratiocinio unum cognoscitur ex alio — HI Materia et forma ratiocinii. — IV. Conditiones ad ratiocinium requisita. — V. Divisio ratiocinii. — VI. Exemplum non dilTert specie ab inductione.....165

ARTICULUS SECUNDUS

De syllogismo quoad suam materiam, suam formam suague principia.

I. Syllogismi definitio. ~ II. Materia .syllogismi. — III. Quid sit pannus præmissarnm et conclusionis. —IV. Syllogismi forma. - V. De

consequentia. — VI. Leges consequentiæ. — VII. Principia syllogismi. — Vili. De valore syllogismi contra Stuart Mill. — IX. De historia et fortuna syllogismi..... 467

ARTICULUS TERTIUS

De regulis syllogismi.

I. Enumerantur Syllogismi regulæ. — II. Prima regula. — TU. Secunda regula. — IV. Tertia regula. — V. Quarta regula.— VI. Quinta regula. — VII. Sexta regula. — VIII. Septima regula. — IX. Octava regula. — X. De reductione regularum ad unam..... <77

ARTICULUS QUARTUS

De syllogismo in ordine ad formam prout disponit terminos^ seu de figuris.

1. Figurae definitio. — II, Triplex figura. — III. Non datur quarta figura realiter distincta a prima. — IV. Leges primæ flguræ. — V. Leges secundæ figura. — VI. Leges tertiæ flguræ. — VIL Leges flguræ galenica..... . 481

ARTICULUS QUINTUS

De syllogismo in ordine ad formam prout disponit propositiones, seu de modis.

Ï. Definitio modi. — Ii. Quot modi possibiles. — III. Quot vero legitimi sint. — TV. Non omnes ex his modis in se legitimis conveniunt singulis figuris. — V. Novemdecim modi. — VI. Tabula omnium modorum legitimorum. — VII. Schohon. De quantiflcatione pradicati..... 186

ARTICULUS SEXTUS

De reductione modorum.

I. Ratio articuli. — II. Quid sit reductio. — III. Conditiones reductionis directa. — IV. De reductione ad impossibile. — V. Conditiones reductionis indirecta. — VI. Prima conditio. — VII. Secunda conditio 194

ARTICULUS SEPTIMUS

De inventione medii,

. Halio articuli. — II Prima regula. — III. Secunda regula. —IV. Tertia regula. — V. Quarta regula. — VI. Quinta regula. — VIL Sexta regula.— VIH. Septima regula.....200

QUÆSTIO SECUNDA

De partitionibus syllogismi.

ARTICULUS PRIMUS

De divisione syllogismi ex parte formæ,

1. Syllogismus formatus et informis, — II. Divisio syllogismi formati. — III. Enthymema in sensu veterum. — IV. In sensu recentiorum. — V. Quænam sit præmissa subaudita in enthymemate. — VI. Epicherema. — VII. Dilemma. — Vili, Dilemmatis regulæ. — IX. Sorites aristotelicus. — X. Sorites goclenius. — XL Sorites Chrysippeus. — XII. Polysyllogismus..... 202

ARTICULUS SECUNDUS

De cæteris syllogismi divisionibus.

I. De divisione syllogismi ratione materis. — 11. Syllogismus simplex- — III. Syllogismus compositus. — IV. Conditionalis. — V. Syllogismus disjunctivus. — VI. Syllogismus conjunctivus. — VII. De syllogismo modali. — Vili. Crux logicorum. — IX. Syllogismus expositories. — X. Syllogismus ex obliquis. — XI. Utilitas omnium hucusque expositorum 207

LOGICA MAJOR SEU CRITICA

TRACTATUS PRIMUS

Mt PROBLEMATIBUS QÜÆ SPECTANT PRIMAM MENTIS OPERATIONEM

QUÆSTIO UNICA

De universalibus

ARTICULUS PRIMUS

De natura universalium.

1. Multiplex acceptio universalis. — II. Duo sunt de conceptu universa* lis in essendo. — Iff. Triplex status naturae. — IV. Comparatur universale metaphysicum in sensu præcfaivo cum universali logice. — V. Ad efformandum universale metaphysicum sufficit abatractio ; ad efformandum 'vero universale logicum requiritur insuper comparatio. — VI. Quæ sit autem ista relatio quæ constituit universale logicum. — VII. Quid sit praedicari. — VIII. Quid requiritur ut aliquid sit prœdicabile de multis. — IX. Universalium proprietates . 217

ARTICULUS SECUNDUS

Systemata quæ omnem realitatem denegant universalibus.

I. Referuntur sententias. — II. Nominalismus. — III. Conclusio : Falsus et absurdus est nominalismus absolutus. — IV. Conceptualismus. — V. Conclusio : Etiam Nominalismus temperatus, seu Conceptualismus, est omnino rejiciendus. — VI. Solvuntur difficultates 225

ARTICULUS TERTIUS

De falso realismo.

I. Diverses formæ realismi. — [I. Prima conclusio : Realismus platónicas omnino repugnat. — III, Secunda conclusio : Realismus ontologisticus aut punctum difficultatis non attingit, aut incidit in pantheismum. — IV. Objicies. — V. Tertia conclusio : Natura non est actu universalis ante operationem intellectus, ideoque repugnat realismus empiricus Gilberti et ejus scholæ. — VI. Quarta conclusio : Licet natura secundum se dici possit communis negative, tamen ut est in re et extra intellectum nullatenus dici potest communis nec positive, nec negative : ideoque repugnat realismus Scotistarum. — VII. Solvuntur difficultates. — VIII. Quæstio. — IX. Quinta conclusio : Ista aptitudo, seu non repugnantia, quæ est fundamentum proximum universalitatis, nullo modo invenitur in natura secundum se, neque ut contracta in individuis, sed solum in natura præcisa per intellectum. — X. Quæ unitas competat naturæ a parte rei in singularibus exislenti. — XL Quænam praedicata conveniant naturæ a parte rei exislenti?..... 231

ARTICULUS QUARTUS

Systema asserens universalia esse partim in rebus partim in intellectu, seu realismus temperatus.

1. Tria asserta realismi temperati. — II. Ostenditur primum assertum. — III. Ostenditur secundum assertum. — IV. De tertio asserto. — V. Solvuntur difficultates. — VI. Præcedentium recapitulatio. 239

ARTICULUS QUINTUS

De utilitate tractatus universalium.

I. Ratio articuli. — II. Praecipua hodierna systemata ad quaestionem universalium reducuntur. — III. Subjectivismus et criticismus cum doctrina universalium comparatur. — IV. Materialismus comparatur cum doctrina universalium. — V. Ontologismus et doctrina universalium. — VI. Pantheismus et doctrina universalium. — VII. Intellectualismuset doctrina universalium. — VIII. Utilitas quaestionis universalium in Theologia. 244

TRACTATUS SECUNDUS

QUÆ8TJ0NE8 QUÆ SPECTANT SECUNDAM MENTIS OPERATIONEM

QUÆST1O PRIMA

De veritatis natura.

ARTICULUS PRIMUS

De statibus mentis in ordine ad veritatem.

[. Notio veritatis. — II. Quatuor status mentis respectu veritatis. — 111. Ignorantia. — IV. Ignorantias cans®. — V. Error. — VI. Erroris causæ. — VII. Dubium. — VIII. An dubitatio supponat judicium. — IX. Opinio. — X. Opinio requirit aliquem voluntatis influxum, non tamen procedit ex perfecta voluntate. — XI. Certitudo. — XII. Certitudinis gradus. — XIII. Certitudinis divisio. — XIV. Certitudo immediata, mediata. — XV. Certitudo metaphysics, physica, moralis. — XVI. Certitudo absoluta, hypothetica. — XVII. Certitudo metaphysics, physica, moralis, sunt tres certitudines specie divers®. — XVIII. Certitudo vulgaris et philosophica. — XIX. De certitudine analogice sumpta. — XX. Certitudo cognitionis et certitudo causali latis. —XXI. Quomodo differant certitudo et veritas 249

ARTICULUS SECUNDUS

Quibus actibus veritas attingatur.

I. Qunstio solvenda. — II. Duplex apprehensio. — 111. Prima conclusio : Simplici apprehensioni ineat veritas formulis, licet imperfecto modo. — IV. Secunda conclusio : Apprehensioni incomplexa) nunquam admiscetur falsitas, complex® vero falsitas per accidens subesse potest. — V. Tertia conclusio : In sensibus non est proprie et formaliter veritas ; bene tamen veritas quædam materialis. — VI. Quarta conclusio : Veritas aut falsitas perfecta habetur in intellectu componente et dividente, seu in judicio. — VII. Veritas est in judicio tanquam in summo analogato. — VIII. Solvuntur difficultates. — IXi De ratione formali veritatis logicæ constitutiva.» X. De ipsa adæquatione. — XI. Quid sit res cui intellectus dicitur adœquari..... 264

QUÆSTIO SEGUNDA

De veritatis existentia.

ARTICULUS PRIMUS

Dé scepticisme universali absoluto.

Dogmatismus et scepticismus. — II. Scepticism! brevia historia. — III. Scepticism! causse. — IV. Scepticismi divisio. — V. Principia scepticism! absoluti. — VI. Prima conclusio : Scepticismus ita absurdus est ut propugnari non possit quin eo ipso impugnetur. — VII. Secunda conclusio : Scepticismus ut factum et ut doctrina est impossibilis. — VIII. Tertia conclusio: Scepticismus nature adversatur, reddit vitam impossibilem, moralitatem evertit. —IX. Solvuntur difficultates..... 274

ARTICULUS SECUNDUS

De scepticisme hypothetico,

I. Exponitur dubium cartesianum. — II. Prima conclusio : Methodus cartesiana praecludit omnem viam ad philosophandum. — III. Se* eunda conclusio : Methodus cartesiana contradictionibus implicatur. — IV. Tertia conclusio : Principium : *Cogito ergo sum* per se nihil probat. — V. Quarta conclusio : Dubitatio cartesiana sive ut doctrina sive ut factum est prorsus impossibilis. — VI. Quinta conclusio : Absurda est hypothesis genii maligni qui perpetuo nos illuderet» · 285

ARTICULUS TERTIUS

De dubio methodico.

I. Quid dubium methodicum. — II. Dubitatio methodica philosopho utilis est et necessaria, modo intra debitos limites contineatur. — III. Prima conclusio : De veritatibus primariis non potest etiam fíete dubitari. — IV. De tribus veritatibus primariis. — V. An tres illæ veritates sint revera fundamentum certitudinis. — VI. De cesteria veritatibus primis. — VII. Secunda conclusio : De aliis veritatibus certis, ut sunt conclusiones quæ necessario et evidenter fluunt ex primis principiis, non licet dubitare realiter ; fictive autem dubitare licet et expedit. — Vili. Tertia conclusio : Licitum est dubium reale circa ea omnia quæ non necessario et evidenter deducuntur ex primis principiis, vel quæ experientia et inductione sufficienti explorata non sunt, imo etiam in veritatibus certis et evidentibus circa quosdam respectus qui non sunt in ipsis evidentes et necessarii. —IX.

Quarta conclusio : In quacumque materia cessare debel dumum facta evidentia vel veritatis vel credibilitatis..... 293

QUÆSTIO TERTIA

De veritatis criteriis.

ARTICULUS PRIMUS

De notione et divisione criterii.

I. Duplex acceptio erib-rii.— II. In ulraque acceptione criterium distinguitur formaliter tum a facultate cognoscente, turn ab objecto cognito- —III. Criterii divisio. — IV. Criterium internum adœquate sumptum dividitur in subjectivum et objectivum..... 298

ARTICULUS SECUNDUS

De criterio sensuum externorum.

I. Notio sensus. — II. Sensibile. — III. Triplex distinguitur sensibile : proprium, commune et. per accidens. — IV. Conditiones sensibilis per accidens. — V. Opiniones circa veritatem sensuum. — VI. Prima conclusio: Veracitassensuum est veritas tam obvia et primaria ut demonstrari nec debeat nec possit.— VII. Secunda conclusio : Corpora externa verain habent objectivitatem et causa; sunt sensalionùm. — Vili. Tertia conclusio : Sensus externi attingunt immediate objecta externa, non vero proprias allectiones. — IX. Quarta conclusio : Sensus circa sensibile commune veraces per se quidem sunt, non tamen absolute nisi conjunctim sumantur. —X. Quinta conclusio : Circa sensibile per accidens, sensus infallibiles sunt in renuntiando exislentiam alicujus subjecti in genere ; minime autem in referendo quodnam sil hnc subjectum in speciali. — XI. Sexta conclusio : Circa sensibile proprium, positis conditionibus requisitis, sensus omnes infallibiles sunt, ne exceptis quidem visu et auditu.— XII. Objectiones ex scientiis desumptae, — XΠI Solvuntur generales difficultates contra sensuum veracitatem..... 301

ARTICULUS TERTIUS

De criterio exterarum facultatum coguoscitivarum^ sensuum nempe internorum et intellectus.

I» Seusus interni. — II. Conclusio : Omnes sensus interni per se sunt veraces ; speciatim autem conscientia intra limites proprii objecti

est criterium omnino infallibile. — III. Facultas intellectiva. — IV. Prima conclusio ; Veracitas intelligenti» proprie demonstrari nec debet nec potest ; iis tamen qui aliquam certitudinem admittunt certo et evidenter probari potest. — V. Secunda conclusio : Ratio humana in inferendis per ratiocinium conclusionibus per se infallibJis est, licet falli possil. per accidens. — VI. De valore idearum objective. 315

ARTICULUS QUARTUS

De criterio objectivo quod est evidentia.

I. Ratio articuli. — II. Evidentiœ notio. — III. Explicatur quid sit fulgor objecti. — IV. Differentia inter certitudinem et evidentiam. — V. Evidentia objectiva et subjectiva. — VI. Evidentia materialiter sumpta, evidentia formalis. — VII. Evidentia immediata et mediata. — Vili.Evidentia intrinseca et extrínseca. — IX. Conclusio: Evidentia est critèrium quod vi sua cogit intellectus assensum et cui subesse nequit falsum. — X. An evidentia distinguatur a verilate. — XI. An omnis veritas sit evidens. — XII. Quid dicendum de evidentiis illusoriis. — XIII. De triplici evidentiœ modo. — XIV. Tnevidentia.....323

ARTICULUS QUINTUS

De criterio primorum principiorum.

I. Notio primorum principiorum. — II. Quæ sit differentia inter axiomata, maximas, effata, principia facti. — III. An prima principia criteria sint veritatis. — IV. Prima conclusio : Principia prima analylica firmissima sunt criteria veritatis. — V. Secunda conclusio : Etiam principia facti, seu experimentalia, criteria sunt veritatis. — VI. Quodnam sit principium omnium primum.— VII. Conditiones primi principii. — VIII. Prima conclusio : Primum principium humanæ certitudinis non est aliqua veritas prima quæ sit fons et ratio representativa omnium quæ a nobis cognoscuntur. — IX. Secunda conclusio : Principium simpliciter primum est principium demonstrationis direct», ostensivas, positiv». — X. Tertia conclusio : Primum principium in demonstratione ostensiva positiva est : *Omne ens est id quod est, seu, est sua propria natura.* — XI. Quarta conclusio : Primum principium in demonstratione indirecta est principium contradictionis : *Impossibile est idem secundum idem simul esse et non esse.* — XII. Quinta conclusio : Abstractione facta a speciebus demonstrationum, primum principium est principium contradictionis. — XIII. Corollarium. — XIV. Quo sensu concedi possit contradic-

tionis principium non esse primum. — XV. De vera formula principii contradictionis. — XVI. De principio primo in online experimental!..... 329

ARTICULUS SEXTUS

De criterio extrínseco quod est auctoritas divina,

I. Notio magisterii. — II. An aliquis possit esse sui ipsius magister. — III. Magisteriun et testimonium. — IV. Conditiones magisterii. — V. Dividitur magisterium in divinum et humanum. — VI. Notio fidei in genere. — VII. De Ade divina. — Vili. Conclusio : Revelatio divina est firmissimum veritatis criterium generare valens certitudinem metaphysicam quavis alia metaphysica certitudine præstantiorem. — IX. Objectio. — X. Scholion Iu“›. De fide analogice sumpta. — XI. Scholium II'lin Brevis analysis actus fidei..... · . 340

ARTICULUS SEPTIMUS

De criterio externo quod est auctoritas humana.

I. Sensus communis. — II. Conditiones judiciorum qus pertinent ad sensum communem. — III. Duplex respectus considerandus in judiciis sensus communis. — IV. Conclusio : Sensus natures communis, circa proprium objectum est criterium veritatis, criterium quidem ordinis moralis, quod tamen resolvitur in aliquod judicium metaphysics certum. — V. De testimonio humano. — VI. Prima conclusio : In rebus scientificis, testimonium humanum infimum locum tenet inter criteria; sæpe tamen est omnino necessarium, et est norma certa quam tuto sequi licet. — VII. Secunda conclusio : In rebus facti testimonium humanum est criterium necessarium quod veram gignere potest certitudinem..... 350

ARTICULUS OCTAVUS

Quid non possit esse criterium supremum,

I. Quæstiones de supremo criterio. — II. Conclusio : Quamvis non sit unicum criterium, admittendum tamen est aliquod criterium commune et supremum, quod cætera dirigat. — III. Conditiones supremi criterii. — IV. Referuntur sententire generales circa supremum criterium. — V. Sententia» quæ reponunt supremum criterium in subjecto cognoscente. — VI. Prima conclusio ; Neque sensus ex-

temi, seu cognitio experimentalis, neque conscientia, sunt supremum veritatis criterium. — VII. Secunda conclusio : Fides cœca aut instinctus csecus minime possunt esse supremum criterium. — Vili. Tertia conclusio : Nec interior animi affectus nec sensus divinus possunt esse criterium supremum. — IX. Quarta conclusio : Perceptio, seu idea clara et distincta rationis, non potest esse supremum criterium. — X. Sententiæ quæ reponunt criterium supremum in aliquo extrínseco. — XI. Conclusio : Neque auctoritas divina seu revelatio divina, neque auctoritas humana, seu consensus generis humani, sunt criterium supremum omnis certitudinis ; nec auctoritas sapientium dici potest supremum criterium certitudinis médiats. — XII. Sententiæ A. Balfour et F. Rrunetiòre. — XIII. Critica..... 357

ARTICULUS NONUS

Assignatur supremum criterium.

I. Quid restat probandum. — II. Conclusio : Supremum certitudinis criterium non in principiis primis, sed in evidentia objective spectata reponendum est. — III. Utrum sit duplex criterium ultimum : veritatis et certitudinis. — IV. Opinio Illustrissimi Loreuzelli. —- V. Utrum criterium solis veritatibus mediatis conveniat. — VI. De æ quivocationibus hac in materia vitandis. — VII. Evidentia est ratio formalior respectu intelligibilium sub qua cæterre rationes formales continentur..... 368

TRACTATUS TERTIUS

DE QUESTIONIBUS QUÆ SPECTANT TERTIAM MENTIS OPERATIONEM

QUÆSTIO PRIMA

De Syllogismo.

ARTICULUS PRIMUS

De demonstrationis natura et divisione.

I. Demonstrationis definitio. — II. Est præmissa necessaria, quando prædicatum dicitur de omni, dicitur per se, dicitur universaliter. — 111. Demonstratio propter quid. — IV. Demonstratio quia. — V. De·

monstratio a priori el a posteriori. — VI. Demonstratio regressiva, seu circularis. — VII. Demonstratio directa, indirecta, pura, absoluta, etc.— Vili. Demonstrationes propler *quid* et *quia* alias includunt. — IX. Recentiorum placita de demonstrationis vi et ratione. . 370

ARTICULUS SECUNDUS

De praecognitionibus et prœcognitis.

T. Praecognitio et prœcognitum. — II. Quomodo intelligenduni sit principium Aristoteles : Omnis doctrina fit ex praecedenti cognitione ? — III. Duæ praecognitiones. — IV. Tria prœcognita. — V. Quid vero de his tribus prœcognoscere debeamus? — VI. De medio demonstrationum 368

ARTICULUS TERTIUS

De modo quo prœmissœ concurrant ad conclusionem.

I. Quaestio. — II. Conclusio : Prœmissœ non concurrunt in genere causæ formalis, sed in genere causæ ellicientis. — III. Objicies. — IV. Prœmissœ causant per medium terminum. — V. An prœmissæ nécessitent ad assensum conclusionis. — VI. Prima conclusio : Intellectus, concessis prœmissis evidentibus, necessitatur ad assensum conclusionis necessitate specificationis, id est, non potest facere dissensum. VII. Secunda conclusio : Intellectus, concessis prœmissis evidentibus, necessitatur ad assensum conclusionis etiam necessitate exercitii, id est, non potest suspendere actum assensus. — VIII. Explicatur effatum philosophi : Major cognoscitur prius tempore quam conclusio; minor vero simul cum conclusione. — IX. Utrum conclusio ad essentiam syllogismi pertineat..... 392

ARTICULUS QUARTUS

De argumentatione probabili.

I. Notio probabilitatis. — II. Divisio probabilitatis. — III. Duo judicia in statu probabilitatis. — IV. De conflictu plurium opinionum probabilium. — V. Quatuor gradus in opinione probabili. — VI. Defi-> nitio syllogismi probabilis. — VII. Loci ex quibus eruuntur syllo· gismi probabiles. — Vili. De analogia. — IX. De hypothesiftus. — X. Divisio hypothesHim.....

ARTICULUS QUINTUS

De syllogismo sophistico,

I. Triplici modo potest esse fallax syllogismus. — II. Syllogismus pseudographus, syllogismus sophisticus. — III. Quot sint fallacire, seu loci sophistici — IV. De æquivocatione et amphibologia. — V. Fallacia compositionis et divisionis. — VI. Fallacia accentus et figura). — VII. De fallacia accidentis. — VIH. Fallacia a dicto simpliciter ad secundum quid. — IX. Ignorantia elenchi et petitio principii. — X. Tres ultimæ fallaciis. — XI. Hodierna sophistica. — XII. Finis sophistarum..... 407

QUÆSTIO SECUNDA

De inductione.

ARTICULUS UNICUS

De inductione.

1. Inductio Iit per ascensum et per descensum. — II. Comparatur inductio cum syllogismo. — 111. Inductionis divisio. — IV. De vi inductionis. — V. Conclusio : Inductio est conditio necessaria ad scientiam acquirendam, sed non est ratio formalis assenliendi principio universali ; nec secundum se est discursus necessarius et infallibilis, nisi ipsi adjungatur aliquis locus probandi, seu aliquod principium universale quo reddatur efficax ipsius probatio. — VI. Quodnam vero sil hujusmodi principium. — VII. Qua vero ratione concludi possit aliquid ad essentiam singularium pertinere. — VIII. An reduci possit inductio ad syllogismum. — IX. Leges inductionis. — X. Usus inductionis. — XI. An perfectior sit inductio syllogismo. XII, — De quatuor inductionis methodis quæ a recentioribus proferuntur.....418

QUÆSTIO TERTIA

De scientia.

ARTICULUS PRIMUS

Vera scientiæ notio,

(. Multiplex vocabuli acceptio. — II. Scientiæ definitio. — TIT. Accuratior definitio. — IV. Quœritur utrum scientia debeat esse ne

causas intrinsecas, an sufficiat cognitio per causas extrínsecas. — V. Quæritur an cognitio per causas in cognoscendo mereatur scientiæ nomen. — VI. Scientia et cæteri habitus intellectuales. — VII. Quomodo scientia differat ab arte, a prudentia et ab intellectu. — VIII. De differentia inter sapientiam et scientiam. — IX. Scientia non est mera collectio specierum intelligibilium sed est qualitas primæ speciei, nempe habitus. — X. Scientia habitus simplex. — XI. Ulrum scientia sit habitus corruptibilis.....430

ARTICULUS SECUNDUS

De scientiæ objecto.

I. Objectum per se et per accidens. — II. Divisio in objectum materiale et formale. — III. Subjectum scientiæ. — IV. Prima conclusio : Omnis scientia speciflcatur a suo objecto formali. — V. Secunda conclusio : Specificatio provenit ab utraque ratione formali, *quæ* et *sub qua;* sed praesertim a ratione formali *sub qua.* — VI. Unitas rationis suo *qua* desumitur tandem ab eadem luce evidentias objectivæ sub qua conclusiones manifestantur.....438

ARTICULUS TERTIUS

De scientiarum partitione.

I. Quaestio. — 11. Conclusio : Scientias ex diverso abstractionis a ma> teria gradu distinguuntur ; ac recte in quinque primarias dividuntur : Physicam scilicet, Mathematicam, Metaphysicam, Logicam et Moralem, — III. Ratio specifica scientiarum non sumitur solum ex recessu a materia, sed etiam ex accessu ad determinatum gradum immateriaiitatis. — IV. Scientia speculativa et practica. — V. Scientia practica dividitur in activam et factivam. — VI. De suballematione scientiarum. — VIL Tria requiruntur ad subalternationem. — VII. An subalternata habeat propriam rationem scientiæ. — Vili. Conclusio : Subalternata etiam in absentia subalternantis est proprie scientia, in statu tamen imperfecto. — IX. Objicies - - - - 444

ARTICULUS QUARTUS

De dignitate et subjectione scientiarum inter se.

I. Una scientia potest esse altera nobilior et secundum se et in ordine ad intellectum scientis. — II. Utrum una scientia sit alia certior. —

III. Scientia certior, sed.de ignobiliori objecto est simpliciter inferior scientia de nobiliori objecto, licet hæc sit incertior. — IV. An scientias speculativ® nobiliores sint practicis. —· V. Quomodo in dignitate ordinandœ sint quinque scientiæ primari®. — VI. Quomodo ordinando» sint scienti® ratione certitudinis. — VU. De sacra Theologia *i52*

ARTICULUS QUINTUS

De divisione ei ordinatione scientiarum in philosophia moderna.

Divisio baconiana. — II. Divisio amperiana. — III. Critica. — IV. Divisio Positivistarnm. — V. Scholasticorum divìzia scientias omnes comp'ectilur..... 457.

QUÆSTIO QUARTA

De methodo.

ARTICULUS PRIMUS

De methodo in genere.

Í. Notio methodi. — II. Leges methodi. — III. Quotuplex sit methodus. — IV. Analysis et synthesis. — V. Exempla utriusque methodi. — VI. False notiones methodi analytic® et synthetics. — VII. Comparantur iterum analysis et. synthesi*. — Viti. Rpgnlse ntrin*que methodi 461

ARTIOVLVS SECUNDUS

Deprœcipuis methodis qu» in philosophando adhibentur.

X Ratio articuli. — II. Methodus Scholastica. — III. Conclusio : Scholasticorum methodus omnino est approbanda. — IV. De caeleris methodis. — V. Ecclectismus. —|VI. Ecclectismus sub quacumque forma consideratus admitti nequit ut vera philosophandi methodus. 468

ARTICULUS TERTIUS

De methodo disputandi seu de concertatione scholastica,

I. Quid sit disputatio. — II. Officia disputantium, opponentis nempe et defensoris. — III. De modo et formulis distinguendi. — IV. Cætera officia distinguentis : divide, *defini, concede, negato, probato.* — V» Schema disputationis scholasticm. — VI. De di«pnlatione so-
-mni..... *irli*

BXFLICIT LOGICA

1009-27. — Imprimerle des Orphelins d'Auteuil, 40, rue La Fontaine, Pa r is.